






FERCHIVS
De
Perſonis
2
6
350
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE
50.000 - 10-939











DE
PERSONIS

Producentibus Spiritum Sanctum.

Matthæi Ferchij Veglensis Min. Con. Theologi in Uniuersitate Patauina.

LIBER OBLATVS

Illustrissimo, & Excellentissimo D. D.


ANGELO CORRARIO

EQVITI

à

Iulio Cribellario Patauino.





Patauij, Ex Typogr. Camerali. Superiorum permissu.

Illustrissimo, & Excellentissimo D. D.

ANGELO CORRARIO

EQVITI

Viro, & Senatori Amplissimo

PROTECTORI

Beneuolentissimo, & beneficentissimo,

Iulius Cribellarius Patauinus dicat.

Conuenire tuæ pietati munus S. A. & meæ obseruantiæ non incongruum ratus sum de Personis Producentibus Spiritum Sanctum Opus à Matthæo Veglensi habitum tuo nuncupare nomini, qui obsequij tessera, & debitorum nomine non leui teneor apud te. Recusum secundò exit à meis prælis, dumque publicam spirat lucem priuatam tuam respirare auet. Non aduersor votis dum votiuam tabellam à tuis tholis pendere hoc opus præopto, vt à Maiorum tuorum ceris quæ gloriosè maiestatem refundunt, tui nominis pariter exhauriat excellentiam, et tuæ familiæ religionem vel trino tertiò assertam diademmate trino vt numine protegat. Principum fasces sub his personis

peren-

perennare non vana docuere dogmata, sed catholica tradidit fides. Regia sic verè domus à primordijs in spiritus se se adeò claros extulit, vt hinc Ecclesiæ Nauis typhos, hinc Reip. clauus Palinuros repeteret. Egregia facta tua tu vnus refers, Præstãtissime Senator, qui clemẽtiam fortitudini, clementiæ dexteritatem addis in rebus agendis. Verum quæ cæteras supergreditur dotes, præcipua in te religio qua sacra, & complecteris, & tueris. Hac fretus ipse sacrum hoc opus cum meæ voluntatis illicio, & adstrictæ seruitutis vinculo commendare tibi veluti præsentissimo Numini non sum veritus. Fac itaque noscat te Orbis religione Numam, fortitudine Romulum, meque cum sacro hoc opere protege patrocinio, refoue humanitate. Vale Patauij 1. Decembris 1650.

INDEX PRIMVS

PROOEMIVM

De Personis producentibus Spiritum sanctum pag. 1.

QVAESTIO PRIMA.

An Spiritus sanctus sit productus à Patre.

QVAESTIO SECVNDA.

An Spiritus sanctus sit productus à Filio.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum ex diuinis litteris, Spiritus sit productus à Filio?

QVAESTIO QVARTA.

An ex Patribus Ecclesiæ ostendi valeat, Spiritus sanctus esse Filio.

QVAESTIO QVINTA.

An ex ratione probari valeat Spiritus esse à Filio:

QVAESTIO SEXTA.

An si Spiritus sanctus non procederet à Filio, distingueretur personaliter ab eo.

Caput

INDEX SECVNDVS.
AVTHORVM.

INDEX TERTIVS,

Scripturarum Explicatarum.

Eccle-

Ecclesiastici 24. Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita. quæst. 1. n. 27.
Psal. 32. Verbo Domini celi firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. quæst. 1. n. 16. 27. & 30.
Psal. 118. In æternum Domine verbum tuũ permanet in cælo. quæst. 1. n. 34.
Psal 147. Emittet verbum suum, & liquefaciet ea, flabit spiritus eius, & fluent aquæ. quest. 1. n. 16. & 27. & 30.
Psal. 35. Quoniam apud te est fons vitæ. quest. 4. n. 53.
Isaię 61. Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me. quæst. 3. n. 38.
Isaiæ 48. & nunc Dominus Deus misit me. & spiritus eius. quæst. 3. n. 38.
Isaiæ 9 Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. quæst. 3 n. 37.
Isaiæ 55. Verbum, quod egreditur de ore meo quæst. 3. n. 27.
Isaiæ 11. spiritu labiorum suorum interficiet impium quæst. 1. n. 17. & 27. quæst. 3. n. 27. & 42.
Isaiæ 50. Ego autem non contradico. quæst. 4 n. 26.
Isaiæ. 11 spiritu sapientiæ, & intellectus &c. quæst. 3. n. 83.
Daniel. 13. Suscitauit Dominus spiritum sanctum pueri quæst. 3. n. 59.
2. Machabæorum 3. sed spiritus omnipotentis Dei. quæst. 3. n. 43. & 44.
Matthęi 10. Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. quæst. 3. n. 40. 42. & 59. 70 quæst. 1. n. 18. & 19.
Matthæi 21. si in spiritu Dei eiicio Dæmonia. quæst. 3. n. 43. & 44.
Matthæi 11. Nemo nouit filium, nisi Pater, &c. quæst. 3. n. 110.
Matthęi. 3. Vidit spiritum Dei descendentem, sicut columbam. quæst. 1. n 14.
Matthæi 28. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. quest. 1. n. 17.
Matthęi 16. Caro, & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus. quest. 3 n. 99.

Matthæi 24. De die autem illo, & hora nemo scit. quæst. 3. n. 110.
Matthæi. 10. Veh homini, per quem scandalum venit. quæst. 4. n. 5. 6.
Marci 13. De die autem illo, vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater. quæst. 3. n. 110.
Lucæ 22. Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres, quæst. 2. n 61.
Lucæ 1. Ad dandam scientiam salutis. Quæst. 3. n. 110.
Lucæ 3. Vt putabatur filius Ioseph. quæst. 3. nu. 77.
Lucæ vlt. Et ego mitto promißum Patris mei. quæst. 1. n. 13. & quæst. 3. n. 34. & 35.
Ioann. 3. sic Deus dilexit mundum. quæst. 3. n. 29.
Ioan. 1. Ex cuius plenitudine nos omnes accepimus. quæst. 4. n. 13.
Ioan 5 Quęcunq. Pater fecerit, hęc & filius similiter facit. quæst. 5. n. 44. quæst. 1. nu. 57.
Ioan. 5. Veni in nomine Patris mei. quæst. 3 n. 29.
Ioann. 1. Omnia per Verbum facta sunt. quæst. 1. n. 22 quæst. 3. n. 82.
Ioann. 1 Baptizabit Spiritu sancto, & igni. quæst. 2. n. 3.
Ioann. 5. sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso. quæst. 1. n. 31.
Ioann. 6. Misit me viuens Pater. quæst. 1. n. 31 & 32.
Ioann. 7. Mea doctrina non est mea. quæst. 3. n. 99.
Ioann. 8. Ego Dæmonium non habeo. quæst. 4 n. 26.
Ioan. 14. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater. quæst. 3. n. 34. & 35. & n. 110.
Ioann. 16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet quæst. 1. n. 45. quæst. 3. n. 11. 12 & 18. & 20. ad 26.

Ioan.

Ioan. 15. Spiritus, qui à Patre procedit. quæst. 3. n. 23 quæst. 1. n. 7. & nu. 14. 15 n 23. & 24. quæst 3. à n. 92.

Ioann. 15. Spiritum veritatis. quæst. 2. n. 28. & 29.

Ioann. 8. Quæ audiui à Patre, hæc loquor. quæst. 3. n. 29.

Ioann. 16. Quem mittet Pater in nomine meo. quæst. 3. n. 29.

Ioann. 16. Non enim loquetur à semetipso. ibidem.

Ioann 16. Si autem abiero, mittam eum ad vos. quæst 3. n 29. & 34. 35.

Ioann. 16. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. quæst. 3 à n 5. ad nu. 18.

Ioann. 20. Insufflauit, & dixit eis, accipite Spiritum sanctum. quæst 3. n. 27.

Actuum Apostolorum.

Act. 3. Quid miramini in hoc, aut quid intuemini quasi nostra virtute &c. quæst. 2. n. 27.

Act. 2. factus est repente de cęlo sonus tanquam aduenientis Spiritus quæst. 1. n. 14

Act. 16. Non permisit eos Spiritus Iesu quæst. 3. n. 41.

Ad Romanos.

Ad Romanos 8. quos pręsciuit, & prędestinauit conformes fieri imaginis. quæst. 1. n. 48.

Rom. 8. Spiritus eius, qui suscitauit Iesum. qu. 1. n. 18. 19 qu. 3. n. 40. & 42.

Rom. 8. Si quis Spiritum Christi non habet, &c. qu. 1. n. 23.

Rom 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qu. 3 n. 37.

Rom. 11. Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. qu. 3. n 82.

Ad Corinthios.

1. Corinth. 2. Non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est. qu. 1. n. 27.

1. Cor. 2. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum. qu. 2. n 80.

1. Cor. 2. Nemo nouit quæ Dei sunt, nisi Spiritus Dei qu. 3. n. 67. & 70. 71. vsque ad 75. & n. 100. vsq, ad 105.

1. Cor. 7 Sanctificati istis &c. in Spiritu Dei nostri. qu. 3. n. 42.

1. Cor. vlt. Gratia Domini nostri Iesu Christi &c. qu. 5. n. 27. qu. 6. n. 33.

Ad Galatas.

Galat. 1. Paulus Apostolus non ab hominibus, neq. per hominem. qu. 4. n. 6.

Galat. 4. Misit Deus Spiritum filii sui. quæst 3 n. 40. 42. & n. 59.

Galat. 4. Factum ex muliere. qu 4 n. 5. & 6.

Galat. 6. mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce &c. qu. 2. n. 80.

Ad Ephesios.

Ephes. 3. Ex quo omnis paternitas. quæst. 3. n. 99.

Ephes. 1. Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei. qu. 4. n. 5. & 6.

Ephes. 5. Det vobis spiritum sapientiæ. qu. 3 n 41.

Ad Philippenses.

Philipp. 1. Dum omni modo siue per occasionem, siue per veritatem. &c. quæst. 6. n. 3

Ad Colossenses.

Colos. 1. qui est imago Dei inuisibilis. qu. 1. n. 48.

Colos.

Ad Thessalonicenses.

Ad Hebreos.

Apocalipsis.

INDEX QVARTVS.

Disputatorum.

sed

No-

Pho-

Tem-

FINIS.

OPus, cuius titulus est de Personis producentibus Spiritum Sanctum; elaboratum ob Admod. Reu. Pat. Magistro Matthæo Ferchio Veglensi, in Vniurrsitate Patauina Theologo publico, luce dignum existimauit Reuerendus Pater Magister Andreas Zane Venetos, cuius examini illud demandauimus. Quapropter, vt typis mandetur seruatis seruandis per presentes annuimus, & facultatem concedimus.

Datum Romę die 13. Decembris 1643.

Frat. Ioannes Baptista Minister Gener, Minorum Conuentualiũ.

Locus sigilli.

HAuendo per fede del Molto Reuerendo Pad. Inquisitor di Padoua, veduto che nel libro intitolato De Personis producentibus Spiritum Sanctum Mathæi Ferchij Veglensis Min: Conu: Theologi publici in Uniuersitate Patauina, non si troua cosa alcuna contra la Santa Fede Catolica, & parimente che non si troua cosa alcuna contra Prencipi, et buoni costumi; concedemo licentia che sia stampato: douendosi osseruar quanto per legge in proposito di stampe con conditione, che non sia venduto se prima non è presentato vno legato per la libraria publica giusta la parte dell' Eccellentiss. Senato de 2. Decembre 1622. In quor. fidem, &c.

Dat. à 25. di Ottobre 1643.

BATTISTA NANI Reff.
PIETRO FOSCARINI Reff.

Aluise Querini Seg.

DE PERSONIS PRODVCENTIBVS SPIRITVM SANCTVM

PROOEMIVM.

*Anctus Basilius lib. 3. in Eunomium docet, Spiritum sanctum esse tertium in Trinitate: idquè probat allata forma Baptismatis ex Matthæo* 28. "Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti." *In qua Saluatoris assertione, Pater primus, Filius secundus, Spiritus sanctus tertius collocatur. Idipsum in* 1. *Ioan.* 5. *potest obseruari, cùm scribitur:* "Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus." *Quoniam autem sola persona Patris est improducta, restat, ut Spiritus sanctus, qui non est prima persona, sit productus; et quærendum est, an Spiritus sanctus sit productus à Patre solo, an à Filio solo, an ab utroque. Quæ sanè disputatio est de principio producente* ut quod, *Spiritum sanctum. Tres quippe sunt opiniones, prima Arii, & Eunomii, quòd Spiritus sanctus est à Filio, non à Patre: secunda Theodori Mopsuesteni, & Theodoriti discipuli eius, quòd Spiritus Sanctus est à Patre, non à Filio: tertia Sancti Cyrilli, quòd Spiritus sanctus est ex Patrè, & ex Filio. Hinc duæ disputationes emergunt; prima, Vtrum Spiritus sanctus sit productus à Patre, aut non: secunda, An sit productus à Filio, nec ne. Et primò facienda est comparatio Spiritus sancti ad Patrem.* Nu. 1.

Tractaturi igitur de Spiritu sancto, Spiritum sanctum supplices inuocemus, ut sua tùm sapientia, tùm gratia nobis sit auxilio in principio, in medio, in fine operis instituti.

Veni Creator Spiritus
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.

QVAESTIO PRIMA.

An Spiritus sanctus sit productus à Patre.

CAP. I.

2. QVod attinet ad præsens quæsitũ, in illo est error Arianorum, & Semiarianorum. Arius enim posuit Patrẽ, Filiũ, & Spiritum sanctum essentialiter distingui, & Filium esse creaturam Patris, Spiritum sanctum esse creaturam creaturæ, scilicet Filii. Quemadmodum testatur S. Augustinus in lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum cap. 49. In hac hæresi defendenda præcelluit Eunomius, qui ex testimonio S. Basilii lib. 2. ac 3. in Eunomium, dixit Spiritum sanctum esse productum à Filio, non esse productum à Patre, quoniam esset productus non operatione Patris, sed operatione Filii, quamuis ex præcepto Patris.

Damasc. car. 422. de Arianis. Arii errores.

Vi. Prat. deuit. heret. verbo Eunomiani Eunomii errores.

3. Semiariani animaduertẽtes in concilio Nicæno primo definitam esse consubstantialitatem Patris, & Filii, ut Filius sit Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, genitus, non factus, consubstantialis Patri; In hac parte discesserunt ab Ario. Quia verò in symbolo concilii Niceni, nihil dictum est de Spiritus sancti consubstantialitate, vel origine; sed supposita voce, *Credimus*, de Spiritu sancto scribitur, " *Et in Spiritum sanctum* ,, Et nihil aliud: putauerunt Semiariani, concilium Nicænum cũ Ario sentire, quòd Spiritus sanctus non est Deus, & quòd Spiritus sanctus non producitur à Patre, sed à Filio. Quam hæresim in primis defendit Macedonius Patriarcha Cõstantinopolitanus; contra quem sub Damaso Papa, congregatũ est concilium 2. generale Romæ, & Constantinopoli. Errabat Macedonius in duabus propositionibus negatiuis, vna circa consubstantialitatẽ, cùm diceb at, *Spiritum sanctum non esse Deum, neq; Dominum*. Contra hanc posita est affirmatiua in concilio: " *Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, cum Patre, & Filio coadorandum, & glorificandum*. ,, Altera circa originem, dum dicebat, *Spiritum sanctum non procedere à Patre*: propter hoc in symbolo concilii apposita est particula, " *Qui à Patre procedit*. ,, De Semiarianis vide S. Augustinum lib. citato, hæresi 51. & 52. de Macedonianis

Macedonii errores.

Dam. car. 422. paulo aliter de Semiar.

nis;sed & Bellarminus,lib. 2. de Christo cap. 21. & Gregorius de Valentia tomo primo col. 700. & Prateol. de Vitis hæret. ex Philastrio,verbo,*Semiariani.* agnoscunt in Arianis, & Semiarianis, quòd negauerint Spiritum sanctum esse productum à Patre. Quare Suarez in libro de Deo vno, & trino lib. X. qui est de Spiratore,cap. 1. non videtur recipiendus: dum ait, à nemine illorum,qui posuerunt Trinitatem,fuisse negatū,quòd Spiritus sanctus à Patre producatur.

Suarez de seritur.

Quoniam autem postquam Lutherus ex inferis emersit, & cum eo septuaginta sectæ, (ut obseruat Pater Dominicus Grauina in præscriptionibus hęreticis) emerserunt quoque noui Ariani: ideò decet nos hanc veritatem, quòd Spiritus sanctus producatur à Patre, diligenter excutere, & confirmare; ne perfidia hæretica fidei catholicę valeat,aut fidelib⁹ periculū afferre

Lutheranorū secta. Dominic. Grauin.

4. Fundamentū dubitādi pro Hæreticis esse potest, quoniam Filius est medius inter Patrem, & Spiritum Sanctum: quare ex ratione medii, medium connectitur cum utroque extremo,sed vnum extremum non connectitur cum altero, nisi ratione medii; ut fuscum participat de ratione albi, participat de ratione nigri, quæ sunt extrema: at nigrum non habet cum albo par cipationem, nec è contra.

Sed reuelata est Trinitas cum ordine primi,medii, tertii: & si Filius solus producat Spiritum sanctum, pulcherrimè seruantur conditiones extremorum, & medii in conditionibus hypostaticis: Pater enim non coniungitur cum Spiritu sancto,neque è contra in relatione originis, quæ, est hypostatica: Filius verò per productionem passiuam coniungitur cum Patre, per actiuam cum Spiritu sancto. Si aliter fiat, perturbantur rationes extremi, & medii. Nam si Pater solus producit Spiritum sanctum,iam extremum cum extremo iungitur, quod est contra rationem extremorum;& mediū non iungitur cum altero extremo, id est Filius cum Spiritu, quod est contra rationem medii. Si verò Pater, & Filius producant Spiritum sanctum, ergo medium, & extremum coniunguntur eadem coniunctione cū altero extremo, quod est contra rationem extremorum. Restat,ut Filius solus producat Spiritum sanctum, & Pater non producat.

5. Cōfirmatur hoc ipsū Exodi 3. vbi Deus imponit sibi nomen, dicens: " *Ego sum Deus*

Exod. 3. *Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Hoc nomen mihi est in ęternum*, „ In hoc nomine ponitur vnitas Trinitatis, quia unum est nomen; & ponuntur tres personæ, Abraham, Isaac, & Iacob, quibus declarantur tres personæ in diuinis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. In personis verò obseruatur ordo primi, medii, tertii; Abraham primus refert Patrem, qui est prima persona; Isaac secundus, personam Filii secundam, Iacob tertius, tertiā personam Spiritus sancti. Obseruatur distinctio, quoniam Abraham, Isaac, & Iacob distinguūtur realiter in persona, sicut Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Obseruatur & origo, quoniam Abraham à nullo in hoc nomine est productus, sed producit Isaac: Iacob nullum producit, sed producitur ab Isaaco: Isaac medius, & producitur à primo, & producit tertium. Ergo si Deus nomine suo nobis verè indicat Trinitatem nominatam, Spiritus sanctus nō producitur à Patre, sed à Filio: sicut Iacob non producitur ab Abrahamo, sed ab Isaaco verè, & propriè. Profectò quando Isaac genuit Iacob, Abraham erat mortuus: Si autem non habebat esse in rerum natura, neq; habebat agere, id est, generare. Quare Abraham moraliter, & remotè dicitur Pater Iacobi; realiter tamen, & proximè non est Pater, nec generat Iacobum. Similiter potest Pater æternus dici producere Spiritum sanctū remotè, & morali modo; proximè, & realiter, nequaquam.

6. Quia verò Theodoritus, & Photius, eorumquè sequaces oppositum tenent, quòd Spiritus sanctus non producitur à Filio, sed producitur à Patre: & contra mentem concilii secundi generalis, aduersantur Eunomio, & Macedonio, non solùm in propositione negatiua, *Spiritus sanctus non producitur à Patre*, in qua & concilium aduersatur; sed etiam aduersantur in affirmatiua illa, *Spiritus sanctus producitur à Filio*, cuius contradictoriam concilium minimè dixit; Idcirco sunt cogendi Theodoritani ad ostendendum, quòd Spiritus sanctus est ad intra productus à Patre: nam si hoc fecerint, facilè nobis viam aperient, qua refutemus negatiuam illorum, dum dicunt, Spiritum sanctum non produci à Filio. *Theodoriti, & Photij error, atq. defectus in probādo.*

7. Primò arguerent Theodoretani, quoniam sicuti Ioannis octauo dicitur de Filio; " *Ego ex Deo processi, & veni.* „ Sic Ioannis 15. de Spiritu sancto

ctum

dictum est, "*Qui à Patre procedit*.,,

Processio Spiritus duplex Responderent facilè Eunomius, & Macedonius. Quoniam duplex est processio, alia ad intra, & æterna, alia ad extra, & temporalis. Prima est ad esse, & subsistere ipsius personę diuinæ. 2a.ad inhabitare, & operari eiusdem personæ in creatura. Loca citata sunt de processione ad extra, non ad intra. Sic Filius inquit, "*Ego ex Deo processi*, *& veni*,, ad vos, scilicet ad extra. Sic de Spiritu sancto intelligitur. *S.Hil.* Quoniam ex regula Sãcti Hilarii, solent circumstantiæ scriprurarum illuminare sententiam. Si verò considerentur immediatè antecedentia,& immediatè consequentia ad clausulam citatam de Spiritu sancto, apertè cognoscetur illa clausula esse de processione ad extra. Afferatur locus integer Ioannis 15 *Io. 15.* Christus ait: "*Cùm venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*,, Sanè verba pręcedentia,*cùm venerit Spiritus sanctus*, scilicet, ad vos & *quem ego mittam vobis*, omnino sunt de processione ad extra. Verba sequentia, "*Ille testimonium perhibebit de me*,, sunt de operatione ad extra: ergo & intermedia sunt de processione ad extra. Quæ enim apparentia est, ut si immediatè antecedentia, & immediatè consequentia sunt de processione ad extra: verba media sint de processione ad intra, & non ad extra?

Præterea, ex 2.de Anima 49. Fine omnia denominare iustum est; sed finis, quare Spiritus sanctus dicitur procedere, est perhibere testimonium de Christo: perhibere testimonium est opus ad extra. Igitur missio Spiritu sancti à Filio, & processio à Patre, denominari debet ad extra. *2. de anima 49.*

8. Confirmatur ex Diuo Athanasio ad Serapionem, dicente. "*Cum vnus sit Filius, qui viuens Verbum est, vnam esse oportet perfectam, & plenam sanctificantem vitam, quæ sit operatio eius, ac munus, quæ ex Patre dicitur procedere: quoniam ex Verbo, quod ex Patre sine dubio prædicatur, elucet, mittitur, & traditur*,, Ita refert Gennadius Scholar. de processione Spiritus sancti sect. 5. car. 21. In qua quidem authoritate, missio temporalis Spiritus sancti à Filio, affertur tanquam ratio, quare Spiritus sanctus procedat ex Patre. Sed temporale non potest esse causa ęterni; ergo processio *S. Athanas.* *Genn. Schol.*

ſio ex Patre, de qua loquitur S. Athanaſius cum Euangelio, eſt temporalis, & ad extra.

9. S.Cyril.Alex. 13. theſau. cap. 2. ad finem. "*Quod autem*, inquit, *Spiritus ſãctus à Patre per Filium ad Sanctos viros mittitur, ipſe Saluator oſtendit, dicens. Quando autem venerit paracletus, quem ego mittam à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*" &c. Et in 7. ad Hermiam car. 141. ſimiliter de proceſſione ad extra hunc locum exponit, & ita legitur. "*Quando venerit paracletus, Spiritus veritatis, quem ego mittam vobis, ille à Patre egredietur, ille teſtimonium perhibebit de me.* Aduerte etiam, per verbum de futuro *egredietur*, à Cyrillo exponi verbũ *procedit*, quod eſt præſentis temporis pro futuro accepti, prout infra.

10. Vlterius, conciliũ Epheſinum in primo tomo cap. 14. in
Conc. Epheſin. Epiſtola ad Neſtorium directa, inquit. "*Quandoquidem Spiritus veritatis nominatur, Chriſtus autem veritas eſt; Sed & perinde quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit.*" Vbi Theodoretanos interrogo, An concilium loquatur de proceſſione ad extra, exponens citatum locum Ioannis, an de proceſſione ad intra. Si de proceſſione ad extra, iam hic locus nõ rectè applicatur à Theodoretanis, quando per iſtum locum volunt probare proceſſionem ad intra ex Patre. Si verò de proceſſione ad intra, iam ſunt damnati in concilio Epheſino, & quatuor ſequentibus: eo quòd in hac authoritate dicitur, Spiritus ſanctus ita procedere ex Filio, quemadmodum procedit ex Patre; quare Spiritus ſanctus ad intra procedit ex Patre, & Filio. Reſtat, ut ipſi debeant exponere de proceſſione ad extra locum, & ex conſequẽti nullum habent argumentum, quo probent contra Eunomiũ, quòd Spiritus ſanctus procedit ex Patre ad intra in ſuo eſſe eſſentiali, & hypoſtatico.

11. Eodẽ modo exponetur definitio Concilii 2. generalis, dũ
ait. "*Et in Spiritum ſanctum* Conc. 2.
Dominum, & viuificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus eſt per prophetas." Nam quando loquitur concilium de conſubſtantialitate, ſemper loquitur ad extra tùm ante particulam, *Qui ex Patre procedit*, tùm poſt particulam. Nam eſt Dominus omnium rerum, & ita ad extra; eſt viuificator creaturarum iuſtarum, & ita ad extra;

eſt

est adorandus, & glorificandus à creaturis, loquitur per prophetas, quę sunt relationes ad extra. Quarè immediatè pręcedentia, & immediatè sequentia intelliguntur ad extra: ergo & particula intermedia, *Qui ex Patre procedit*, accipienda est ad extra. Præterquam quòd si locus Euangelicus, vt ostendimus, intelligitur ad extra, etiam particula concilii ex Euangelio deprompta, erit ad extra intelligenda. Nullum ergo sibi reseruant argumentum Theodoritani aduersus Arianos, & Semiarianos.

12. Porrò in hac authoritate Christi posset fieri difficultas, quoniam verbum, *Procedit*, est præsentis temporis, *Qui à Patre procedit*. Tunc autē de præsenti a Patre Spiritus sāctus nō procedebat ad extra; Igitur clausula hæc est de processione ad intra.

Difficultas pro Theodoritanis.

Respondetur trifariam. Primò familiare esse in scriptura, & præsertim in Ioannis Euangelio, ponere tempus præsens pro futuro, id quod ex annexis discernitur. Ita Ioannis sexto, vers. 27. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Certè operamini est præceptum ut de futuro, sicut cibus, non qui peribit, sed qui permanebit.

Soluitur.

Io. 6.

Et infra vers. 32. " *Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.* „ Profectò neq; Pater tunc dabat panem sacramentalem, nec panis sacramentalis dabat de præsenti vitam mundo: sed pater daturus erat panem, & panis daturus erat vitā.

Rursus vers. 47. " *Qui credit in me, habet vitam æternam,*„. Habet, id est, habebit vitam æternā. Nā si omnis credēs haberet vitam æternam de præsenti: vtique nemo credens peccaret, nemo damnaretur.

Insuper vers. 54. " *Qui mā ducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* „ Et vers. 56. " *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* „

Nemo sanè tunc de præsenti manducabat carnem, vel bibebat sanguinem. Nemo in se habebat vitam æternam, aut Christum vitæ authorem sacramentaliter immanentem. Sed hæ loquutiones omnes de præsenti, intelligendæ sunt de futuro.

13. Et omnino plura sunt in Euāgelio Ioannis talia, ut onerosum sit perquirere. Quin & in ipso capite 15. quod præ mani- *Io. 15*

bus

Io 15. bus habemus, idē sit vers. 6. "*Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Certè ardebit de futuro post actus futuros, arescet, colligent, mittēt.

Ad hæc capite decimo sexto versu 2. in eodem Christi sermone.
Io. 16: "*Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.*" Nemo de præsenti Apostolos interficiebat, aut arbitrabatur hoc benè factum: Verùm ex ipso verbo *facient*, de futuro, cognoscitur præsens accipi pro futuro.

Ita quoque in re nostra, cùm ait Saluator, ego mittam vobis spiritum veritatis, qui à Patre procedit, intelligendum est, qui à Patre procedet. Nam verbum antecedens, & verbum subsequens sunt de futuro, scilicet mittam, & testimonium perhibebit de me. Luc. vlt.

Sic Lucæ ultimo vers. 49. ait Dominus; "*Et ego mitto promissum Patris mei in vos*": hoc dictum est ante Ascensionē in tempore præsenti, sed pro futuro erat Filius missurus, nempe post Ascensionem.

14. Respondetur secundò. Duplex est processio Spiritus sancti ad extra. Vna regularis, & communis, qua Spiritus sanctus procedit à Patre ad filios adoptionis per gratiam iustificatos, siue illa missio sit visibilis, siue inuisibilis. Altera singularis, & miraculosa, qua Spiritus sanctus mittitur ad aliquem effectum singularem, quæ sæpè est visibilis; ut cùm descendit in specie columbæ super Christū: cùm in specie flatus datus est Apostolis. Talis est missio, & processio Spiritus sancti facta die Pentecostes super Apostolos, de qua Christus loquebatur Ioannis 15. "*Cùm autem venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*" Et sensus est: Spiritum veritatis, qui etiam nunc de præsenti procedit à Patre missione regulari, & communi ad iustificatos (quales tunc erant multi, qui & illuminabantur intellectu, & sanctificabantur voluntate per Spiritum sanctum à Patre procedentem) ego mittam vobis missione, & processione singulari, & visibili.

Processio Spiritus ad extra duplex.

Mat. 3.

Io. 20

Act. 2

Io. 15.

Respondetur tertiò. Aliquid erat certum in anima Apostolorum, aliquid erat propositum tanquam certificandū (ut sic loquar). Certum erat, quòd

Psal. 103. Psal. 50.

quòd Spiritus procedit à Patre ad creaturas sanctificandas: hoc enim Apostoli etiam ex veteri testamento, & communi prędicatione Hebræorum credebant, ut in psalmis audire poterant: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. Cor mundum crea in me Deus, & spiritũ rectũ innoua. Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Certificandũ erat, quòd Spiritus procedit à Filio, sicut procedit à Patre. Ad hoc probandum Christus promittit se missurum Spiritum sanctum missione publica, & visibili, ut sicut Spiritus procedit à Patre, quod certum est: sic cognoscerent ex illo experimēto publico, quòd Spiritus procedit à Filio mittente. Ideò quòd certum est de processione ad extra respectu Patris, ponitur in tempore pręsenti, tanquam verum absolutè cognitum. Quod certificãdũ est, proponitur de futuro, & pro tempore determinato: vt si creditur de Patre, quòd mittat Spiritum, & Spiritus procedat à Patre, idem credatur de Filio, quòd ipse mittat Spiritum, & Spiritus procedat à Filio: ab vtroque scilicet ad extra. Et hæc videtur mihi maximè ad litteram Euangelicam accommodata expositio.

16. Secũdò. Possunt Theodoretani argumentari ex proportione Verbi, & Spiritus exterioris, procedentium ex ore, hoc pacto. Sicut se habent Verbum, & Spiritus oris exterioris, sic se habent Verbum, & Spiritus diuinus oris interioris. Sed Spiritus est ex ore Patris, psalm. 147. *Emittet Verbum suum, & liquefaciet ea, flabit spiritus eius, & fluent aquæ.* Item, psalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Ergo ex ore Patris procedit Spiritus sanctus. Ps. 147 Ps. 32.

Respõdetur. Authoritas prima, quæ de Patre est ex psalmo 147. intelligitur de processione ad extra. Emittitur enim Verbum ad liquefaciendas aquas, frigore in niuem, & grandinem coactas. Flat Pater spiritum ad hoc, ut aquæ ad extra fluãt. Ergo hic locus non est ad propositum de processione ad intra. Item, locus ex psalmo 32. manifestè est de processione ad extra in opere creationis. Ergo non est de processione ad intra. Obseruo tamen circa istum locum, pronomen relatiuum, *eius*, cùm dicitur, *Et spiritu oris eius*, sicut in Latino, sic in Hebræo posse construi tùm cum substantiuo *Domini*, tùm cum substantiuo *Verbi*, ut spiritus sit spiritus oris & Domini, & Verbi.

Psal. 147. exponitur. Psal. 32. exponitur.

Quocirca si locus iste Psalmi de processione ad intra exponatur, habemus potius, quòd Spiritus est ex ore Patris, & Filii, quod est contra Arianos & Theodoretanos, quàm, quòd sit solùm ex ore Patris.

Contra Theodoritanos. Spiritus ori fil. l. Isa. 11 2. Thes.

17. Verùm hoc argumentū facile contra Theodoretanos reflectitur, quoniā in scripturis expressè dictus est Spiritus sanctus esse ex ore Filii, ut Isaiæ 11 de Christo prædicitur: *Spiritu labiorum suorum interficiet impium*; Et 2. Thess. 2. *Quem interficiet Dominus Iesus spiritu oris sui*. Ergo spiritus est ex ore Filii procedens, sicut ex ore Patris. Quamquam & hæ authoritates intelligantur ad extra. Vnde si authoritates intelligantur ad intra, conclusum est contra Arianos, & contra Theodoretanos. Si verò intelligantur ad extra, nihil concludunt Theodoretam contra Eunomium, & Arianos.

Mat. 10. Rom. 8.

18. Tertiò, Possent argumētari ex Matthæo cap. 10. *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Et Rom. 8. *Spiritus eius, qui suscitauit Iesum*. Ergo Spiritus sanctus est spiritus Patris: Igitur est à Patre productus.

Sed responderi potest pro aduersarijs, sicut respondent nobis Theodoretani, quando ostendimus ad Galatas 4. Spiritum esse Filii, & ad Romanos 8. Spiritum esse Christi. Ergo ex Christo, & ex Filio productus est Spiritus sanctus. Respondent illi, Spiritum esse ipsius Filij ratione processionis ad extra, non ad intra: Vel 2. esse Filii ratione consubstantialitatis, non ratione originis: Vel 3. esse Filii, quia est cum Filio productus; Vel 4. esse Filii, quia Filius est terminus relationis Paternæ: à Patre verò produci Spiritum sanctum. Atque ita Spiritum sanctum esse Patris, ut producentis: esse Filij tanquam termini relationis existentis in producente.

Gal. 4. Rom. 8.

Respōsiones Theodoritanorum quatuor.

Refutantur

19 Atqui eædem responsiones dabuntur. Prima quidem, spiritus dicitur esse Patris, ratione processionis ad extra, siquidem in prima authoritate sermo est de loquutione, quæ est opus ad extra, *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. In secūda authoritate, sermo est de suscitatione Christi hominis; quæ suscitatio est opus ad extra. Nihil ergo concluditur ad propositum, quod Spiritus sanctus à Patre producatur ad intra. Secūda item responsio dabitur, scilicet Spiritum sanctum esse Patris ratione consubstantialitatis, non ratione originis. Et

Exponitur Matt. 10 et Rom. 8.

quam-

quamuis Ariani, & Semiariani non concederent eandem essentiam omnino in tribus: similẽ essentiam concedebant. Nihil etiam vetat, aliquam hæresim esse, quæ ponat, tres personas consubstantiales reuera, & tamen concedat Spiritum produci à Filio, & non à Patre. Et secundum hanc heresim argumentum non concludet.

Macedonius Patrẽ & Filium dicit.

Tertia respõsio erit, Spiritũ esse Patris, quia est cũ Patre existẽs, non quia sit productus à Patre.

Quarto dicent esse Patris, quia Pater est terminus relationis Filii, in quo Filio est relatio producentis Spiritum sanctum.

20. Quarto, Poterunt arguere ex Patrib. quia Dionysius de diuinis, cap. 2. ait. *Solus fons supersubstantialis Deitatis, est Pater.*

Dion.

Et Gregorius Thaumaturgus in confessione fidei diuinitus reuelata, & à Gregorio Nysseno scripta in vita Thaumaturgi. *Vnus Spiritus sanctus ex Deo ortum, & existentiam habens, qui per Filium apparuit, imago perfecta perfecti Filij.*

Thaumaturgus.

Respondetur neque has authoritates concludere; dicent enim aduersarii, Spiritum sanctum remotè, & mediatè esse ex Patre, ut ex prima causa; proximè, & immediatè ex Filio, non ex Patre. Sicut Iacob immediatè, & proximè productus est ex Isaaco; remotè, & mediatè ex Abrahamo, tanquam ex primo fonte: tametsi neque Abraham produxerit realiter Iacobum, neque Iacobus productus sit ab Abrahamo.

Probatur Spiritus Sanctus procedere à Patre ex authoritate.

CAP. II.

21 IAM ęquum est, ut argumenta proponamus pro veritate catholica, probantes Spiritum sanctum produci à Patre, siue procedere à Patre ad intra, quo ad suum esse, & quo ad subsistere.

Primò quidẽ S. Basilius lib. 2 in Eunomium versus finem, impugnat negatiuam hanc, Spiritus sanctus non est à Patre; siue exclusiuam istam, Spiritus sanctus est à solo Filio.

S. Bas. primũ argumentũ

Primò sic. *Nulla operatio Filij à Patre dissecta est, neque est aliquid in rerum natura, quod Filio adsit, & à Patre alienum sit; Omnia enim, inquit, mea, tua sunt, & tua, mea. Quomodo igitur Spiritus causam soli vnigenito attribuit?* Hoc argumentum sic formetur. Nulla operatio Filii est,

quæ non sit communis Patri: Sed productio Spiritus sancti est operatio Filij, ergo productio Spiritus sancti est communis Patri. Non ergo causa Spiritus sancti soli Filio tribuenda est, sed etiam Patri.

2. Bas. 22. Secūdò. Sic arguit Basilius. *Siquidē igitur duo principia inter se aduersa indvcēs hoc dicit, cum Manichæo, & Marcione conteretur. Si verò ex vno omnia pendere facit, id, quod à Filio factum esse dicitur, ad primam causam refertur. Quare etiam si omnia ad esse producta esse per Deum Verbum credamus; at omnium causam esse Deum vniuersorum non negamus.* Formo argumentum. Si Filius, & Pater ponūtur principia cæterorum; vel sunt principia inter se aduersa, & dispara ta, vel sunt subordinata. Si primum detur, est dogma Manichæi, & Marcionis iam damnatum. Si secūdū, ergo omnia producta à Filio, seù Verbo, sunt referenda ad Deum Patrē, tanquā ad primam causam concausantem. Sed Spiritus sanctus est productus a Filio (siue vt Græci loquuntur) est causatus à Filio; ergo etiam ad Patrem eius causatio est referenda. Quare etiam Pater causat Spiritum sanctum. In eadem authoritate S. Basilii, adest latens similitudo. Sicut enim Filius in productione creaturarum dicitur omnia facere, quia omnia per Verbum facta sunt, Ioan. 1. & tamen non propter hoc excluditur Pater, imo & Pater est causa omnium. Ita licet Filius sit productor Spiritus sancti, non propter hoc excluditur Pater, imò etiam Pater producit Spiritum sanctum. Quare sicut ad extra Pater, & Filius sunt vnum principium creaturarum: Sic ad intra sunt unum principium Spiritus sancti.

23. Tertiò, Sic ait Basilius. 3. Bas. *Quomodo non manifestū periculū habet dirimere spiritum à Deo? cùm partim quidem Apostolus coniunctim nobis tradat, & modò Christi, modò Dei spiritum dicat, dum scribit. Si quis verò spiritum Christi non habet, hic non est ipsius. Et rursus. Vos autem non spiritum mundi accepistis, sed spiritum, qui ex Deo est. Partim verò Dominus Spiritum veritatis nominet, nam ipse est veritas, & à Patre procedit.* Eunomius coniungebat Spiritum sanctum cū Filio, ut cum causa: separabat à Patre; sic & Macedonius, qui dicebat Spiritum sanctum non esse productum à Patre. Sanctus Basilius ostendit esse periculum in Fide, separare spiritum sanctum à Patre, tanquam

à causa,

àcausa, & origine, & probat hoc, primò authoritate Apostoli, quoniã Paulus ad Romanos Octauo coniungit spiritum cum Christo dicens; *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ipsius*. Coniungit cum Patre in 1. Cor. 2. scribens: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est.*. Ergo Spiritus sanctus per productionem non solum est coniunctus cum Filio, sed etiam cum Patre.

Rom. 8. 1. Cor. 2.

Secūdò authoritate Saluatoris, nã Christus Ioan. 15. dixit ipsum spiritum esse Spiritum veritatis, & veritas est ipse Christus; ergo Spiritus sanctus est coniunctus origine cum Christo: dixit etiam, Qui à Patre procedit; ergo Spiritus sanctus est origine coniunctus cum Patre. Igitur Spiritus sanctus non est productus à solo Filio, sed etiã à Patre, & periculum est separare Spiritum sanctum à Patre, cũ quo Dominus Spiritum sanctũ coniunxit. Hæc argumenta Diui Basilij sunt, & cum ratione authoritatem sanctissimi viri continent. Qui negatiuam istam Eunomii, *Spiritus Sanctus non procedit à Patre*, confutauit: affirmatiuam illam, Spiritus sanctus procedit à Filio, non confutauit, sed recepit, ostendens quòd non procedit, seù non producitur à solo Filio, atque semper coniungit productionẽ Spiritus sancti cum Filio, sed non solo, imo etiam extendit ad Patrem.

Io. 15.

24. Potest etiam adduci textus Euangelij Ioan. 15. *qui à Patre procedit*, hoc pacto. A quo diuina persona procedit ad extra, ab eodem procedit ad intra. Sed Spiritus sanctus ad extra procedit à Patre, ut omnes, & catholici, & hæretici concedunt; ergo Spiritus sanctus etiam ad intra procedit à Patre. Probatur maior. Processio diuinæ personæ ad extra, est ad aliquam operationem exhibendã, prout in eodẽ loco Ioannis constat, *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*. A quo igitur diuina persona accipit operari ad extra, ab eodem accipit etiã esse ad intra, quoniam operari, & esse diuinæ personæ, non differunt realiter; ergo à quo accipit ipsum operari, accipit quoq; ipsum esse. Atqui accipere esse ab aliquo, est procedere ab eo ad intra in diuinis; ergo à quo procedit ad extra quo ad operationem, ab eodem procedit ad intra quo ad esse. Io. 15.

Esse et operari in diuinis idẽ

25. Potest item adduci decretum concilii 2. generalis, id est.

Con-stanti nop. est, Constantinopolitani primi, quo decreto in symbolo additũ est, de Spiritu sancto *Dominum & viuificantem, qui ex Patre procedit: qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per prophetas*. Etenim in concilio sancitũ est de Spiritu sancto & quo ad consubstantialitatem, & quo ad originem contra Arianos, & Semiarianos. Quo ad consubstantialitatem, declaratur quòd Spiritus sanctus est Dominus cum Patre, & Filio adorandus: atq; adeò eiusdem essentiæ. Quo ad originem decernitur, quòd Spiritus sanctus procedit à Patre contra illum sensum, quem intendebant hæretici. Sed illi nolebant, quòd Spiritus sanctus esset productus à Patre quo ad essentiam, & subsistentiam suã: ergo concilium volens destruere illam negatiuam Eunomii, & Arii, intendit quòd Spiritus sanctus procedit à Patre quo ad essentiam, & subsistentiam, & ita etiam ad intra procedit à Patre. Vnde & concilium locum Euangelicum Ioan. 15. per cõsequentiam necessariam ex processione ad extra, transtulit ad processionem ad intra, sicut in præcedente argumento nos ostendimus.

26. De affirmatiua verò quòd Spiritus sanctus procedit à Filio, quoniam non erat dissensus inter catholicos, ut Basiliũ, & Nyssenum, atque inter hæreticos vt Eunomium, & Macedonium: ideò concilium nihil dixit. Nihil etiam dicere voluit, nè communicaret in verbis, etiam si veris, cum hæretico. Sicut in concilio Ephesino Patres noluerunt dicere, Mariã esse Matrem Christi, quamquã hoc verum esset, sed dixerunt esse Matrem Dei. Noluerunt autem dicere, tùm quia non erat controuersia, an esset Mater Christi: tùm quia hæreticus sub pallio illius veritatis affirmatiuæ, occultabat negatiuam suã, Maria non est Mater Dei. Ideò Patres noluerunt communicare in loquutione cum Nestorio, sed solam contradictionem affirmatiuam decreuerunt, scilicet, *Est Mater Dei*. Idipsum tertia Synodus, Ephesina scilicet, didicerat à secunda Synodo, quæ est prima Constantinopolitana. Nam & Constantinopolitana posuit affirmatiuam contra hæresim dicens, quòd Spiritus sanctus procedit à Patre: Noluit ponere affirmatiuam, quòd Spiritus sanctus procedit à Filio propter ambas causas prius dictas. Prima est, quia inter catholicos, & hæreticos non erat

Spiritum esse à Filio cathol. et hæretici concessere prioribus tẽporib.

Concil. Ephesin. dicit Mariam Matrem Dei

Cur concil. Constantinop. dicit Spiritũ ex Patre, non dicit, ex Filio.

erat discordia in illa affirmatiua. Secunda est, quoniam hæretici sub pallio illius veritatis affirmatiuæ, quòd Spiritus sanctus procedit à Filio, abscondebant suam negatiuam, quòd Spiritus sanctus non procedit à Patre. Atque adeò separabant Spiritum sanctum à Patre; & ideò Patres concilii noluerunt communicare in ista propositione cum hæreticis.

Probatur Spiritus sanctus procedere à Patre ex ratione.

CAP. III.

27 IN persona diuina quantum ex reuelationibus supernis habemus, non sunt nisi essentia, & relatio. Essentia Deitatis, quà quęlibet persona est Deus: relatio personalis, qua quælibet persona constituitur in esse hypostatico, & personali, ut Matthæi 28. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vnum est nomen unam deitatē indicans; tria sunt nomina relatiua, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Tunc interrogo; cùm Filius producat Spiritum sanctum, producat ratione propriæ relationis, nempe filiationis, aut producat ratione Deitatis communis Filio, & Patri, vt pręintelliguntur vel natura, vel ratione præcedere Spiritum sanctum, qui est tertia persona. Non ratione filiationis; primò quidem, quoniā relationes sunt de genere sterilium, & nulla relatio est ratio formalis agendi. Secūdo verò quoniam filiatio respicit præcisè Patrem tāquam correlatiuum adęquatum; ergo eadem relatio non potest esse respectus ad Spiritum sanctum. Quare Filius producit Spiritum sanctum ratione communis Deitatis existentis in Filio, & in Patre indistinctè, & indiuisè, atque etiam cum primitate ad actum spirandi. Si enim Deitas est cum primitate in Filio in respectu ad actum spirandi, etiam erit cum primitate, multò magis in Patre, qui est prior origine Filio. Tunc argumentor. In quacunque hypostasi est ratio formalis agendi eadem numero cum primitate seù prioritate ad actionem adæquatam, in eadem hypostasi potest esse actio: & in diuinis, vbi esse, & posse non differunt ad intra, etiam est actio adæquata tali rationi agendi. Sed ratio formalis spirandi Spiritum sanctū est eadem Deitas numero, existens cum primitate, & in Patre,

Mat. 2.

tre, & in Filio; ergo non sola hypostasis Filii habet actionem spirandi Spiritum sanctum, sed etiam hypostasis Patris. Quare perperam Eunomius, & Macedonius soli Filio tribuunt productionem Spiritus sancti, & separant spiritum à Patre secundum originem.

2. ratio. Secunda ratio. Sicuti se habet processio flatus exterioris ex ore hominis, ita se habet processio flatus, siue spiritus interioris ex ore Dei. Sed spiritus hominis exterior non solùm est ex verbo prolato, sed etiam ex ipso homine proferente, & principio vitali eius: ergo etiam Spiritus sanctus est ex Verbo prolato interius, & ex Patre proferēte, atque ex principio intrinseco vitali vtriusquè. Idem autē est principium intrinsecum vitale in Verbo diuino, & in Patre, & cum primitate ad spirandum; ergo non solum Filius, sed etiam Pater spirat Spiritum sanctum.

Maior principalis patet, quia Deus suas conditiones intelligibiles, sed nobis ignotas, per res sensibiles nobis notas, manifestare consueuit, condescendens nostræ imbecillitati: ut per ea, quę animus nouit, surgat ad incognita, quæ non nouit. Hinc vetus, ac nouum testamentum plenum est metaphoris, atque tropis. Sic Deus processiones internas Verbi, & Spiritus sancti ex principio fæcundo in Deo ipso, declarat per processiones externas Verbi, & Spiritus ex ore hominis procedentium. Sic in speciali de Verbo, seu Sapientia, Eccl. 24. *Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Eccl. 24. In speciali de Spiritu sancto procedente ex ore Filii, Isaiæ 11. dicitur: *Spiritu labiorun suorum interficiet impium.* Isa. 11 2. Th. 2. Et 2. Thess. 2. *Quem interficiet Dominus Iesus Spiritu oris sui.* De eodem procedente ex ore Patris, Psal. 147. *Flabit spiritus eius,* Et communiter de Verbo, & Spiritu, in Psal. 32. *Verbo Domini Cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorū.* Psal. 147. Psal. 32. Quia in authoritate, pronomen, *eius*, etiā in Hæbreo potest cōcordari & cū vocabulo, Domini, et cū vocabulo Verbi, cùm vtrūq; vocabulū Hebraicè sit masculini generis, ut possimus intelligere Spiritū oris Verbi, & oris Domini esse spiritum, ut supra diximus, ad nu. 16. Sed in Psalmo 147. de Deo Patre cantatur, *Emittet Verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent Aquæ.* In quibus authoritātibus consideranda sunt duo. Primum est persona

sona producens, ut principium *quod*: Secundum est principiũ fœcundum, ut principium *quo*, & hoc significatur nomine, Oris: ut ex ore Patris procedit Filius; ex ore Patris, & Filii, seù Verbi, procedit Spiritus. Itaque per verbum, & spiritum sensibilem ex ore hominis egredientem, declarauit Deus processiones Verbi, & Spiritus sancti ad intra, & ad extra procedentium.

30. Probatur prima minor, quoniam in libro de Respiratione, Respiratio in solis animalibus sanguineis reperitur, quæ pulmone sint prędita. Perficitur autem respiratio duobus actibus, scilicet inspiratione, & expiratione. Inspiratio est, qua spiritus exterior introrsum attrahitur ab animali ad refrigerandum cor; de qua in psal. 118. *Os meum aperui, & attraxi spiritum*. Expiratio est, qua spiritus interior in animali existens, extrorsum pellitur vel ore, vel naribus. Deus autem non assimilauit productionem Verbi, & Spiritus, inspirationi, sed expirationi: neque expirationi, quæ fit per nares, sed quæ fit per Os; non cuicunquè expirationi per os factæ, sed illi expirationi, quæ sequitur ad emissionem verbi ex ore.

Arist. de respir.

Inspiratio, & expiratio.

Quis Spiritus exterior Spiritui sancto similis.

Quia enim prius natura, vel origine, vel ratione Verbum diuinum producitur, quàm Spiritus sanctus; ideò verbo ex ore hominis, & spiritui ex ore procedenti assimilat Deus emissionem, seù processionem personarum ad intra. Etenim prius natura in ore hominis formatur, & sonat verbum: posterius natura ex verbo formato, videtur exterior flatus, seù spiritus derelictus. Vt spiritus formatus fit verbum, quod auditur: spiritus, post formatum verbum derelictus ex verbo, fit ille spiritus exterior similis Spiritui sancto, producto post Verbum productum. Porrò quia ex naribus non formatur verbum, neque Spiritus ex verbo: idcircò Deus non declarauit productionem Verbi, & Spiritus sancti per expirationem, quæ fit ex naribus, sed per eam, quæ ex ore fit. Fit autem tàm inspiratio, quàm expiratio ex potentia animæ, & ex instrumentis corporis residentibus in pulmone, arteria vocali, & ore: placuit tamen Deo principium vitale existens in ore hominis, tradere in exemplum declaratiuum productionis verbi ex ore, & spiritus ex ore, & verbo producti; ut propter hoc si Spiritus sanctus dicatur esse

productus ex ipso verbo, necessariò concludatur etiam esse productus ex ipso ore hominis: & ad propositum ex ipso ore, & principio vitali non solius Verbi diuini, sed etiam diuini Patris.

31. Probatur secunda minor ex Ioanne 5. 26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit, & Filio vitam habere in semetipso*. Et Ioan. 6. 56. Saluator ait. *Misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem*. Quãobrem eadẽ vita, & idẽ principium vitale, quod est in Filio, est etiam in Patre. In Patre à se, in Filio à Patre, & propter Patrem, ut primitas ad spirandum, quæ est in Filio ex principio vitali formaliter intrinseco ipsi Filio, intelligatur multò magis esse in ipsomet Patre, in quo est simpliciter prima causalitas, seù fęcunditas ad omnẽ productionem. Vnde & Pater dicitur esse fons totius Deitatis à Sancto Dionysio in secundo de diuinis nominibus. Et causa appropriatur Patri à Sancto Gregorio Nazianzeno in oratione ad eos, qui ex Ægypto venerant.

Io. 5. *Io. 6.* *Dion.* *Nazianz.*

32. Ex quibus dictis apparet differentia inter Verbum diuinum prolatum à Patre, & verbum vocale humanum prolatum ab homine, quia verbum humanum est, ex quo relinquitur spiritus exterior post verbum: sed verbum humanum non vivit eadem vita, qua homo proferens vivit: neque habet in se formaliter idem principium *quo* productiuum ipsius spiritus, sicut habet homo proferens tàm verbum, quàm spiritum. At in diuinis, eadem vita, & idem principium vitale, quod est in Patre, est etiam in Filio, ex citatis authoritatibus Ioan. 5. & 6. ac proinde Pater, & Filius non differunt in principio vitali, seu vita, qua spiratur Spiritus sanctus. Neque differunt in ratione prioritatis ad actum adæquatum spirandi, quoniam prius natura, vel origine, vel ratione intelligitur à Patre productum Verbum, & eadẽ vita data à Patre ipsi Verbo: ut in consequenti signo ex vno *Ore* vtriusque & Patris, & Verbi, spiretur Spiritus sanctus.

Discrimẽ Verbi diuini & humani.

33. Consideratio isthęc similitudinis, & dissimilitudinis inter processiones verbi, & spiritus humani ex ore hominis, & processiones Verbi, & Spiritus diuini ex ore Dei, est accuratè animaduertenda. Nam Sanctus Ioannes Damascenus in 3. de Fide cap. 26. prudenter monet in

Simile, & dissimile considerandum. *Damasc.*

in exemplis considerandam esse similitudinem, ac dissimilitudinem. *Non tamen*, inquit, *necesse est omnimodè, & sine quocunque defectu exempla imaginem referre: quandoquidem necesse est in exemplis & simile contemplari, & dissimile. Alioqui non esset exemplum (nam quod in omnibus simile, idem profectò fuerit, non exemplum) & maximè in diuinis. Impossibile enim est in omnibus simile inuenire exemplum, siue in sermone, qui de Deo, siue in dispensatione carnis, scilicet assumptæ.* Ergo & in hoc exemplo verbi & spiritus sensibilis procedentium ex ore hominis, attendendum est simile, & dissimile: Simile est, quòd verbum ex principio vitali, id est, ore hominis solius procedit: simile est quòd spiritus ex verbo, & ex ore hominis posterius natura, vel origine procedit: sed dissimile est, quia spiritus ex ore hominis procedit, non ex ore Verbi humani, quoniã verbo humano nõ communicatur eadem vita, & idem principium vitale: sed Verbo diuino prolato, communicatur eadẽ vita, & idẽ principium vitale, quod est in Patre proferente.

34. Ita monet S. Basilius ser. contra Sabellianos, & Arium cart. 365. *Si enim in corde erat Verbum, quomodo intelligebatur Deus? quomodo verò erat apud Deum? nam neque quod in homine est Verbum, homo est, neque apud ipsum esse dicitur, sed in ipso. Neque enim viuum est, neque subsistens. At Dei Verbum vita est, & veritas. Et nostrum quidẽ Verbum simul & prolatum est, & non est. De Dei verò Verbo, quid dicit psalmus? In æternum, Domine, Verbum tuum permanet in cęlo.*

S. Cyrillus quoque in 7. Thesauri cap. 3. ait. *Verbum enim hominis non subsistit, sed vox ex ore prolata dissoluitur. Verbum autem Dei non ita se habet, sed viuum ex viuo, & subsistens ex subsistente.* &c. Idipsum docet in libro Thesauri sexto cap. 1.

35. Vnde etsi rectè Ariani dicãt, & Semiariani, quid Spiritus procedit ex labijs, & ore Filij Dei, ex Isaia 11. & 2. Thess. 2. non rectè dicunt, quando negant procedere ex ore Patris, cùm idem principium vitale significatum per nomen oris, sicut & eadem vita, sit in Patre, & in Filio, idquè prius natura, vel origine, vel ratione, quàm Spiritus sanctus intelligatur spirari.

Ea propter argumentum po-

test hoc pacto breuiter formari. In quocunque est principium spiratiuum vitale, in eodem potest esse, & est spiratio spiritus adæquati. Sed in Patre, & Filio est idem principium spiratiuum fœcundum, significatum nomine oris, & prius quàm intelligatur tale principium habere spirationem adæquatam: ergo non solùm in Filio, sed etiã in Patre erit spirato adæquata. & ab vtroque procedit spiritus adęquatus.

Ter. ratio. 36. Tertia ratio nõ ex verbo, & spiritu sensibili, sed ex verbo, & spiritu intelligibili prodit. Etenim Deus est natura intellectualis. Omnis autem natura intellectualis habet tres potentias, intellectum, voluntatem, & potentiam exequutiuam. Et hæc potentia in Deo est omnipotentia effectiua, de qua in symbolo, *Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem factorem cæli, & terræ.* Atquè hæc omnipotẽtia effectiua est respectu omnium effectorum à Deo, & est ad extra, quoniam nihil factum, est ad intra. Sed intellectus, & voluntas sunt potentiæ productiuæ actuum immanentium ad intra, intellectus quidem est principium productiuum notitiæ genitę, voluntas autem est principium productiuum amoris spirati. Hinc argumentor.

Verbũ et spiritus sensibilis, & intelligibilis

Tres potentiæ naturæ, intellectualis

37. In quacunque hypostasi est principium productiuum amoris spirati, & hoc cum prioritate ad actum spirandi adæquatum, in illa hypostasi potest esse spiratio respectu amoris spirati adæquati. Duæ nanque sunt conditiones, propter quas hypostasis habẽs principium productiuum, quandoque non producit. Vna est imperfectio, ut planta paruula habet principium productiuum alterius plantę, nempe animam vegetalem: non producit autẽ propter imperfectionem status, & staturæ. Altera est egressio in actum adæquatum; nam principium antequam habeat productum adæquatum, est fœcundum: postquam exercuit actum adæquatum, vel simpliciter, vel respectu huius, non potest amplius agere vel simpliciter, vel respectu huius. Hinc pater meus priusquam generaret me, habebat principium generatiuum fœcundum, quo me potuit generare, & genuit. Sed posteaquam genuit me, nõ potest amplius me generare. Quod si ego fuissem terminus adæquatus potentiæ generatiuæ existentis in patre meo, iam genito me, pater meus simpliciter

Productiuũ, quãdo non producit.

citer habuisset terminum adæquatum, nec posset quicquam generare. Ideò in maiore propositione proposita, intelligatur voluntas esse sine imperfectione, quia nil imperfectum in diuinis: intelligatur esse cum prioritate ad actum simpliciter adæquatum, quia non potest ibi esse adæquatio secundum quid. Iam addo minorem.

Productiuū, quādo non producit.

38. Sed volūtas diuina, ut amatrix cum obiecto amabili præintellecto, est in Filio, sed non solo, imò etiam est in Patre, quia Pater communicans deitatem, intellectum, & voluntatem Filio, non perdit ista, sed etiam retinet in se perfectam voluntatem, sicut & perfectam communicat eandem Filio. Est itē in Patre voluntas cum prioritate ad actum adæquatum spirandi: quia si est cum prioritate in Filio, multò magis est in Patre, qui est causa, seu principiū Filii; quod enim est prius priore, est prius posteriore: & Pater est prior origine Filio, qui Filius est prior origine Spiritu sancto posteriore, ergo & Pater est prior origine Spiritu sancto. Quapropter & voluntas in Patre est cum prioritate ad actum spirandi spiritum sanctum. Igitur & spirat; quoniam ad intra esse, & posse non differunt.

Quarta ratio.

39. Quarta ratio. Aut Pater, & Filius se habent sicut duæ causæ disparatæ, quarum vna producat Filium, altera Spiritum sanctum, sicut ponebant Manichæi duo principia actiua, quorum alterum in agēdo non pendebat ab altero; aut Pater, & Filius in agendo se habent sicut causa prima, & secunda subordinatæ. Si primū dent Ariani, & Semiariani, iam condemnati sunt cum Manichæis, vti S. Basilius dixit. Ponitur etiam alia essentia Patris, alia essentia Filii, quod in prima synodo Nicæna damnatum est, quando Filius declaratur esse consubstantialis Patri. Si autem ponuntur secundo modo, vt subordinata principia, aut hoc est, ut sint duæ causæ, prima, & secunda; aut ut sint una, & eadem causa, siue unum principium respectu omnium posteriorum. Si dicatur, quòd Pater, & Filius habent duas causalitates, ut Pater sit causa prima, Filius causa secunda; argumentor. Causa secunda nihil potest agere sine causa prima in ordine causarum per se loquendo (nam ad intra non datur aliquid per accidens in Deo) Hinc est maxima philosophica, omnis causa primaria plus influit in effectum, quàm

S. Basil. 2. in Eunom. ad calcem.

Nil per accidens in Deo ad intra.

causa secundaria: Et in 8. physic. 33. Aristoteles dixit, primũ mouens posse mouere sine secundo, secundum non sine primo. Igitur Filius non posset producere Spiritum sanctum sine Patre concurrente in producendo. Reuera tamen Pater, & Filius non sunt sicut causa prima, & secunda, quoniam alia causalitas, & alia poneret aliã, & aliam essentiam. Restat ut Pater, & Filius sint una causa, vnum principium Spiritus sancti. In quacunque autem hypostasi est una, & eadem ratio principij actiui productiui, in ea hypostasi est productio, & ab illa hypostasi est productum per tale principium. Sed in Patre, & in Filio persupponitur esse una ratio causalis, siue una ratio principij productiui respectu Spiritus sancti; ergo Spiritus sanctus ut unum productum una productione producitur à Patre, & à Filio.

8. phy. 33.

40. Quinta ratio formari potest similis ei, quam formauit concilium Florentinum pro veritate catholica. Nam si Spiritus sanctus spiratur à Filio, & non spiratur à Patre, sequitur partitio diuinæ substantiæ, & separatio essentiæ ab hypostasi diuina, quod est absurdissimũ. Probatur consequentia. Si essentia Filij est principium *quo* actualiter spiratur Spiritus sanctus, & essentia Patris non est, ergo alia est essentia Patris, quę non est principium *quo*, alia essentia Filii, quæ est principium *quo*; ergo diuiditur essentia Patris, & Filii.

Quinta ratio. Conc. Flor.

Insuper Pater dat ipsi Filio essentiam, & virtutem spiratiuam; quicquid enim habet Filius, habet a Patre: Pater autem per aduersarium non habet in se virtutem spiratiuam eandem, nam si haberet, vtique spiraret per illam virtutem. Atqui virtus spiratiua est quid essentiale, & essentia; ergo partem essentiæ Pater sibi retinet, partem non retinet, sed Filio dat; ergo essentia est partibilis, & partita.

41. Deinde, si essentia Patris est principium *quo* actu spiratur Spiritus sanctus, & Pater non spiret; ergo essentia non est formaliter, & realiter in Patre, atque ita separatur essentia ab hypostasi Patris. Quamuis enim principium *quo* possit esse cum actione, siue ipsum principium *quo* sit in supposito, siue sit extra; quemadmodum anima rationalis est principium *quo* intelligendi, siue sit in homine, siue sit extra post mortẽ: nam & de facto intelligit tùm in

Anima rationalis intelligit siue coniuncta siue separata a corpore.

in statu coniunctionis, tùm in statu separationis: tamen quòd principium *quo* sit formaliter in hypostasi, & quòd principium *quo*, habeat realiter actionem, & hypostasis non agat per illã actionem, est impossibile. Inductione constat in anima; nam si ipsa est principium *quo*, nos sumus principiũ ut *quod* vivimus, sentimus, intelligimus. Et idẽ in aliis principijs *quo*, et *quod* sẽtiendũ est per 2. de anima 24.

Siquidem hypostasis non dicitur formaliter agere, nisi quatenus principium quo formaliter existẽs in hypostasi, est principium formale eliciens actionem. Cùm itaque impossibile sit vel diuinam substantiam diuidi, vel ipsam ab hypostasi separari, impossibile est, ut Filio spirante, Pater non spiret, sicut & impossibile est, ut Filio creante, Pater non creet.

Argumenta contra veritatem facta soluuntur.

CAP. III.

41. QVibus argumentis niterentur Ariani, & Semiariani in probando, quòd Spiritus sanctus non producatur, seù non procedat à Patre; non satis deprehendi. Formaui ego disputationis gratia quędam, ut quæ vel apparenter dici possunt pro falsitate, soluãtur. Inter hæc primo loco refero, quæ posita sunt veluti fundamenta, pro aduersariis.

Ex. 3. Primum accipitur ab Exodo 3. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob; hoc nomen mihi est in aeternum*. Sig[illegible] tur nomen, quo Deus declarat se, est conforme rei declaratæ, in hoc nomine prima persona producit tantùm, tertia producitur tantùm, media producitur à prima sola, & sola media producit tertiam, ergo similiter in Deo, Filius producitur à solo Patre, & Spiritus sanctus à solo Filio: Pater autem non producit Spiritum sanctum tertium, sicut neque Abraham realiter generat Iacobum, sed solus Isaac producit Iacobum.

Respondetur. In nomine proposito adest similitudo cum re nominata, atque dissimilitudo; Vniuersaliter enim nomina non sunt similia rebus nominatis. Similitudo est in vnitate essentiæ indicatæ per nomen *Deus*, nam idem nomen in tribus personis repetitur ter: similitudo item est in Trinitate

so-

personarum, in earũ distinctione, & ordine. Dissimilitudo est in origine. Ratio dissimilitudinis est, quoniam alia nnmero est substantia, virtus, & operatio in Abrahamo, alia in Isaaco respectu Iacobi producendi. Sed in Deo Patre, & in Deo Filio est eadem numero substantia, virtus, & operatio respectu Spiritus sancti producendi; & propterea Pater, & Filius simul comproducunt Spiritum sanctum: Abraham, & Isaac non comproducunt Iacobum.

Secunda ratio dissimilitudinis est ex differentia causarum ordinatarum per se, & per accidens: In causis per se ordinatis, secunda non potest agere sine prima, ut sol non potest causare quicquam sine concursu Dei. In causis per accidens ordinatis, secunda potest causare sine prima; sic Isaac per accidens habet ordinẽ cum Abrahamo. Nam in particularibus eiusdem speciei, non est per se ordo, sed per accidens. Idcirco Isaac potest generare Iacobum, etiam si Adam, vel Abraham non cooperentur actu, ad generationem Iacobi. Sed inter Patrem æternum, & Filium coæternum comparando ad Spiritum sanctum, non potest esse ordo per accidens: quare

Causæ per se, uel per accidens ordinatæ.

In particularibus eiusdẽ speciei non est per se ordo.

eadem per se virtus in utraque persona per se concurrit ad spirandum Spiritum sanctum.

43. Secundum argumentũ. Medium magis est connexum cum utroque extremo, quàm extremum cum extremo: ut fuscum magis est connexum cum albo, & cum nigro, quàm album cum nigro: & chorda media magis conuenit cum graui, & acuta, quàm grauis cum acuta. Sed Filius est medium inter Patrem, & Spiritum sanctum; ergo magis est connexus cum Patre, & Spiritu sancto, quàm Pater cum Spiritu sancto. Si autem Filius solus producit Spiritum sanctum, tunc Filius optimè retinet rationem medij, quia connectitur in ratione producti cum Patre, à quo producitur, in ratione producentis cum Spiritu sancto, quem producit. Atque Pater producit vnum, Spiritus sanctus producitur ab uno, Filius autem ab uno producitur, aliũ producit. Si verò non Filius solus, sed etiam Pater spirat, eadem erit connexio medii cum extremo, & extremi cum extremo, nam eadem productione actiua & Filius, & Pater connectuntur cum Spiritu sancto, cùm Pater tamen sit extremũ, & Filius sit medium in ordine

5. phy. 6.

diuinæ Trinitatis.

Respondetur medium multis modis dicitur, tot nimirum, quot dicitur primum, & prius: quorum multiplicitas ex capite de Priore in 5. Metaphysicæ, & post prædicamenta potest considerari. Inter illos modos datur prius secundum ordinem, ut dicitur primum, medium, & ultimum in tripudijs & in litteris abecedarij. Hoc modo in diuinis ponitur ordo primæ, secundę, tertiæ personæ. In quo modo ordinis non est necesse, ut medium participet de ratione extremorũ, sed ut accedat magis, vel minus ad primum. Sic immediatè à Patre est Filius, sed Spiritus sanctus est mediatè à Patre, quia mediante producto Filio. Non est autem Filius medium per participationem, quia neque in se habet generationem actiuam, neque formaliter habet spirationẽ passiuam. Ad argumentum, maior est vera de medio per participationem extremorum, de quo medio, minor est falsa. Quanquã possit quodammodo sub ratione communi productionis, Filius dici medium per participationem. Pater enim producit tantùm, Spiritus sanctus producitur tantùm; Filius autem, & producit, atque ita conuenit cum Patre, & producitur, atque sic cõuenit cum Spiritu sancto. Non est autem necessarium, ut medium, aut habeat omnes conditiones extremi, aut nullas habeat. Vnde Filius, licet medius, potest habere istam conditionem extremi, scilicet Patris, ut producat; quãquã nõ sincerè habeat, cùm participet de ratione productionis passiuæ.

1. Metaph. 16. Post prædicamenta. Medium tot modis quot primũ. Medium secundum ordinem, vel secundã participationẽ.

44. Ratio verò ordinis est ponenda in diuinis personis in agendo sic; quoniam Pater est unum principium, in quo adest omnis virtus actiua cum primitate: proceditur autem ab vno ad duo supposita, quia Pater, & Filius habẽt virtutẽ actiuã omnẽ respectu posteriorũ cũ primitate. A duobus ad tria, nã Pater, Filius & Spiritus sãctus habent omnem virtutem actiuam respectu creaturarum cũ primitate. Hinc numerando ab uno, ad duo, ad tria in ratione principij producentis, seruatur pulcherrimus ordo: Qui peruertitur ab aduersarijs, nam ponunt unum producens, ut Patrẽ; ponunt unũ producẽs, ut Filiũ: ponunt deinde tria producentia, Patrem, & Filio, & Spiritum sanctum respectu creaturarum. Itaque per-

Cur ordo in diuinis personis.

pergunt ab uno ad tria producentia sine media dualitate producentium: & dum statuere medium volunt, medium euertunt.

45. Tertium argumentũ. S. Basilius lib. 5. cõtra Eunomiũ cap. 11. inquit. *Filius est Verbum Patris, Spiritus Sanctus est verbum Filij.* Sed Verbum est productum, atq; procedens ab eo, cuius est verbum; ergo Spiritus sanctus est productus à Filio, non à Patre; Pater quippe non potest producere duplex Verbum, quia tunc Filius non esset Verbum adæquatum ipsius Patris.

S. Basilij locus difficilis.

Respondetur argumentum hoc esse violentum, & solutu difficile. Solui tamen potest, quòd Patris est duplex Verbũ, alterum immediatum, ut Filius, alterum mediatum, ut Spiritus sanctus.

Vel secundò, in Verbo duæ rationes considerari possunt, altera quòd sit productum, altera quod sit repræsentans immediatè illud, de quo producitur: Verbum enim est declaratiuum, & expressiuum ipsius, de quo producitur. In ratione producti, Spiritus sanctus est à Patre, & Filio. In ratione repræsentantis immediatè, vel declarantis, Spiritus sanctus est Verbum Filii, nam Io. 16. Spiritus sanctus dicitur clarificaturus ipsum Filium; *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.*

Io. 16.

46. Quartum argumentum. S. Gregorius Thaumaturgus in Confessione fidei reuelata diuinitus ex Gregorio Nysseno in vita eiusdem Thaumaturgi, sic habet. *Vnus est spiritus sanctus ex Deo ortum, & existentiam habens, qui per Filium apparuit: imago perfecta perfecti Filij.* Sic S. Basilius lib. 5. contra Eunomium cap. 8. & 15. asserit, Spiritum sanctum esse imaginem Filii. Sic S. Athanasius ad Serapionem, *quia Filij imago est, & dicitur Spiritus.* S. Cyril. Alex. 13. thesau. cap. 1. perfectissimam imaginem Verbi Spiritum sanctum asseuerat, & lib. 11. in Ioan. cap. 25. exquisitã imaginẽ Filii dicit. Iam arguo. Imago perfecta, est imago illius, a quo producitur: sed Spiritus sanctus est perfecta imago ipsius Filii; ergo a Filio producitur. Non est autem imago Patris; ergo à Patre non producitur. Probatur vltima minor, tùm quia si Spiritus Sanctus esset imago Patris, & Filii, iam excederet Filium repræsentatum, ergo non esset imago perfecta, &

Thaumaturgus.

Basil. Athanas. Cyril

Ref. Bell. col. 354.

adæ-

adæquata. Tùm etiam quoniam ratio propria personę patris, & ratio propria personæ Filii, sunt primò diuersę; ergo non possunt per unicam rationem formalem propriam Spiritus sancti repræsentari, quia vnica formalitas simplex simpliciter, nō potest habere duas rationes repræsentatiuas duarum formalitatum simpliciter simplicium. Nam si haberet duas rationes, iam non esset ratio simpliciter simplex, quia simpliciter simplex dicitur illud, quod non potest resolui in vlteriores conceptus, seù rationes.

S. Bo. S. Bonauentura in pr. dist. 31. quæst. 5. n. 28. 29. vult, quòd imago in diuinis dicat expressionem in summo. Expressio autem in summo duo ponit, scilicet, quòd sit vnius ad unum, & quòd sit secundū omnem modum. Quòd sit vnius ad vnum, ponit per hoc, quòd illud, quod per superabūdantiam dicitur, uni soli conuenit, &c.

Expressionis summæ cōditiones.

Nam vnum in summo, non potest exprimere plura, vel plura vnum. Vnum, inquam, in quo nulla est diuersitas. Similiter unum summè non potest exprimi à pluribus, ut plures sunt; quia tunc omnino differentes essent. *Propter hanc rationem, solus Filius est imago, quia solus ab uno procedit; Spiritus autem sanctus, à duobus; & ideo æqualiter utrunque exprimit, & neutrum in summo.* Quare non poterit Spiritus sanctus esse perfecta imago Filii, & Patris simul. Est autem perfecta imago Filii ex Doct. Gręcis citatis, ergo est à solo Filio expressus.

48. Respondeo, Patres Latinos nomen imaginis ad intra, applicauisse soli Filio, ut Augustinus fecit 6. de Trinit. cap. 2. & cum eo scholastici passim. Vnde & dicunt, à Patribus Græcis minus propriè acceptum esse vocabulum imaginis. Verùm ex diuina reuelatione ad Coloss. 1. Filius dicitur esse imago Dei inuisibilis; & ad Hebr. 1. dicitur Filius esse figura hypostasis paternæ. *Aug.* *Col. 1. Hebr.*

Spiritus quoque imago Filii est, Paulo scribente ad Rom. 8. *Quos præscinit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Nam S. Basilius lib. 5. in Eunomium cap. 6. & S. Cyrillus Alexand. lib. 11. in Ioann. cap. 25. & in lib. 7. ad Hermiam car. 139. per imaginem Filij spiritum intelligunt; quia dum conformamur spiritui immediatè, hoc est imagini,

mediatè Filio conformamur.

Item & ex reuelatione diuina facta sancto Gregorio Thaumaturgo, Filius dicitur esse imago perfecta Patris, & Spiritus sanctus imago perfecta perfecti Filii. Vnde oportet nos iuxta diuinam reuelationẽ ponere imaginis rationem in ambabus personis productis.

Arist. 6. top. 1.

49. Imago ex Aristotele in 6. Topicorum loco 9. est, quod producitur ad imitationem alterius. Vnde in ipsa imagine tres rationes reperiuntur, prima, ut sit producta ab aliquo per modum principii actiui; secunda, ut sit producta ad imitationem alicuius per modum principij exemplaris, sic enim imitabitur suum exemplar: tertia, ut sit producta ad repræsentandum exemplar suum, tanquam principium finale. Sic pictor, ut Apelles, produxit imaginem Alexandri Magni ad imitationem ipsius Alexandri tanquam exemplaris, ad hoc, ut per illam imaginem & apud absentes, & apud posteros repræsentaretur Alexander. Neque semper idem est principiũ actiuum ipsius imaginis, quod est principium exemplare, & finale. Nam imago Alexandri originaliter erat ab Apelle, exemplariter ab Alexandro, & finaliter ad Alexandrum. Potest autem fieri, ut idem sit principium triplex respectu imaginis, sicut Antonius de Corrigio, pictor famigeratus Romæ in Palatio Vaticano imaginẽ sui ad viuum expressam depinxit. Ergo imago potest produci & ab eo cuius est imago, & ab alio.

In imagine tres rationes.

Apelles pictor.

Ant. de Corigio pictor.

Sic in speculo, albedo faciei producit imaginem albi, producit etiam imaginem magnitudinis, & figurę. Vnde aliquid potest producere imaginẽ sui, & etiam imaginem alicuius sibi coniuncti. Si imago habeat ad suum repræsentatum tres rationes principiati prædictas, videtur esse perfectius imago, quàm si habeat duas tantùm, ut imago albedinis in speculo ab albedine, ut ab actiuo, ab exemplari, à fine est principiata.

50. Et hoc pacto Filius in diuinis est imago Patris, & Spiritus sanctus est imago Filii perfecta. Sic autem non est ita perfecta imago Patris, quia Pater est quidem principium actiuum originale Spiritus sancti, sed non videtur esse principium exemplare, aut finale; imò iuxta doctrinam Patrum Græcorum, & reuelationem factam, Spiritus sanctus est pro-

ductus ad imitationem Filij, & est repræsentans, seù declarans ipsum Filium cognoscentibus, in ratione principii quasi finalis.

Spiritus est imago Filij perfecta simpliciter.

Vnde Spiritus sanctus producitur à Filio, sicut fuit producta imago Antonii ab ipsomet Antonio de Corrigio. Producitur à Patre sicut ab Apelle imago Alexandri. Et reuera in imaginibus, quæ à sculptoribus, & pictoribus fiunt, non attenditur respectus ad auctorē in laude imaginis, sed laudatur imago, si conformetur, & imitetur exactè suum exemplar. Qua laude iam data, quæritur pictor, aut sculptor. Sic ergo Spiritus sanctus est perfecta imago unius Filij perfecti in ratione principii exemplaris, & finalis, & est producta à Patre, & Filio. Et sicut albedo producit imaginem sui, & imaginem coniunctæ figuræ; sic Pater æternus producit imaginem sui, quæ est Filius, & imaginem coniuncti Filii, quæ est Spiritus sanctus.

Nyssenus.

51. Quintum argumentum. S. Gregorius Nyssenus in libro ad Ablabium, docens ex unitate naturę non confundi personas, sed distingui per originem, scribit. *Eam, quæ circa causam, & causatum consideratur differentiam, non negamus: per quod solùm discerni alterum ab altero deprehendimus; Nimirum eo quòd credimus aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa, & ex eo quod ex causa est. Ac rursum aliam differentiam consideramus: nam aliud quidem continenter, & sine medio ex primo est; aliud verò per id, quod immediatè, & ex continenti est.* S. Gregorius Nyssenus ponit proprias differentias caracteristicas personarum, & primò quidem distinguit, quia Pater est causa, Filius est ex causa, Spiritus sanctus ex eo, quod ex causa est. Precisè igitur Spiritus sanctus est ex Filio, qui est ex causa, non autem spiritus est ex causa, id est, ex Patre, nisi Nyssenus deficiat in assignatione proprietatis distinctivæ. Secunda differentia est, quia Filius est ex Patre immediatè, & continenter; Spiritus sanctus est per illud quod est immediatè, & continenter ex Patre, scilicet, est ex Filio. Vnde arguo. Impossibile est, ut idem ex eodem producatur immediatè, & mediatè, quoniam hæc sunt duo contradictoria, quæ non possunt esse in eodem respectu eiusdem. Sed Spiritus sanctus mediatè est ex Pa-

Bella. tom. 1 col. 356.

Personæ diuinæ quibus differentijs caracteristicis discriminentur.

Patre, scilicet mediante Filio; ergo non potest esse ex Patre immeditatè; ergo est productus à solo Filio, non à Patre.

52. Respondetur. S. Gregorius Nyssenus vult assignare differentiam inter personas diuinas, unde ad hoc superuacaneũ est assignare illud, in quo est cõuenientia. Propter hoc in assignatione prima ponit Patrẽ esse causam, Filiũ ex causa, Spiritum sanctum ex eo, quod ex causa, & in his est differentia. Si autem dixisset, quòd etiam Filius est causa Spiritus sancti, posuisset conuenientiã cum Patre. Si etiam dixisset, quòd Spiritus sanctus est ex causa, posuisset conuenientiã cum Filio. Dixit ergo quod erat ad propositum: tacuit, sed non negauit, quod ad propositum non erat. Quocirca ex ista priore assignatione habemus hanc affirmatiuam, Spiritus sanctus est ex Filio; non habemus illam negatiuam, Spiritus sanctus non est ex Patre. Intelligenda igitur est hæc differentia cum præcisione, & sine præcisione sic: Filius est ex causa tantùm, Spiritus sanctus est ex eo, quod ex causa, sed nõ tantùm, imò etiam est ex causa.

Exponitur Nyssenus.

53. Secunda & posterior assignatio similiter est intelligenda, & explicanda, quoniã Filius immediatè, & continenter est ex Patre: Spiritus sanctus est per eum, siue ex eo, qui immediatè, & continenter est ex Patre: sed tamen non propter hoc negat sanctus Nyssenus, quod Spiritus sanctus nõ sit etiam ex Patre. Igitur Filius est ex Patre immediatè tãtùm. Spiritus sanctus est ex illo, qui immediatè est ex Patre, sed non est tantùm ex illo, verùm est ex Patre quoque. Non dixit autem sanctus Nyssenus, quòd Spiritus sanctus sit mediatè ex Patre, quamuis id verum sit, ut aliquo modo sit ex Patre mediatè, aliquo modo immediatè ex Patre. Immediatè est ex Patre, & ex Filio, immediatione virtutis, & suppositi, quoniam eadem virtute spiratiua ambo supposita immediatè spirant Spiritum sanctum. Mediatè verò Spiritus sanctus procedit ex Patre, & non sic Filius: Filius quippe non procedit mediante aliquo producto à Patre: Spiritus verò procedit mediante producto Filio.

54. Secũdò respõderi potest, Spiritum esse productum ex Filio, vel cum ordine causę secundæ ad per se primam, vel sine ordine. Primo modo Nysse-

nus loquitur; atque adeò cùm Spiritus sanctus sit ex Filio, & per Filium, ut ex causa, & per causam secundam, necessariò fit, ut etiam sit ex Patre, ut ex causa prima. Secundo modo Eunomius, & Macedonius cōtendunt Spiritum sanctum esse ex Filio, & per Filium, sed sine cooperatione Patris, ut causæ primę.

55. Sextum argumentum. Nullum principium, dum est in potentia remota, principiat, vel producit, nisi prius reducatur ad potentiam proximam, ex 9. Metaphys. 10. & 12. textibus. Sed voluntas est principium productiuum Spiritus sancti, atque in Patre non est in potentia proxima ad spirandum, in Filio est; ergo voluntas in solo Filio producit ut quo, vel est principium *quo* spirandi ipsi Filio, non autem in Patre, vel ipsi Patri. Probatur minor. Vel enim voluntas est in potentia proxima ante productum Filium, aut post productum Filium. Non primum, quando enim sunt duo principia ordinatè actiua, prius principiū est ex se in potentia proxima ad agendum; posterius non est in potentia proxima, nisi supposita actione prioris principii; ut sensus interior nō est in potentia proxima, nisi præsupposita actione sensus exterioris, & potentia appetitiua non est in potentia proxima, nisi præsupposita actione potentię cognitiuæ. Sed in Deo intellectus, & voluntas sunt duo principia ordinatè productiua, intellectus, quo producitur Verbum: voluntas, *qua* producitur amor, seù spiritus: intellectusque est prior natura in agendo, quàm voluntas; ergo voluntas in Patre nō est in potentia proxima ante productionē Verbi, siue Filii.

9 Met. 10 & 12.

56. Si autē detur secūdum, ut verè dandum est, tunc volūtas, ut in Patre, non est in potentia proxima, quoniam Pater nil habet à Filio, vel ab aliquo, ut in Filio: nihil habet per, aut post productionem Filii; quicquid enim Pater habet, habet prius origine, quàm Filius intelligatur esse, vel produci.

Præterea, si voluntas in Patre prius natura non est in potentia proxima, & post generationem esset in potentia proxima in Patre; ergo Pater mutaretur à negatione potentiæ proximæ ad potentiam proximā. Aueitat Deus, nè ponamus mutationem in Patre diuino.

57. Respondetur. Hoc argu-

gumento probari, quòd Pater ęternus nihil creat, vel facit ad extra, quoniam principium factiuum ad extra non est in potentia proxima ad efficiendũ, nisi præsuppositis generatione Filii, & spiratione Spiritus sancti: quare Pater nunquam haberet principium factiuum in potentia proxima, nihilque faceret, quod est contra assertum domini, Ioan. 5. *Quæcunque ille* (scilicet Pater) *fecerit hæc & Filius similiter facit*. Et *Pater meus operatur vsque modò, & ego operor*. Sit ergo regula; quicquid Pater habet, habet prius origine, hoc est, à se, nō à Filio, nō à Sp. sancto.

Io. 5.

Aliud itaque est habere aliquid à Filio, vel Spiritu sancto, aliud est habere post Filiũ, vel Spiritum sanctum productum. Primo modo nil habet pater à Filio, aut Spiritu sancto. Secundo modo habet aliquid post productas personas, non quidem accipiendo prius, & posterius secundum durationem, sed accipiendo prius, & posterius secundum ordinem naturæ, vel originis, vel rationis intelligendi. Hoc pacto, Pater non habet relationes communes identitatis, similitudinis, æqualitatis ad alias personas diuinas, nisi post personas productas, quoniam omnis relatio præsupponit utrunque extremum secundũ ordinem naturæ, vel rationis. Ita quoque Pater habet potentiam proximam spirandi, & faciendi à se, sed post productionē Filii, vel etiā Sp. sancti. Non habet cũ mutatione, quia nō habet cũ ordine durationis.

58. Septimum argumentũ. Omnis resolutio multitudinis est ad unitatem, non unitatis ad multitudinem. Si autem Spiritus sanctus est a Patre, & Filio, una persona resoluitur ad duas: unica notio spirationis passiuæ resoluitur in duas, quæ sunt præsuppositæ in Patre, & in duas notiones, quæ sunt præsuppositæ in Filio; quod est absurdum.

Respondetur, in resolutione principiatorum, & principiorum, resolutio fieri potest, vel ad principium *quod*, vel ad virtutem actiuam, siue ad principium *quo*. Si loquamur de principio *quod*, sic resolutio omnium principiorum, est in Patrem, ut principium *quod* simpliciter primum: in quo est omnis virtus productiua tùm ad intra, tùm ad extra. Quando autem fit multiplicatio suppositi, semper in posteriore supposito est imminutio virtutis

Resolutio ad principiũ quo, & quod.

actiuæ

activæ, aut fœcunditatis. Vnde in Filio non est fœcunditas ad generandum, sicut hæc fœcunditas est in Patre; in Spiritu sancto non est fœcunditas ad generandum; sed nec ad spirandum: quæ tamen fœcunditas est in Patre, & Filio. In creatura nec est omnipotentia effectiua, neque vis creativa, aut fœcunditas ad creandum: quę tamen omnipotentia, & fœcunditas creatiua, est in Patre, Filio, & Spiritu sancto. Et uniuersaliter in ratione principij agentis, quantò magis multiplicantur sub primo principia *ut quod*; tantò ad pauciora est in eis vel virtus, vel fœcunditas; Nam ad plures effectus concurrit Deus, quàm sol, sol ad plures, quàm homo.

Resolutio ad principia quo, & quod.

59. Sed resolutio ad principium *quo* est ex opposito: proceditur enim à paucis virtutibus ad multas, & denique ad unum principium agens, in quo colliguntur omnes vires actiuæ. Quia igitur in processu à principio ad principiatum, proceditur à multis viribus, vel fœcũditatibus ad pauciores: hinc est, quòd in Patre, ut primo producente, tanquam principio *quod*, sunt omnes vires, & fœcunditates collectæ, & per consequens in illo sunt duæ notiones, generatio actiua, & spiratio actiua. In Filio agente est una vis, & fœcunditas spiratiua, sicut eadem fœcunditas est in Patre, ideò in utroq; est spiratio actiua. In Filio autem non est generatio actiua, quoniam habet principium *quo* generationis post actum adæquatum, non cum prioritate ad actum generandi. In Spiritu sancto neutra vis productiua ad intra est, quia non habet principium *quo* productionum cum primitate. Ideò nulla productio actiua est in Spiritu sancto ad intra, sed sola spiratio passiua.

60. Ad formam argumenti. Multitudo reducitur ad unum principium ut *quod*, concedo. Ad unum, ut *quo* secundum vires productiuas, nego; imò resolutio est ad omnes omnino vires, & fœcunditates possibiles. Secundum Scotum quidem non est reductio ad unum principium productiuũ formaliter, sed ad tria, intellectum, voluntatem, omnipotentiam. Secundum Bonauenturam, ac Thomam, ad unum formaliter est reductio, sed ad multa virtualiter. Et si fiat contentio de unitate principij *quo* respectu Spiritus sancti, concedo productionem eius

reduci ad unum principium *quo*, scilicet, in voluntatem fœcundam, & ad unum principiũ *quod*, scilicet, in Patrem, non autem in Filium solummodò.

Hæc disputata sint contra Arianos, & Semiarianos circa primam personam producentē Spiritus sancti. Sequitur, ut aduersus Theodoritanos discutiamus de secunda persona producente Spiritum sanctum, nempe de Filio.



QVAESTIO II.

Disputatio historica, vel Pars historica. An Spiritus sanctus sit productus à Filio.

1. DIsputatio de secunda persona producente Spiritum sanctum, quæ est Filius, duas in partes est distribuenda: in partem historicã, & in partem dogmaticam, siue disputatoriam; & in utraque parte accuratè, atque diffusè agendum instat.

Quod attinet ad partem historicam, quęrendus est author istius sententię negatiuæ, *Spiritus sanctus non est per Filium, neque ex Filio*. Atque etiam gradus istius erroris sunt recensendi.

Ergo Theodorus Episcopus Mopsuestiæ, seù Mopsi, quæ est urbs in Cilicia, primus mihi apparet assertor istius negatiuæ, *Spiritus sanctus non est per Filium*. Etenim in quinta 5. Syn. Synodo, collatione quarta in fine, recitatur impium symbolum impii huius Theodori: quo in symbolo asserit, Spiritũ sanctum. *Neque Filium esse putantes, neque per Filium essentiã accipientem*. Porrò Theodo- Baron. Card. rus iste, ex Baronio anno 427. num. 22. & anno 428. n. 30. & 31. fuit monachismi desertor, luxuria sordidus, à qua neque S. Ioannis Chrisostomi conatu ad pęnitentiam est adductus. Dum vixit, in angulo Mopsuestiæ delituit, sed post mortem eius discipuli hæreses illius promulgarunt: & ipse in quinta Synodo, tanquam hæreticus, & hæresiarcha, atque ut præcipuus author hæresis Nestorianæ, damnatus est. Cęterùm dum viueret, fuit præceptor Nestorij, Ioannis, Theodoriti, multorumque in Syria Sacerdotum. Ex quibus Nestorius euasit Patriarcha Constantinopolitanus, Ioannes Patriarcha Antiochenus, Theodoritus Episcopus Cyri, siue Cyrestenam: condiscipuli hi quidem fuere, sed ad vexandam Dei Ecclesiã ex venenato magistro, venenum hæresis spirare permissi sunt. *Prateol de uitis hæretic. verbo Nestorius.*

2. Nestorius Patriarcha Cõstãtinopolitanus hæresim contra Christum excitauit, docens in Christo duas esse personas, sicuti in eo duæ sũt naturę: atq; ponens in Christo duos esse Filios, unum Filium Dei impassibilem, alterum Filium Abrahæ, & Dauidis ex Maria passibilem: multasque alias his an- *Castr. ti. Christus hæret. 3.*

annexas hæreses per suos sequaces; & sua scripta sparsit in Græcia, in Syria, in AEgypto. Symbolum quoque Nestorianum est publicatū, quod in sancta Synodo Ephesina tomo 2. cap. 29. 30. 31. accusante Charisio, reprobatum est. Neque tamen author eiusdem symboli Nestorius extitit, sed Theodorus Mopsuestenus: quod clarissimè deprehendet, qui contulerit istud symbolum Nestorianum cum symbolo Theodori damnato in quinta Synodo, collatione quarta.

Symbolum Nestorianū reprobatur. Synod. Ephes.

3. Cùm autem prauum Nestorij dogma succresceret, Sanctus Cyrillus, Patriarcha Alexandrinus, zelo fidei armatus, tanquam præmunitionem aduersus hęreses, Nestorianam præsertim, scripsit librum de recta fide ad Imperatorem Theodosium (is liber est in primo tomo Conciliorum Venetæ editionis sub anno 1585) ex quo libro ad cartam 886. col. 1. hoc fragmentum refero. *Num Spiritu sancto, & igni baptizare opus sit solius humanæ naturæ? quis, quæso, istuc credat? Atqui cùm virum illum vocet, tametsi adhuc absentem, & inaspectabilem, spiritu nihilominus sancto, & igne baptizaturum prædicat. Immittit autem hic spiritum baptizatis, non alienum, sed eum, qui ex illo, & per illum est.* Quibus verbis Sanctus Cyrillus authoritate sancti Ioannis Baptistæ dicentis, Christum baptizaturum Spiritu sancto, & igne, duo præstat. Primò probat, Christum esse Deum contra Nestorium: eo quòd Nullus purus homo potest baptizare Spiritu sācto, Christus hoc potest, ergo Christus non est purus homo, neq; pura creatura, sed etiā Deus. Secundò declarat, quem spiritum Christus mittit in baptizatos. Christus verò mittit spiritum, qui ex ipso, & per ipsum est: atque adeò spiritum non alienum, sed proprium. Quæ secunda declaratio est contra symbolum Nestorianum in articulo de Spiritu sancto. Scripsit quoq; libros duos ad Reginas, & in secundo expresse docet, Spiritū sanctum esse abā bobus, Patre scilicet, & Filio.

S. Cyri. Alex.

Christus est Deus.

Spiritus ex Christo, et per Christū

4. Inualescente nihilominus hæresi Nestoriana, Cyrillus monuit Cęlestinum Romanum Pontificem; monitorias dedit ad Nestorium, conuocauit Synodum Alexandrinam, & una cum Synodo scripsit epistolam synodicam ad Nestorium, quę incipit, *Cum Saluator noster* (habetur hæc epistola in

pri-

primo tomo conciliorum car. 954. hoc eſt, in primo tomo cõcilii Epheſini, cap. 14.) in qua de Spiritu ſancto Cyrillus cum Synodo Alexandrina ita loquitur. *Nam etſi ſpiritus in propria perſona ſubſiſtat, eatenuſq; in ſeipſo conſideretur, quatenus ſpiritus eſt, & non Filius, non eſt tamen ab eo alienus: quandoquidem ſpiritus veritatis nominatur, Chriſtus autem veritas eſt; ſed & perinde quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit.* Cuius authoritatis duæ ſunt partes, prior affirmat Spiritum ſanctum non eſſe Filium, id quod verè affirmauit ſymbolum Neſtorianum: poſterior affirmat Spiritum ſanctum eſſe à Filio, quam partem falsò negabat ſymbolum Neſtorianum; ſic enim Cyrillus cautè verum approbat, reprobat falſum.

Cyril. Alex. et Synodus Alexand.

Chriſtus eſt Deus.

Spiritus ex Chriſto, et per Chriſtū.

5. In illa item epiſtola ſynodica ſunt duodecim capitula, ſiue anathematiſmi contra duodecim errores Neſtorii. Horum capitulorum, nonum præcipuè eſt conſiderandum propter doctrinam de Spiritu ſancto contentam. Capitulum nonum tale eſt. *Si quis unum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum à Spiritu ſancto, tanquam virtute abs ſe aliena glorificatum dixerit: efficaciamquè, qua contra immundos ſpiritus vteretur, & diuina inter homines miracula operaretur ab ipſo eodem accepiſſe prædicauerit, & non proprium, naturalemque illius eſſe ſpiritum, per quem diuina ſigna edidit; anathema ſit.*

Capit. 9 Cyrilli.

Denique cum fraude, & violentia ſchiſmaticorum, & hæreticorum contra concilium Epheſinum, Sanctus Cyrillus in carcerem truſus eſſet Epheſi: audiretq; duodecim capitula prædicta, iam per concilium Epheſinum approbata, peruerti per fraudem à ſchiſmaticis: ſua ſponte, (non rogatu Synodi, neque enim in Actis Synodi hęc rogatio apparet) ſcripſit ſuorum capitulorum declarationem, quę poſt concilium Epheſinum habetur in primo tomo conciliorum ad cartas 1112. Declaratio autem capituli noni, talis eſt. *Et ſi Vnigenitum Dei Verbum homo factum eſt: manſit tamen Deus, omnia pręter ſolam paternitatẽ, cum Patre æqualia & communia habens. Vnde Spiritum ſanctũ, qui ex ipſo eſt, ipſique eſſentialiter ineſt, tanquam proprium peculium poſſidens, diuinæ potentiæ ſigna operabatur. &c.* Vnde apertè patet Sancti Cyrilli fidem fuiſſe, quòd Spiritus ſanctus eſt ex Filio, & per Filium: ſine

Declaratio 9. capituli à Cyrillo facta.

Fides S. Cyrilli.

siue quòd producitur ex Filio, & à Filio, sicut à Patre, idque contra dogma symboli Nestoriani. Patet item, quòd propter originem, qua Filius originat Spiritum sanctum, spiritus est proprius Filii spiritus, non autem alienus. Nam si sola consubstantialitas atterderetur, non magis spiritus esset proprius Filii, quàm Pater, & Filius essent proprii ipsius Spiritus sancti. At nullus unquam dixit, quòd Spiritus sanctus possideat Patrem, & Filium tanquam proprium peculium: sed è contra, quòd Pater, & Filius possident Spiritum sanctum tanquam proprium peculium, nimirum ratione originis, non ratione cōsubstantialitatis.

Spiritus est proprius Filij et cur.

6. Tandem aduersus Nestorium, authoritate Cęlestini Papæ, atque Imperatoris Theodosii, celebratum est concilium Ephesinum, quod est tertium concilium generale. Iussiquè sunt Episcopi adesse Ephesi die Pentecostes, anno Domini 431. ex Baronio, hoc est, ad diem sextam Iunii. Affuere Nestorius, & Cyrillus ut pręsidens concilio nomine Cęlestini, pluresque Episcopi. Sed Ioannes Antiochenus condiscipulus, & consors Nestorii, moras nectens, expectatus est quindecim dies ultra præscriptum. Cùm peruenissent duo ex Episcopis Ioannis, Alexander Apameæ, & Alexander Hierapoleos Episcopi, ac dixissent Patribus concilij mandato eiusdem Ioannis, nè ipsum expectarent, sed Imperatoris pręcepta perficerent: die vigesima prima Iunii Acta concilii cæpta sunt: citatoquè legitimè Nestorio, & illius contumacia accusata, in concilio lecta est epistola Cyrilli, & Synodi Alexandrinæ cum duodecim capitulis, & à toto concilio est approbata. Lecta sunt scripta Nestorii, & reprobata sunt, atque ipse tanquam hæreticus excommunicatus est, & ab Episcopatu Constantinopolitano deiectus, ut videre est in primo tomo concilii Ephesini, & in Baronio ad annum 431.

Cælestinus Papa. Cōc. Ephes.

Io. Antiochenus Patriarcha.

Baron. anno 431. n. 40.

Nestorius damnatus

Concil. Ephes. Baron.

7. Quinta die post exauthoratum Nestorium, superuenit Ioannes Patriarcha Antiochenus, qui missos in occursum à sancta Synodo Episcopos, & Clericos, diù non admisit: admissos tandem verberari grauissimè fecit, etiam cum vitę discrimine: qua re cognita, Synodus excommunicauit Ioānem Antiochenum. Sed Ioannes seipsum fecit caput schismati-

Io. Antiochenus Schismatis caput.

maticorũ, & hæreticorũ, atq; cum quadraginta circiter Episcopis partim Pelagianis, partim Nestorianis, partim sua sede pulsis, conciliabulum instituit; damnauit tanquam hæretica duodecim capitula Cyrilli; deposuit Cyrillum, & Memnonem Episcopos catholicos, reliquos concilii Patres excommunicauit, vsquequò revocarent capitula Cyrilli. Acta conciliabuli schismatici facta sunt non in Ecclesia, sed clam in caupona: missa sunt Constantinopolim ad Imperatorem, quò nihil à catholicis mitti poterat. Nestorianorum enim diligentia, omnia intercipiebantur terra, mariquè. Ad extremum innotuit hæc fraudulenta schismaticorum tractatio catholicis, citatusque est Ioannes Antiochenus; sed ille nunquam ad Synodum accessit, sicut neque Theodoritus, qui erat vnus ex schismaticis Nestorianus. Tãdem post multas catholicorum pressuras, Imperatoris decreto, septem Episcopi ex catholicis, septem ex schismaticis, inter quos Theodoritus, Constantinopolim ad Imperatorem missi sunt. Imperator gestis recognitis, approbavit Acta sanctæ Synodi, & Nestorii depositionem; depositionem Ioannis non recepit, spe pacis. Atque non ita multò post, omnes Episcopos ad suas Ecclesias redire permisit. Constantinopoli quanta pro Nestorio præstiterit Theodoritus, & pro illius hæresi, legatur in Actis concilii Ephesini à Peltano editis, & apud Baronium anno 431. nu. 154. 155. 156.

Baron. ann. 431. n. 144.

Imperator Theodosius

apparatur Concily Ephesini.

Baron. an 431 n. 159.

Peltan. Baron.

Contra duodecim Cyrilli capitula scripsere multi.

8. Primus fuit Nestorius per illos anathematismos damnatus, qui contra illos scripsit durante concilio, ut videre est in primo tomo conciliorum car. 1035. Neque tamen Nestorius in eo scripto negavit Spiritum sanctum esse ex Filio, vel per Filium.

Impugnatores 12. capitulorum Cyrilli Nestor.

Secundus post absolutum concilium Ephesinum, hortatu Ioannis Antiocheni, scripsit Andreas monachus sub nomine Episcoporum Orientaliũ. Cuius scriptionis præmium à Ioanne Patriarcha Antiocheno prædicto, Episcopatum Samosatensem obtinuit, Baronio teste ad ann. Domini 431. nu. 180. Hæc oppositio Orientalium cum Apologetico Cyrilli, est in primo tomo conciliorum ad cart. 1157. Quod autem attinet ad nonum capitulum,

Andreas.

Præmium sceleris.

lum, neque Orientales ausi sint negare Spiritum sanctum esse ex Filio. Aiunt verò ista. *Nam ut Verbum est in substantia, & in subsistentia unigenitus, absq; passione natus; ita & Spiritus sanctus ex ipso procedens in propria subsistentia existit.*

Orientalium Schismaticorum dictum.

Tertius scripsit post concilium Ephesinum Theodoritus Episcopus Cyri (eiusdem Ioannis instigatione) reprehensiones duodecim capitulorum. Reprehensiones cum Cyrilli responsionibus habetur in primo tomo conciliorũ car. 1169.

Theodoritus hereticus & heresiarcha.

Theodoritus ergo ad cart. 1179. in reprehensione noni capituli, ausus est scribere, Spiritum sanctum non produci ex Filio, neque per Filium in hæc verba. *Proprium autem Spiritum (siquidem eiusdem cũ eo naturæ, & ex Patre procedens est) simul confitebimur, & tanquam piam suscipimus vocem. Si verò tanquam ex Filio, aut per Filium essentiam habere dicas, blasphemum hoc est, & tanquam impium aspernabimur. Credimus enim Domino dicenti: Spiritus, qui ex Patre procedit. Sed & sanctissimo Paulo dicenti similiter. Nos autem non spiritum huius mundi suscepimus, sed spiritum, qui ex Deo est.* Hæc Theodoritus hæreticus

Theodorit: heretici dictum.

Nestorianus ex primariis, & in dogmate de Spiritu sancto, hæresiarcha. Quibus verbis Theodoritus non solum respexit ad verba noni capituli, dicentia spiritum esse proprium Filii: sed ad verba Cyrilli declaratoria istius epitheti, *Proprium*, quæ ex libro de recta fide ad Theodosium, ex libris ad Reginas, ex synodica ad Nestorium, & ex declaratione noni anathematismi à Cyrillo edita, manifestatur, nempe Spiritum sanctum esse proprium Filii, quia ex Filio, & per Filiũ.

9. En spiritum erroris ex Theodoro Mopsuesteno in Theodoritũ Cyrensẽ hæresis propagatorẽ, & publicatorem deriuatum: quando Theodoritus scripsit contra sanctam Ephesinam Synodum, & contra Cyrillum à Synodo approbatum. Quam ob causam, pręterito nomine Theodori, Theodoritus author istius hæresis circa secundam personã productricem Spiritus sancti asseritur à Bellarmin. in lib. 2. de Christo cap. 21. col. 342. Suarezio de Deo trino, & uno lib. 10. cap. 1. Gregor. de Valent. tom. 1. disput. 2. q. 10. col. 685. Iodoco Coccio in Thesauro catholico tomo primo cart. 93. & 94.

Bellar. Suarez Greg. de Val. Coccius Vasquez. Zamorus. Capullus.

Vasquez tom. 2. in prima part. disp. 146. cap. 1. Zamoro de Deo tract. 10. q. 7. ar. 3. car. 853. Petro Capullio in 1. sent. dist. 11. punct. 1.

Qui autem ex recentioribus hæreticis Theodoriti partem sequantur, legi potest in Iodoci Coccii Thesauro, locis indicatis; nam & ex Latinis, quidam cum Theodorito, quàm cum Cyrillo, & cum tertia synodo sentire maluerunt.

Hæc est prima origo controuersiæ de spiritus productione à Filio, exorta apud Græcos inter Sanctum Cyrillum, & Theodorum, atque Theodoritum, quando iste contra sanctam synodum Ephesinam, & contra capitula Cyrilli conscripsit.

CAP. II.

Theodoriti reprehensiones contra Sanctum Cyrillum non fuisse lectas in concilio Ephesino.

Bessar.

10. BEssarion Archiepiscopus Nicænus fuit unus ex Patribus Græcis, qui in concilio Florentino interfuerunt. Is ad finem concilii Florentini tom. 4. conciliorum cart. 908. detexit responsionem Theodoritanorum ad hanc Synodi Ephesinæ doctrinam. *Dum enim* (inquiunt) *in tertia Synodo, quæ est Ephesina, lecta est reprehensio à Theodorito facta contra nonum anathematismum Cyrilli, Patres Synodi omnes conticuerunt, neque Theodoritum increparunt. Græci in hoc maximè confidunt, & pro insolubili argumento recipiunt, cùm Theodorito negante, Spiritum ex Filio, vel per Filium habere esse, & essentiam, concilium totum tacuerit.* Hæc apud Bessarionem.

Conc. Flor.

Scripta Theodoriti contra Cyrilli non lecta in Conc. Ephes.

Hęc responsio, vel argumentum ex pura ignorantia, vel ex pura malitia nititur mendaciis. Ex ignorantia, si non legerunt aduersarii synodi Ephesinæ Acta: ex malitia, si legerunt. Etenim si à capite ad calcem legantur Acta synodi Ephesinæ, nusquam in eis apparet, reprehensiones Theodoriti in concilio esse lectas; neq; Peltanus in editione illius concilij, neque Baronius in relatione illius eiusdem concilii, neque Liberatus in Breuiario id agnoscunt. Nisi ergo isti sequaces Theodoriti Photium imitentur, qui sibi concilia confingant; merum, ac purum fig-

Peltanus Baron. Liberatus

mentum, & mendacium est, in tertia synodo, Theodoriti reprehensiones lectas fuisse.

11. Secundò. In prima sessione Ephesini lectæ fuere, atq; approbatæ duæ epistolæ Cyrilli ad Nestorium, quarum secunda est cum duodecim capitulis. Nunquam in posterioribus actis eiusdem concilii epistolæ illæ sunt amplius lectæ, vel examinatæ: neque capitula in dubium reuocata.

Tertiò. Cùm quinta die post approbata capitula, & reprobatum Nestorium, superuenisset Ioannes Antiochenus, & cum eo Theodoritus, fecissetq; conciliabulum Ioannes in caupona contra concilium à Cyrillo præside Apostolico in Ecclesia celebratum: nunquam Ioannes, aut eius Episcopi schismacitiad concilium legitimum venerunt, nunquam aliquid scriptum miserunt ad orthodoxos, nisi iniustissimam damnationem Cyrilli, & Memnonis, atq; orthodoxorum excommunicationem. Nisi ergo in conciliabulo hæreticorum, schismaticorumq; existimant lectas reprehensiones Theodoriti, & propter has reprehensiones in conciliabulo fuisse damnata duodecim capitula, quod nos negligimus: certissimum est, neque Theodoritum, neque scripta eius à synodo catholica visa, vel audita fuisse.

12. Quartò. Baronius ad ann. 431. num. 179. & 180. narrat post synodum Ephesinam dissolutam, dimissos ad suas Ecclesias Constantinopoli Episcopos schismaticos: remissosq; omnes catholicos Epheso ad suas Ecclesias; tunc exhortatione Ioannis Antiocheni contra Cyrillum scripsisse Andream, atque Theodoritum. Sed anno 433. num. 20. testimonio Liberati antiquissimi historici (qui vixit circa tempora quintæ Synodi, ex Coccio tom. 1. cart. 1003.) patet Euoptium Episcopū misisse scripta Theodoriti aduersus Cyrillum, & eodem anno Cyrillum remisisse responsiones contra Theodoritum ad Euoptium. Certè Liberatus post pacem inter Ioannem Antiochenum, & Cyrillum Alexandrinum factam, atque post defensionem scriptam a Cyrillo, qua tuetur confessionem fidei à Ioanne Antiocheno factam, tradit Euoptium vt gratum ob defensionem pro Orientalibus, misisse reprehensiones Theodoriti ad Cyrillum. Et in ipsa Cyrilli responsione apparet,

Andreas, et Theodoritus contra Cyrillū quādo scripserint.

Euoptius ad Cyrillum.

Liberat.

paret, Cyrillum non sciuisse antea illas reprehensiones. Quæ si fuissent in concilio lectæ, non potuissent Cyrillo nō fuisse notissimæ. Patentissima est itaq; falsitas, quòd in synodo Ephesina lectæ fuerint reprehensiones à Theodorito scriptæ contra capitula Cyrilli, vel auditæ responsiones à Cyrillo datæ: quodq; concil ū auditis utriusquè vel reprehensione, vel responsione, silentio approbauerit quicquam, aut reprobauerit.

Andreas, et Theodoretus contra Cyrillū quadō scripserunt.

13. Quintò. Concilium Ephesinum ex 4. tomo Ephesini cap. 7. cart. 1076. excommunicauit Ioannem Antiochenum, & schismatis socios Episcopos, quorū unus erat Theodoritus, eo quòd legitimè vocati ad synodum, venire pertinaciter recusauerint. Non ergo auditus Theodoritus in concilio. At cur silentium in capitulo nono, in aliis nec silentium, nec locutio fingitur? Cur *ex & per filium* silētio probatur, reliqua contra 9. capitulum non approbantur?

Ioannes, ac Theodoritus contumaces.

Sextò. Si Ephesinum concilium primò approbat assertū Cyrilli affirmatiuum, *Spiritus est ex Filio*. Post hæc in lectione reprehensionis noni capituli, taciturnitate approbat negatiuam Theodoriti illam; *Spiritus non est ex Filio, neq; per Filium*: Igitur concilium approbauit duo cōtradictoria simul esse vera. Igitur concilium generale tertium approbauit falsum pro vero. Quis igitur neget concilia generalia in decretis de fide errare?

Concilium generale non errat in fide.

14. Septimò. Dato, non concesso, aduersariis, quòd synodus tertia tacuerit, nequè reprehenderit Theodoriti dictū. Theodoritus duas negatiuas protulit, primam, *spiritus non est ex Filio*. Secundam *Spiritus non est per Filium*. Si à silentio tertiæ Synodi approbata est prima, eodem silentio approbata est etiam secunda, quæ planè est hęretica, & ab aduersariis negata: quoniam sanctorum Patrum Gręcorum testimoniis obruuntur. Si verò dederint à tertia synodo fuisse approbatam utranquè negatiuam, iam cum conciliabulo schismatico, & hæretico Ioannis Antiocheni contendunt tertiam synodum erravisse. Quod fortè schismatici, & hæretici concederent. Sed nos non concedemus. Si autē silentio synodi tertiæ reprobata est secunda negatiua Theodoriti, certè reprobata est etiam prima negatiua.

Aut enim ambæ approbatæ, aut ambę reprobatæ sunt eodē silentio. Hoc argumento usus est Bessarion olim ad Græcos Patres, & nuper Bellarminus aduersus sectarios. Neque enim tertia Synodus errauit prius approbans, posterius reprobans Cyrilli doctrinã, nam non reprobavit: prout constiterit facilè ex epistola, quam concilium dedit septem legatis ad Imperatorem missis: & legi potest in 4. tomo Ephesin. cap. 19. atq; in Baronio anno 431. num. 145.

Bessarion, Bellarmin.

Tertia Synodus non errauit.

Baron.

Scripta Theodoriti damnata.

Octauò. Si tertia Synodus conticuit, quinta & sexta synodus omnia scripta Theodoriti contra capitula Cyrilli damnarunt.

15. Nonò. Patres tertiæ synodi debuerant secernere in synodica Cyrilli partem verã, & illam approbare: ac partem falsam, & illam reprobare, si aliquam falsam in fide putauissent. Neque in odium unius falsitatis veritas est neganda, neque ob amorem unius veritatis falsitas in fide est concedenda. Separandum est pretiosum a vili. Qua in re non solum tertia synodus errauisset, sed etiam quarta, quinta, sexta, septima, ut postea patebit, errauissent; quæ duas synodicas epistolas Cyrilli in tertia synodo approbatas absque ullo delectu, & exceptione approbarunt: & oppositam illis epistolis, Theodoriti scriptionem reprobarunt.

Falsũ à vero separãdum in rebus fidei.

Hic noto, longè aliter in approbandis, atque in reprobandis libris procedi. Nullus enim hæreticorum liber est, in quo non sint aliquę veritates: sed propter hæreses illis veritatibus adiunctas, toti libri reprobantur. At nullus liber absolutè est approbandus, in quo aliqua hęresis est deprehensa. Cũ igitur duæ epistolæ Cyrilli approbatæ in tertia synodo sine ulla exceptione fuerint: approbatæ in quarta, quinta, sexta, septima synodo, manifestum est in eis nullum errorem contra fidem contineri. Dicam tamen, à quibus sũt reprobatæ epistolæ, & præsertim duodecim capitula Cyrilli: dicamq; cum Theodorito scribente ad Domnum, qui fuit Antiochię Patriarcha post Ioãnem schismatis authorem cõtra synodum Ephesinam.

Libros approbandi, aut reprobandi ratio.

Cyrilli synodicę in quibus Synodis approbatę aut reprobatæ

Baron. ann. 433. num. 10.

Sunt enim (inquit Theodoritus) *iuxta morem consuetũ synodi, plusquam quinquaginta synodica gesta, & scripta, quæ duodecim capitulorum damnationem ostendunt.* Scilicet synodi

Theodoritus loquitur.

nodi schismaticorum, & hæreticorum plusquam quinquaginta contra synodum Ephesinam, & Cyrilli capitula facta sunt sub Ioanne, & eius nepote, ac successore Domno. Vnde patet post pacem factam cum Cyrillo, fictam pacem fuisse in animo Theodoriti, & schismaticorum: atq; Theodoritum nunquam capitula synodi Ephesinæ recepisse, sed illa sẽper abiecisse, atq; suas reprehensiones contra Cyrilli capitula pertinaciter retinuisse: Quod ita sentiam, nisi quis mihi ostenderit ex Theodorito, vel alio authore probato, reprehensiones à Theodorito reprobatas, & capitula Cyrilli recepta. Quod hactenus a nemine probatum scio.

Pax, vel pœnitentia Theodoriti ficta.

16. Denique ex hac fictitia responsione à Bessarione relata, liquet, Catholicos esse sequaces Cyrilli, aduersarios esse sequaces Theodoriti, qui primus contradixit in dogmate de productione passiua Spiritus sancti à Filio, sanctæ synodo Ephesinæ, ac Cyrillo. Quod ex duabus contradictoriis eorundem authorum constat. Hinc Marcus Ephesius in concilio Florentino sess. 23. car. 867, 4. tomi conciliorum, clarè docet, se Theodoriti esse sequacem. Theodoritus verò Nestorianus erat, atque Nestorianorum signifer præcipuus, & pro Nestorio contra Cyrillum reprehensiones composuit. Talem ducem habent aduersarii, atq; hic est primus gradus huius hæresis, *Spiritus non est ex Filio, vel per Filium*, in Nestorianis fundatus, Hoc igitur errore historiæ confutato, prosequamur historiam huius erroris ex Nestorianis, & Nestoriano symbolo exorti; atque etiam in primis historiam approbatæ veritatis catholicæ.

CAP. III.

Approbatio doctrinæ S. Cyrilli recepta in tertia Synodo, & præsertim de Spiritus sancti productione ex Filio.

17. TRes epistolæ S. Cyrilli sũt fama clariores, duę quidem ante synodum Ephesinam scriptæ ad Nestorium: una est à solo Cyrillo scripta, quæ incipit, *Intelligo quosdam*

Epistola Cyrilli clariores.

meæ apud tuam pietatem &c. & cõtinetur in primo tomo Ephesini cap. 12.

Altera est à Cyrillo cum Synodo Alexandrina perscripta ad Nestorium, & in primo tomo Ephesini est cap. 14. in qua secunda continentur duodecim capitula, siue anathematismi. Quæ incipit, *Cùm Saluator noster*. Hæ ambæ scriptę fuerunt ante concilium Ephesinum, & in prima sessione Ephesini lectæ, & receptæ sunt à concilio Ephesino. Postquã autem concluso concilio, Patres Epheso recesserunt, non cessauit statim schisma Ioannis Antiocheni contra Cyrillum, & synodum orthodoxam. Verùm Theodosij Imperatoris opera, sequenti anno Ioannes cum concilio Antiochiæ convocato, fidei suæ confessionem scripsit, & per Paulum Episcopum Emesenum ad Cyrillum Alexandrinum misit: ut si Cyrillus in illam fidei confessionẽ subscriberet, pax sequeretur, quæ & sequuta est. Tumque Cyrillus ad Ioannem, & Orientales Episcopos tertiam epistolam scripsit, quę incipit, *Lætentur cæli, & exultet terra*. Atque in tomo 5 Ephesini cap. 6. adest cart. 1129. Hæc admonitio necessaria est, quoniam in tertia Synodo duæ priores approbatæ sunt: tertia epistola, quæ nondum scripta erat, approbari non poterat Sed in posterioribus synodis, quandoque fit mentio duarum priorum ad Nestorium datarum sine additione tertiæ ad Orientales: quandoque etiam tertia ista est approbata.

Theodosius pacis Ecclesiasticæ author.

18. Prima igitur approbatio doctrinæ Cyrilli de Spiritus productione ex Filio, sive à Filio, fuit ĩ tertia synodo generali, quę est Ephesina. Et cõsequẽter quę Theodoritus scripsit cõtra Ephesinam synodum, & epistolam ab synodo approbatam, atque capitula duodecim, illa prius sunt damnata, quam nata.

Concil. Ephes.

Secunda approbatio est in 2 tomo conciliorum in 4. concilio generali, scilicet Chalcedonensi, sub Leone primo Pontifice, & Martiano Imperatore. In prima actione cart. 226 ad finem, Iudices Imperatoris Martiani nomine edicunt, quòd Imperator *Secundum canonicas epistolas, & expositiones sanctorum Patrum Gregorij, Basilij, Hilarij, Athanasij, Ambrosij, & Cyrilli duas canonicas epistolas in Ephesina prima Synodo publicatas, & confirmatas credit, nullo modo ab earum fide recedens.*

Conc. Chalcedon.

Martianus Imperator et eius fides.

dens. Hæc eadem replicantur actione quarta cart. 263. col. 1. & 2.

Insuper actione quinta in definitione de fide ad cart. 277 synodus Chalcedonensis ait. *Sācti Cyrilli, qui Alexandrinæ pastor Ecclesiæ synodales epistolas ad Nestorium scriptas, atque Orientales, utique sibi consentientes, amplexata est*.

Concil. Ephes.

Quinta Synodus.

19. Tertia approbatio est in quinto concilio generali, quod Constantinopoli est celebratū, & reperitur in 2. tomo conciliorum. In ista Synodo action. 6. cart. 744. recensentur duodecim capitula Cyrilli. Recipitur quoque concilii Chalcedonensis definitio, approbans synodicas Cyrilli, & epistolam ad Orientales. Idem repetitur ad car. 752. col. 2. & car. 754. col. 2. atque in fine collationis sextæ gloriosissimè acclamatur. *Chalcedonensis synodi, & Cyrilli æterna memoria*.

Conc. Chalcedon.

Marcianus imperator eius dei.

Scripta Cyrilli approbata a Theodoriti reproba.

Præterea, non solùm approbata sunt in quinta synodo Cyrilli capitula, sed etiam omnia scripta contra illa capitula, & speciatim scripta Theodoriti sunt damnata. Ita in collat. 8. canone 13. cart. 774. statuit quintum concilium.

Canon. 13. quintæ synodi.

Si quis defendit impia Theodoriti conscripta, quæ contra rectam fidem, & contra Ephesinam sanctam synodum, & sanctum Cyrillum, & duodecim eius capitula exposuit: & omnia, quæ conscripsit pro Theodoro, & Nestorio: Insuper autem & omnes, qui scripserunt contra rectam fidem, & Sanctum Cyrillum, & duodecim eius capitula, & usque ad mortem in tali impietate permanserunt, talis anathema sit. Videmus clarissimè omnes scriptores, & nominatim Theodoritum, & omnia scripta Theodoriti, præsertim contra Cyrilli epistolas, & capitula, esse damnatos. Quæ maior approbatio Cyrilli, aut reprobatio Theodoriti desiderari potest? In hac damnatione damnatur etiam scriptum Theodoriti contra nonum capitulum Cyrilli, & contra epistolam in synodo Ephesina prolatam: dum Theodoritus blasphemus inquit, blasphemum esse, quòd Spiritus ex Filio, vel per Filium essentiam habeat. Hoc anathemate Marcus Ephesius, & omnes Theodoriti sequaces percelluntur.

Concil. Later. sub Martino 1.

20. Quarta approbatio Cyrilli, & nova reprobatio Theodoriti habetur in tertio tomo conciliorum, in concilio Lateranensi sub Martino primo consultatione quarta, ad cart.

140. col. 2. Recipiuntur illic duodecim Cyrilli capitula, tanquam symbolum Ephesinum. Et ad cart. 144. canone 13. ad verbum repetitur canon 13. quintæ synodi paulò ante relatus contra scripta Theodoriti aduersus Cyrillum.

Quintò approbata est utraque epistola synodica Cyrilli, & tertia epistola ad Orientales, imò tota doctrina Cyrilli; & nominatim reiecta sunt impia Theodoriti conscripta aduersus Cyrillum, & eius duodecim capitula, in sexta synodo actione 11. in epistola Sophronij cart. 314. col. 1. & 2.

Sexta Synodus.

Ac rursus in eadem sexta synodo actione 17. in definitione de fide cart. 350. col. 2. supradictæ duę epistolæ Cyrilli, & tertia epistola ad Orientales est approbata. Scripta verò Theodoriti contra Cyrillū, & eius duodecim capitula tertiò sunt reprobata in eadem synodo, act. 18. cart. 368.

21. Sextò in septima synodo, quæ est secunda Nicæna tomo 3. conciliorum, Actione tertia legitur, & approbatur synodica epistola Theodori Patriarchæ Ierosolimitani, in qua ad cart. 491. scripta Theodoriti reprobantur quarta vice. Vt vehementissimè mirandum sit, qua fronte, & conscientia quisquam ausus sit aliquid ex illis Theodoriti scriptis asserere, vel defendere. Hę sunt approbationes de Cyrillo; qui statim post Ephesinam synodum tantum authoritatis adeptus est apud catholicos, ut cùm in quarta synodo epistola S. Leonis Papę legeretur, et Episcopi quidam dubitarent circa aliquas epistolæ particulas; non prius epistola sit recepta, quàm fuerit ex authoritate Cyrilli roborata.

Septima Synodus.

Cyrilli gloria ex S. Leonis epistola

22. Pręter concilia generalia hæc, adsunt etiam concilia provincialia multa, in quibus eadem doctrina de Spiritu sancto ex Filio recepta est, durante primo gradu hæresis, usque ad secundum gradum, qui tempore septimæ synodi ultimo citatæ, & inferius citandæ, cœpit.

Synodus Alexandrina, præside S. Cyrillo congregata, per epistolā synodicā *Cùm Salvator*, quæ est secunda Cyrilli approbata in tertia Synodo, & sequentibus, docuit Spiritum esse ex Filio, quemadmodum ex Patre est.

Synodus Alexand.

Secundò in concilio Toletano primo, ac Celenense primo, coacto iussu S. Leonis primi Papæ, ut patet in epistola S.

Concil. Tolet.

Leo-

Leonis ad Turibium Asturicensem Episcopum.

Concilium Toletanum primum est in primo tomo conciliorum ad cart. 767. & ad cart. 769. est assertio fidei eiusdem concilij hæc habens ad rem. *Credimus Spiritum quoq; esse paracletũ, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed à Patre, Filioq; procedens.* Baronius ad ann. Domini 447. num. 19. ad istud concilium refert additionem particulæ, *Ex Filio*, in symbolũ inductam; eamque factam authoritate S. Leonis in citata epistola ad Turibium; addita verò est particula, ut per eam detegerentur Priscillianistæ. Sic nanq; scribit S. Leo contra Priscillianistas. *Primo itaque capitulo demonstratur, quàm impiè sentiant de Trinitate divina, qui & Patris, & Filij, & Spiritus sancti unam, atq; eandẽ asserunt esse personam: tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur: nec alius sit, qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque processit.*

Spiritus à Patre & Filio.

Baronij opinio de additione ad symbolum.

S. Leo contra Priscillianistas.

23. Tertiò. Toletanum tertium est in secundo tomo conciliorum ad cart. 860. referturque ad ann. 589 In eo concilio Recaredus rex fidem confitens ait. *Spiritus sanctus confitendus à nobis est, & prædicandus à Patre, & Filio procedere: & cum Patre, & Filio unius esse substantiæ.* Recitantur in isto concilio symbolum Nicænum primum, & symbolum Constantinopolitanum sine additione. *Filioque*. Verùm cart. 862. dum Ariani iubentur anathematizare errores suos; sic dicere præcipiuntur. *Quicunque Spiritum sanctum non crediderit à Patre, & Filio procedere: eumq; non dixerit coæternum Patri, & Filio & coessentialem, anathema sit.*

Concil 3. Tol.

Error Arianorum abiuratus.

Quartò. Concilium Toletanum quartum in tomo tertio conciliorum cart. 67. col. 2. ad ann. 643. habet. *Spiritum verò sanctum nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre, & Filio profitemur.*

Conc. 4 Tolet.

24. Quintò. Conciliũ Toletanum sextum circiter annũ 648. ex tertio tomo conciliorũ cart. 84. cap. 1. scripsit. *Spiritum verò sanctum neque genitũ, neque creatum sed de Patre, Filioque procedentem, utriusque esse spiritum, ac per hoc substantialiter unum sunt, qui & unus ab utroque procedit.*

Conc. 6 Tolet.

Sextò. Concilium Toletanum octauum anno 654. in tertio tomo conciliorum cart. 187 col. 1. profert confessionem fi-

Conc. 8 Tolet.

dei, sicut in Missarum solemnijs recitatur. In ea scriptum est. *Et in Spiritum sanctum vivificantem, ex Patre, & Filio procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum: qui loquutus est per prophetas*. Atque hoc est concilium, in quo primò (quantum reperire potui) symbolum in Missa recitatum ponitur cum particula, *Ex Filio*.

Symbolum in Missa.

Nota.

Septimò. Concilium Toletanum undecimum, anno 674. tomo tertio conciliorum cart. 217. col. 1. in qua Patres affirmant, Spiritum sanctum *Non tamen genitum, vel creatum, sed ab utrisque procedentē, amborum esse spiritum. Hunc etiam Spiritum sanctum nec ingenitum, nec genitum credimus: ne aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus: aut si genitum, duos Filios prædicare monstremur; qui tamen nec Patris tantùm, nec Filij tantùm, sed simul Patris, & Filij Spiritus dicitur.*

Conc. 11. Tolet.

25. Hæ sunt approbationes doctrinæ Cyrilli, & in generali quoad tres epistolas, & capitula duodecim: & in speciali quoad articulum de productione passiva Spiritus sancti à Filio: simulquè & reprobationes scriptorum impiorum Theodoriti contra sanctam Ephesinam synodum, & contra Sanctum Cyrillum. Apparetquè controuersiā hanc inter Græcos Cyrillum Catholicū, atque Theodoritum Nestorianum exortam, atque cum Nestorianis duravisse contra catholicos Græcos, aut Latinos, inter quos durante hoc primo gradu, semper fuit concordia, sive diceretur spiritus esse *ex Filio*, sive quod idem est, *per Filium*.

CAP. IV.

An definitum de Fide sit in prædictis concilijs, generalibus præsertim, spiritum esse ex Filio, vel per Filium.

26 FRanciscus Suarez tomo de Deo trino, & uno lib. 10. qui est de Spiratore, cap. 1. opinatur, non satisfuisse ad definiendum de fide, quòd Spiritus sanctus sit ex Filio, approbationes synodicarum Cyrilli in conciliis capite præcedenti relatis; quoniam illa concilia non erant congregata ad hoc dogma de processione Spiritus a Filio declarandum.

dum.

Ego verò fateor, magni interesse in conciliorum doctrinis, ac definitionibus intelligẽdis, animaduertere ad quidnam explicandum concilia cõvocentur. Sed tamen est observandum sub principali instituto, multas quandoque partes, multasq; annexas veritates contineri, quæ in eodem concilio de fide determinãtur. Vt concilium Tridentinum congregatum est ad extinguendas hæreses Lutheri, & Calvini, & sequacium. Actum est, exempli causa, de Iustificatione. An sola illa, quæ Lutherus negabat sunt de fide, & non tota tùm doctrina, tùm canones etiam sunt de fide? Ità dicito de sacramento Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Ordinis, de sacrificio Missæ, & aliis multis. Ita quoque in concilium Ephesinum convenere Patres ad examinandum doctrinam Cyrilli, & Nestorii. Cyrillus, & cum illo synodus Alexandrina prius, Ephesina posterius, non solùm unam controversiam iudicavit, sed omnes partes, & annexas quæstiones synodis propositas. Atque iudicio facto approbavit Cyrilli secundam synodicam totam, & omnes eius partes: alioqui

Conciliorum et doctrina et canones sũt de fide

Multæ assertiones inter Cyrillũ et Nestorium controversa.

aliqua in parte errasset, quod est absurdum; cùm synodus illa convocata, directa, & confirmata fuerit à summo Pontifice Cælestino. Igitur & istud dogma, quòd Spiritus sanctus est ex Filio procedens sicut ex Patre, concilium de fide firmavit, & Pontifex.

Spiritũ ex Filio esse est de fide definitũ.

27. Secundò. In synodo solet præmitti doctrina de fide, quæ doctrina sit fundamẽtum ad sanciendos canones oportunos, sicuti in Tridentina synodo factum cernimus. Idipsum factum est in synodica Ephesina ad Nestorium. Primò nanquè Cyrillus proponit doctrinam de fide, secundò duodecim anathematismos, hoc est, duodecim canones ex doctrina illa elicitos. Si autem doctrina non sit de fide, quo pacto canones ex ea educti erunt de fide?

Tertiò. Non dissentiebat à Cyrillo Nestorius in unica propositione, sed in pluribus, ut in duodecim capitulis Cyrilli contra Nestorium apertissimè cernitur. Iam consideremus nonum capitulum. Nestorius volebat Christum esse purum hominem, operariquè miracula non propria virtute, ut Deus operatur, sed virtute Spiritus sancti aliena, & maiori,

Nestorij error relatus.

 sicuti

sicuti operantur sancti homines miracula, Ita Petrus Act. 3. loquebatur ad Iudæos. *Quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare?* Petrus faciebat miracula non virtute propria, & æquali sibi, sed virtute aliena, & maiori, quàm esset Petrus.

Act. 3.

Concilij Ephesini sensus.

28. Cyrillus, & sacra synodus tenētes, Christum unum, & eundem esse hominem, & Deum, ex consequenti asserunt Christum ut Filium Dei fecisse miracula Spiritu sancto, ut virtute propria, & Spiritu proprio ipsius Filii, ita ut Spiritus non sit maior virtus, quàm sit Filius, neque aliena virtus à Filio. Sicut & Pater operatur Verbo miracula, non ut alieno, sed proprio, & virtute non maiori, non aliena, sed propria. Ea propter Cyrillus, & synodus debuit explicare, in quo consistat hæc ratio proprii, quæ etiam in nono capitulo posita est.

Cur Verbū sit virtus propria Patris, et Spiritus virtus propria.

Cùm autem in Spiritu sancto non sint nisi duæ rationes; ratio essentię communis tribus, & ratio originis propria ipsius, qua origine spiratur. Spiritus non est proprius ratione essentiæ communis tribus, quia commune, ut commune non est ratio proprii. Vnde si spiritus ex solo Patre procedit ad intra, nō magis Spiritus est proprius Filii, quàm Filius sit proprius ipsius Spiritus, ut supra dixi. Imò etiam Pater erit proprius ipsius Spiritus, & Spiritus operabitur miracula Patre, ut virtute propria, quod est falsissimum.

Duæ ratione in Spiritu sancto.

29. Ideò S. Cyrillus, & sancta synodus recurrit ad originem; quia enim spiritus est spiritus veritatis, id est Christi, ideò spiritus ex Christo, sicut ex Deo Patre procedit; atque ideò est propria virtus Filii, qua virtute Christus fecit miracula, & clarificatus est, non virtute maiori, vel aliena, sed æquali, & propria; æquali quo ad essentiam, propria quo ad originem.

Qua virtute Christus miracula fecit.

Nunc legantur verba epistolæ spectantia ad doctrinā: *Cæterùm cùm de Spiritu sancto ait, ille me clarificabit, nisi errare velimus, Christum Dei Filiū, veluti gloriæ, quæ aliunde proficiscitur indigum, à Spiritu sancto glorificatum, nequaquam dicemus. Siquidem spiritus eius neque illo melior, neque illo rursum sublimior est. Verùm quod ad divinitatis suæ significationē suo subinde spiritu in insignium operum perpetratione uteretur,*

ob

ob id ab illo se glorificari profitebatur. Perinde ac si quis nostrũ de sua fortitudine, aut cuiusuis rei scientia dicat: mea me virtus, aut scientia glorificabit. Nam etsi spiritus in propria persona subsistat, eatenusque in seipso consideretur, quatenus spiritus est, & non Filius, non est tamen abeo alienus: quandoquidẽ spiritus veritatis nominatur, Christus autem veritas est; sed perinde quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit. Videmus Christum operari miracula Spiritu sancto, non tanquam virtute maiori, aut superiori, sed coessẽtiali, & coęquali. Nõ etiam tanquam virtute aliena, sed propria, quæ proprii ratio exponitur per genitiuum, est *Spiritus veritatis, &* per *procedit à Filio, sicut à Patre*. Ecce intentio Cyrilli, & concilii in anathematismo nono est, ostendere Christum operari spiritu, ut virtute propria subsistente. Propria est, quoniam à Filio ita procedit, sicut à Patre. Quapropter ex principali instituto contra hanc partem hæresis Nestorianæ concilium Ephesinum definivit.

Quia virtu- te Chri- stus mi- racula fecit.

30. Hanc autem fuisse Sancti Cyrilli, atque adeò synodi totius intentionem, ex delaratione spontanea duodecim capitulorum à Cyrillo facta in præfatione nitet, ubi Nestorianorum sermones insanos, & impura dogmata se voluisse refutare testatur.

Declaratio noni capituli Cyrilli.

Adhęc legatur declaratio noni capituli cart. 1116. col. 2. *Et si unigenitum Dei Verbum homo factum est, mansit tamen Deus, omnia præter solam paternitatem cum Patre æqualia & communia habens. Unde Spiritum sanctum qui ex ipso est, ipsique essentialiter inest, tanquam proprium peculium possidens, divinæ potentiæ signa operabatur. Quare etiam posteaquam factum est homo, Deus manebat, & per consequens proprij spiritus virtute miracula patrabat.* Qui verò dicũt *illum tãquam unum ex reliquis sanctis nobis similibus Spiritus sãcti virtute glorificatum, eaque non ut divina, & propria, sed tanquam aliena usum, &c. Illi merito anathematismi huius iaculo feriuntur.*

Si in 4. thesauri Cyr. Alex. cap. vlt præclarè.

Error Nestorij erat, Christum gloriosè operatum Spiritu sancto, ut virtute aliena, & maiori, sicut Petrus, verbigratia, operabatur miracula. Cyrillus ex principali intentione docet, Spiritum esse Filii virtutem divinam, & propriam: divinam, quia Spiritus in Filio

excellen-

essentialiter inest : propria, quia ex Filio est.

Argumentũ Cyrilli contra Nesto.

31. Arguitq; Cyrillus. Verbum & ante incarnationem, & post est idem Verbum : sed antea operabatur spiritu, tanquam virtute propria, igitur & Verbum incarnatum operabatur spiritu, ut virtute propria.

Rationem affert, quoniam omia, quæ habet Pater, præter solam paternitatem, Filius quoque habet. Sed Pater habet principium spiratiuum cũ prioritate ad actum spirandi, habet spirationem activam Spiritus sancti, habet Spiritum ut proprium peculium possessum. Igitur & Filius hæc habet, atque possidet Spiritum ut proprium peculium. Itaque inter Filium, & Spiritum, est relatio disquiparantiæ possidentis, & possessi : at hæc relatio non competit Spiritui ratione essentiæ, quia in essentia, ut sic, æquiparantur. Ergo cùm in divina persona nil sit, nisi vel ratione essentiæ, vel ratione originis : Spiritus est possessus, Filius possidens Spiritum, ut proprium ratione originis : atque adeò Filius originat, Spiritus originatur ex Filio.

32. Theodoritus quoque, quamvis ut versipellis dissimulet, agnouit in reprehensione sua Cyrilli mentem, dicens. *Si dicas spiritum esse proprium Filij ratione essentiæ, id ut pium recipimus. Si quia spiritus ex Filio, vel per Filium accipiat esse, ut blasphemum reijcimus.* In utroquè asserto impius; neque enim ratione essentiæ Spiritus est proprius, intelligẽdo essentiam præcisè, quia commune, ut commune, non est ratio proprii. Sed ratione essentiæ cum origine activa, vel principio activo originante coniunctæ, iam est ratio proprii. Id quod ex epistola Cyrilli ad Orientales aduertere licet; est enim spititus non alienus à Filio secundum essentiæ rationẽ; quod probat per relationem spiritus ad Filium, est enim spiritu Iesu, Act. 16. & spiritus Christi, Rom. 8. Ergo ratione essentiæ à Filio acceptæ, cuius Filii est ipse Spiritus, non est alienus à Filio, sed ei proprius.

Inventio Cyrilli nota Theodorito, sed simulatione tecta.

Epist. Cyrilli ad Orientales.

32. Hanc intentionem suã Cyrillus in defensione noni capituli contra Theodoritum latè prosequitur. Pauca repono. *Glorificans quidem Iesum Spiritus sanctus inopinabilia operantem. Veruntamen sicut Spiritus eius, non ut Aliena virtus, & eo superior, secundum quod intelligitur Deus &c.*

Defensio noni capituli Cyrilli.

Idem in defensione noni

anathematismi contra Orientales ait. *Credant nobiscum, quod non operandi facultatem accipit, quasi Meliore quadam, & Aliena ab illo virtute. Ipse autem potius efficaciter divina signa, quasi per proprium spiritum* &c. Cùm igitur de per se intentione Cyrilli sit, Christū fecisse miracula spiritu, ut virtute non maiori, sed æquali, & id propter identitatem essentiæ: propria, non aliena, atq; id ratione originis, vel essentiæ cū origine: est quoque de per se intentione declarare, quòd Spiritus est Filii, sicut & Patris, atque quòd procedit ex Filio, sicut ex Patre. nam sic Spiritus est virtus subsistens possessa ab utroque possidente, seù producente.

33. Præterea. Symbolum Nestorianum expressè dixit, Spiritum non accipere essentiā per Filium, qui error contra Patrum opinionem non debuit prætermitti; ea propter Cyrillus in doctrina de fide hunc etiam errorem Nestorianorum profligare, & veritatem de fide statuere voluit. Cyrilli verò intentio, & concilii eadem est.

Error symboli Nestoriani.

Amplius. Synodica secunda Cyrilli examinata est in quinquaginta synodis hæreticorum, in quinque synodis generalibus catholicorum: ut nulla syllaba eius videatur non trutinata, & expensa, præsertim cùm Theodoriti, & Cyrilli scripta contraria, fuerint in quinta synodo collata, & Cyrilli synodica approbata, Theodoriti reprehensiones damnatæ, & reprobatæ. Atqui hæc non postrema est inter contradictiones eorum, dum Cyrillus dixit, spiritum esse, & procedere ex Filio, sicut ex Patre, Theodoritus negaverit, atque ut blasphemam taxaverit illā affirmativam, spiritus est ex Filio, vel per Filium. Igitur saltem in quinta synodo collecta ad condemnandum Theodorum Mopsuestenum, atque Theodoritum, ex professo ista controversia decisa est, ut expressè inter Cyrillum, ac Theodoritum commota.

34. Summa sit. Cùm convocatum fuerit concilium Ephesinum ad condemnandam hanc hęresim Nestorii, Christus operabatus miracula Spiritu, ut virtute maiori, & aliena est idē ex gratia Spiritus sancti. Necessariū fuit statuere, Spiritum esse coessentialem, & coæqualem Filio, atque proprium Filii, sicut & Patris. Cùm autem non sit proprius ratione es-

essentiæ, (ne & spiritus operetur Patre, ut propria virtute possessa; nè operetur Filio, ut virtute propria, & proprio peculio: ne & Filius operetur Patre, ut virtute possessa, & peculio proprio) restat, ut concilium cum suo Præside Cyrillo debeat asserere, quòd spiritus sit passivè originatus à Patre, & Filio, ac proinde sit proprius utriusque. Quare & hoc definivit, ut de fide tenendum. Hanc ob causam frequenter S. Cyrillus scripsit, spiritum esse ex Filio, quemadmodum est ex Patre, prout plurimis Cyrilli authoritatibus ostendit Bessarion Orat. habita ad Græcos in concilio Florentino.

SECVNDVS GRADVS

Theodoritani erroris affertur.

CAP. V.

35 CAEpit primus gradus erroris Theodoritani in Nestorianis, vt hactenùs perspectum est. Secundus gradus in Iconoclastis. Defuncto quippe Theodorito, & per sanctam synodum damnato tùm Theodoro Mopsuesteno, tùm Theodorito, hęresis eius oppressa iacuit. Sed cum Iconoclastarum vesania potentior revixit. Etenim Constantinus Copronymus Imperator Cōstantinopolitanus Sanctorum, & imaginum sacrarum acerrimus hostis, magnis cum catholicorum iacturis, atque tormentis, & mortibus suam hæresim propagabat. Cognoscens autem se, ac suam hæresim ab omnibus Ecclesiis Occidentalibus, præsertim à Romana damnari. Vnde & Exarchatus Ravēnas ab eo defecit, & tributa ex Italia negata sūt; quæsivit omnem occasionem damnandi Occidentales.

Iconoclastæ.

Constātini Copronymi hęreses.

36. Aduertensquè in Occidentalibus Ecclesiis quibusdam celebrari Missam, & symbolum cum additione, *Filioque*; ab omnibus tamen hoc defendi; misit Legatos ad Pipinum Caroli Magni Patrem cum muneribus ad ipsum, & eius aulicos, tùm ut pacem cum eo sancirent, atque auxilium ab eo obtinerent ad ea recuperanda, quæ in Italia amiserat: tùm etiam ut hæresim suam

Exarchatus Ravēnæ.

suam suaderent, primò sacras imagines non esse colendas, sed effringendas: secundò Spiritum non procedere ex Filio, sed ex Patre tantummodo. Nec frustra inimicus homo superseminauit zizania, nam ad malum euellendum necesse fuit cogere concilium Gentiliaci in Gallia, in quo inter Græcos illos, & Gallicanos Episcopos de dogmatibus prædictis disputatum est: Gallis & sacras imagines defendentibus, & particulam *Filioque*. Consule Baron. ad ann. 766. num. 31. 32. 33. Dogma de Spiritu procedente ex Filio, retinuit inconcussum Gallia; sed plurimi circa sacras imagines errauerunt, & quidem ex Prælatis, & doctis dicentibus, imagines non esse tollendas, sed neque esse colendas. Lege Baron. ad ann. 794. à numero 40. ad 88. 89. 90. videbisquè, quàm sit periculi plenum cum hæreticis colloquium.

Concilium Gentiliacense.

Baron. Bellarmi. 10. 2 lib. 2. de Christo cap. 21.

Error quorundā Gallorum. 2. Bell. to. 2. de betitu. lib. 21. c. 14.

37. Non fuit sufficiens concilium Gentiliacense, imò post Copronymi mortem sub Constantino, & Irene conuocatum est concilium secundum Nicænum, quæ est septima synodus generalis, Hadriano Papa congregante, dirigente, confirmante eandem. In septima synodo Actione ult. (& est in tertio tomo conciliorum cart. 589 col. 1.) ponitur confessio fidei, hoc est symbolum, quod hodiequè celebratur in Missa, atque in eo est, *Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur.* &c. Statimquè post fidei confessionem, ponitur approbatio sanctarum imaginum, & cultus earum. Eademque sessione uterque error ab Iconoclasta Copronymo inductus, repellitur. De errore circa Spiritum sanctum, non est habita disputatio, cùm ex synodo Ephesina, quę est tertia, ex Chalcedonensi, quæ est quarta synodus, ex quinta itē, & sexta synodo id esset notissimum. Sed de Imaginibus, & cultu earum longa disputatio fuit, quoniam hæresis eorum, qui sanctorum hominū, & Angelorum, atq; sanctarum imaginum cultum impugnarent, noua emerserat, neque antea condemnata fuerat. Ita ambas hęreses ab Iconoclastis inductas repulere. Lege ad hæc etiam Baronium ann. 787. num. 61. Atque hoc est diligentissimè memorandum, septimam synodum, quæ est secunda Nicæna, esse illud concilium generale,

Cōstātinus et Irene imperant.

Conc. 2. Nicenum sub Adriano.

Symbolū cū Filioq;

Iconoclastæ damnati et errores eorum.

Baron.

In concilio generali 7. Filioque in symbolum ponitur. rale, in quo primitus particula, *Filioque*, in symbolum est inscripta.

Conc. Florentinũ ex quo obiectio contra praedicta. 38. Aduersus istam definitionem de fide dici potest, quod in concilio Florentino deprehensum est sess. 5. cart. 798. tomi quarti conciliorum, videlicet in codice Graecorum septimae synodi, non adesse particulam, *Filioque*.

Obiectio refutatur. Contra verò Latini protulerunt codicem vetustissimum septimae synodi, in quem nulla suspicio novitatis, aut mendi poterat incurrere: in quo libro scripta erat particula, *Filioque*; quem librum ostenderunt Graecis omnibus, lectusque est coram toto concilio, neque Marcus Ephesius Theodoritanus, neque alius quisquam potuit ad istam demonstrationem respondere.

Anastasius Bibliothecarius. Secundò. Anastasius Bibliothecarius, qui tempore octauae synodi verae vixit, atque septimam synodum è Graeco in Latinum convertit, in suo libro Graeco habet illam particulam, nec non & illam in Latinum transtulit. Consule Baronium ann. 787. num. 61. *Baron.* Fuit verò septima synodus tùm apud Graecos, tùm apud Latinos ignota. Apud Latinos quidem, eò quod non esset commodè in Latinum translata, sed ad verbum, non ad sensum: usquequo ad sensum eã transtulit Anastasius. Lege Baronium ann. 785. num. 9. & ann. 863. num. 5. *Cur septima synodus ignota.* Apud Graecos verò cur non innotuerit usque ad Photium, ipsi viderint. Photius verò in odium Nicolai Primi Papae, septimam synodum transcribi fecit, atque (ut erat falsarius publicus, & sator discordiarum, atquè heresum), ommisit particulã, *Filioque*, sive iussit ommitti: quemadmodum ex Baronio ad ann. Christi 861. numero 20. septem decim canones, qui nõ erant eiusdem synodi, illi eidẽ synodo falsò apposuit. Verosimile autem est Graecos in cõcilio Florentino habuisse codicem ex iis, qui scripti sunt iussu Photii, & missi per Orientem totum, ut aliquem ex illis transcriptum.

Potuisset id explorari in cõcilio Florentino, sed eius historiae non modica ignoratio tunc erat, quam discutit faeliciter Baronius.

Capitulare cõtra septimũ synodũ. 39. Tertiò. Quoniam adhuc superstite Hadriano primo, sub quo celebrata est septima synodus, quę est secunda Nicaena, à multis in Gallia plures obiectiones factae sunt con-

contra ſeptimam ſynodum. Quæ obiectiones ad Carolum Magnum directæ, & in unum librum, quem *Capitulare* vocant, congregatæ, à Carolo Magno ad Pontificem Hadrianum missæ fuere. In illis prima obiectio est contra Tharaſium Patriarcham Constantinopolitanum, qui in ſeptima ſynodo, Actione tertia dixerat, Spiritum ſanctum eſſe à Patre per Filium, cùm fides Nicæna dixerit eſse à Patre, & Filio.

Tharaſius Patriarcha Cõſtantinopolitanus, arguitur, ac defenditur.

Profectò ſi ſecunda ſynodus Nicæna dixiſset, Spiritum à Patre procedere, & de Filio tacuiſset; aduerſarius non præſuppoſuiſſet à ſynodo fuiſse dictum, *Ex Patre, & Filio.* Deinde non ſolùm reprehendiſset Tharaſium, ſed ſynodum totam, ſi non poſuiſset, *à Filio*, ſicut Galli volebāt apponi. Hadrianus Papa in defenſionem Tharaſij reſpondet, idem ſignificari iſtis vocibus, *Ex Filio*, & *per Filium*. Adducitque plures Patres Grẹcos, & Latinos, quorum quidam locuti sũt cum particula, *per*, alii cum particula, *ex*, declarantes quọ pacto ſit Spiritus à Filio. Ex qua Papæ Hadriani atteſtatione cernimus, quòd in ſynodo Nicæna ſecunda, eiuſque ſymbolo inerat particula de proceſſione Spiritus à Filio. Hoc teſtimonium tùm aduerſantis, tùm defendentis ſynodum grauiſſimum eſt; præſertim verò defendētis, quia Hadriano Papa ſynodus ſeptima conuocata, directa, & confirmata eſt, ut in re tanta, maius teſtimonium deſiderari non poſſit. Sanè ſi in ſymbolo ſecundę Nicęnę non fuiſset illa particula, *Filioque*; promptiſſimum fuiſset negare aſſumptum ab aduerſario, imò & neceſsariò negandum erat; at non eſt negatum, ſed eſt defenſus Tharaſius, quòd non alium ſenſum habuerit, quàm ſynodi ſenſum, etſi vocabulum diverſum extiterit. Maneat igitur invicta ſeptimæ ſynodi approbatio, qua Sancti Cyrilli loquutio illa, *Spiritus eſt ex Filio*, probata eſt; cõtradictoria Theodoriti, tanquam Neſtorianorum, & Iconomachorum eſt improbata. Certè Copronymus Neſtorianus fuit, quamuis non ita propalauerit Neſtorianam hæreſim, ſicut has duas, de Spiritu ſancto: & de ſanctorum, atque imaginum cultu impugnato.

Adrianus Papa defendit Tharaſium.

Ex Filio, & per Filium.

Bella. tom. 2 debeat lib. 2. cap. 6.

Copronymus Neſtorianus.

40. Contra hæc obiicies. Septima ſynodus celebrata eſt anno 785. ſub Hadriano Primo. At Leo Tertius anno 809 *Leo 3.*

Conc. Aquiſgranenſe.

cum Aquiſgranenſis concilii Miſſis de particula *Filioq;* diſſerit, affirmatquè ſe dediſſe licentiam cantandi ſymbolum, non addendi, minuendi, mutandi. Proptereaque decernit, ut particula, quæ vera eſt, doceatur oportunè, ſed tamen ex ſymbolo publicè cantando, auferatur. Inſuper, ſymbolum Conſtantipolitanum ſine dictionibus, *Filioq;* in duabus laminis argenteis conſcriptum Græcè, & Latinè ante Altare Sancti Petri affigi iuſſit. Quid? Si antea in ſeptima ſynodo *Filioq;* inerat, ignorabat nè id Leo Tertius, an ſciens contra concilium ſeptimum decernebat?

Symbolum Cõſtantinopolitanum, ſinè Filioque.

Laminæ à Leone 3. dicatæ, cum ſymbolo Conſt.

Reſpondetur. Septima ſynodus erat ignota Leoni Tertio propter cauſam ſuperius tactam, præſertim verò Gallicanis, qui contra ipſam partim verè, partim falsò, & per calumniam pugnarunt, nimirum quia exactam illius translationem propter ignorantiam utriuſque linguæ Græcæ, & Latinæ non habebant. Neq; facilè reperiebatur, qui utranq; exactè calleret linguã, & ex una transferret in altera. Præterea, & ſi ſatis id, ſciuiſset Leo tertius, quoniam particula in ſynodo ſeptima indita eſt: non tamen præceptum eſt, ut publicè in Eccleſia legeretur, vel cantaretur: idcirco Pontifex iubet, ut auferatur. Sed ignorantiam eius ſynodi fuiſſe in Aquiſgranenſibus Legatis, conſtat; quoniam dum recolunt concilia præcedentia, uſque ad ſextum aſcendunt, non ultra, prout legere eſt in colloquio eorum cum Leone Tertio apud Baronium ann. 809. num. 70.

Leo 3.

Baron.

TERTIVS GRADVS

Theodoritani erroris explicatur.

CAP. VI.

41. TRibus gradibus hæreſis Theodoriti de negato proceſſu Spiritus ex Filio, originem, incrementũ, conſummationem obtinuit aperti ſchiſmatis. Faxit Deus ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum, ut properam conſum-

ſumptionem ſubeat.

Primus gradus fuit in Theodoro Mopſueſteno, ac Theodorito eius diſcipulo, atque univerſim in Neſtorianis.

Secundus gradus in Conſtantino Copronymo impugnatore & ſanctorum, & ſanctarum imaginum.

Photius Tertius gradus, qui in manifeſtum ſchiſma erupit, initiū ſumpſit à Photio Eunucho, qui Bardæ violentia legitimum Patriarcham S. Ignatium deiecit, & ſeipſum intruſit in ſedem Patriarchalem Conſtantinopolitanam.

Nicolaus 1. Nicolaus Primus Papa, explorata rei veritate, Photium damnavit. At Photius peior factus, ſeipſum iudicem ſuper Pontifice Romano fecit: conciliabulum confinxit, in quo Nicolaum Papam damnavit, tùm ob alia conficta crimina, tùm ob fidem de Spiritu ſancto, quòd procedat ex Filio.

Adrianus 2. *Vera octava ſynodus.* *Photius depoſitus et deſcriptus.* 42. Verū ab Hadriano ſecūdo Nicolai ſucceſſore coacta eſt Cōſtātinopoli octava ſynodus, in qua depoſitus eſt Photius, & reſtitutus Ignatius legitimus Patriarcha. In illa ſynodo hæ acclamationes in Photium, delineant ipſum ſuis coloribus, ſed non ſatis delineant. Tot enim, & tanta ſcelera, tàm horrenda, & execranda perpetravit, ut inter Chriſtianos, Iuda proditore excepto, non putem quenquam ſceleſtiorem extitiſſe. Legat, qui volet Baronium ab anno 858. num. 56. uſque ad ann. 886. Acclamationes referuntur anno 869. num. 40.

Photio curiali, & invaſori, anathema.

Photio ſæculari, & forenſi, anathema.

Photio neophyto, & tyranno, anathema.

Photio ſchiſmatico, & damnato, anathema.

Photio damnato, & parricidæ, anathema.

Fabricatori mendaciorum, anathema.

Inventori perverſorum dogmatum, anathema.

Photio novo Maximo Cynico, anathema.

Novo Dioſcoro, anathema.

Novo Iudæ, anathema.

Omnibus ſequacibus, & fautoribus eius, anathema.

43. Photius depoſitus non quievit, ſed fraudibus in ſuam pertraxit ſententiam Baſilium Imperatorem. *Baſil. Imperator.* Quare paucis poſt annis, defuncto S. Ignatio, violentia Baſilii, & Ioannis VIII. Papæ mollitudine animi, Photius in Patriarcha- *Ioan. 8. Papa.*

tum irrupit. Qua in re falsis promissionibus, sed veris sceleribus decepit Ioannem: eius Legatos Apostolicos, haud fortiores Pontifice, seduxit: litteras Pontificias falsificavit, synodum congregavit partim veram, sed in scripto falsa plura inseruit; synodum octavam, in qua damnatus fuerat, damnavit: appellationem à Patriarcha ad Pontificem (quasi de consensu Pontificis) abstulit: additionem in symbolo vocis *Filioque* abiecit, aliaque plura perpetravit teterrima; quibus, tardè licet, à Ioanne recognitis, serò sapiente, damnatus est Photius, anathemati subiectus, Romæ depositus. Hæc synodus falsò octava dicta, in qua vera octava synodus reiecta fuit, creditur esse synodus ficta (hoc enim nõ insolẽs Photio erat) nam historici, qui res Basilij scriptis consignarunt, eiusdem synodi nõ meminere.

Crimina Photii.

44. Photius Romæ à Ioanne damnatus, & à Marino Ioannis Octavi Legato misso Constantinopolim, Constantinopoli verbaliter iterum depositus: rebellis contra sanctam Romanam Ecclesiam perstitit, multosq; infecit schismate, & hæresi, hac præcipuè de negato processu Spiritus ex Filio. Consule Baronium ad ann. 880. num. 13. Fluctuare cæpit tunc Ecclesia Constantinopolitana. Verùm post Basilii obitum Leo Imperator cognomẽto sapiens, deiecto Photio (qua morte, nescio) univit Constantinopolitanam cum sancta sede Apostolica Romana. Tandẽ post varietates quasdam sub anno 1054. Michaele Cerulario in Patriarchatum intruso, schisma formatum est; aususque est impudens hic homo Papam, & Latinos excommunicare propter dogma de Spiritu sancto.

Baron.

Schisma Grecorũ adversus latinos.

45. Revertamur ad Photium. Ex iis, qui strenuè pugnarunt contra illius versutias, violentias, munera, enituit fulgentissimè Marinus Diaconus S. R. E. & posterius Pontifex. Marinus primũ à Nicolao Primo missus est Constantinopolim ad Photium excommunicandum. Secundò ab Adriano secundo Nicolai successore ad Photium deponendum, restituendum Ignatium, synodũ Occumenicam Octavam celebrandam, quod & fecit. Tertiò. Postquã Ioannes Octauus vidit mala per Photium perpetrata, quando secũda vice cõsensu Ioannis factus est Patriarcha, Marinum tertiò mi-

Marinus fidei, & Ecclesiæ propugnator excellent.

Baron. an. 882 num. 10. & anno 885. nu. 16.

sit,

fit, qui Photium, & eius acta damnaret; quod Marinus fideliter præstitit, carcerem, & minas, & promissiones, & peiora passus, nil Basilii Imperatoris potentiam, aut Photii technas veritus. Hic idem, mortuo Ioanne Octavo electus est Pontifex anno 882. qui Pontifex plenissimè cognoscens inexplicabiles astutias Photii, & propter eas periculũ fidei, & fidelium, in concilio Romano (celebrabatur olim penè singulis annis Romæ cõcilium) damnavit iterum Photium, in symbolum imposuit ad fidei tutelam, & symboli illustrationem, particulam, *Filioque*, & iussit generaliter, ut omnes in Missa recitantes symbolum Constantinopolitanũ, illud cum prædicta particula recitarent.

Papa Marinus iubet in missis celebrari symbolum cũ voce Filioq.

Prudentissimè tunc publicè antidotum apponens, pro fide catholica, & fidelibus Christi ovibus defendendis, cùm Photius publicè venenum hæresis effunderet, & lupus rapax vastationem Christianis gregibus intentaret.

46. Neque contentus Marinus concilio in Occidente, pro more convocavit conciliũ in Oriente Constantinopoli, datis litteris ad Basilium Imperatorem, & solertissimè laboravit pro convocatione concilii, ut etiam ex Constantinopolis urbe Photii mala excluderet. Sed refractarii Basilius, & Photius in spiritalem medicum insanierunt, & aduersus Marinum procacissimè scripserunt, atque malis artibus Pontificias citationes oppresserũt.

Hic sunt duo probanda. Alterum est, quòd Marinus in symbolum induxerit ad illius illustrationem, & præmunitionem fidelium dictiones *Filioq;* cum præcepto uniuersali, quod ante factũ non fuerat. Alterum quòd Marinus Papa convocaverit concilium Constantinopoli adversus nefarios ausus Photii, sed auditus non fuerit.

47. Prima pars probatur ex epistola Photii, quam ad an. 883. sub Marini Pontificio recitat Baronius. Nam post appositam in symbolo à Pontifice particulam *Filioque*, Patriarcha Aquileiensis, nũc schismaticus, per Legatum commonefecit de ea re Photium schismaticum itidem. Photius ergo tanquam supremus Ecclesiæ pastor, epistolam rescripsit detestandam contra Pontificem, quem Marinum non nominat, satis tamen indicat.

Epistola Photij contra Põtificem Marinum.

Primùm, quòd Photius agat

in

in Pontificem Romanum, qui defeciſſet à prædeceſſoribus adiungendo, *Filioque*; habes in illis verbis Photii, *Atq; ut eius prædeceſſores ommittam, Leo ſiquidem Romanus Pontifex tùm ſenior, tùm illum ſequutus iunior*. Deinde, quòd ſcribat de Pontifice poſt Ioannē Octauū, conſtat ad num. 25. & 26. ann. 883. in Baronio, nam in illa epiſtolæ parte Photius memorat Romanos Pontifices prædeceſſores, qui aduerſus impugnatū ſucceſſorē dixere in ſymbolum, Spiritum procedere à Patre, non dixere procedere à Filio: inter hos prędeceſſores, etiam Ioannes Papa, qui cum Photio vixerat ultimus, refertur. *Quinimo congregata ſynodo pro quibuſdam Eccleſiaſticis capitibus, & rebus, Legati, qui inde miſſi ſunt Sancti Ioannis Papæ Romani, ac ſi ipſe adeſſet, & unà nobiſcum pietatem, ac religionem theologicè ſcrutaretur, ſymbolo fidei, quod ab omnibus Oecumenicis ſynodis iuxta dominicam vocem prædicatur, & promulgatur, nobis concordi & voce, & lingua, & proprio chirographo ſubſcripſerunt*. Loquitur de ſynodo ſeù facta verè, ſeù falsò à Photio conficta, in qua Legati Ioannis Octavi Photiū, ut Patriarcham nomine ſummi Pontificis receperunt, & Photii donis, ac artibus ſeducti, in Legati officio defecerūt, ut ſupra attigimus: dum hæc octava ſynodus falſa, veram octavam ſynodum proſcripſit.

Photij dictum

Photij dictum

48. Poſt Marinum Photius geſſit Patriarchatum biennio: nam à Leone Imperatore, cui cognomentum *Sapiens*, ſucceſſore Baſilii, Photius deiectus eſt, nunquam erigendus, nempe anno 886. ad num. 15. in Baronium, anno videlicet ſecundo Stephani Sexti. Nunc ordinem Pontificum quatuor videamus. Ioannes Octauus moritur menſe Decembri 882. & eodem anno, & menſe Marinus eligitur. Marinus moritur anno 884. menſe Ianuario, eodem anno, & menſe creatur Adrianus tertius. Moritur anno 885. menſe Maio Adrianus, ſuffectuſquè eſt eodem anno, & menſe Stephanus Sextus. Ergo Ioannes Octauus mortuus erat ante Pontificem, qui adiunxit *Filioque*. Anno 884. Adrianus Papa Tertius ſub initium Pontificatus deteſtatus eſt Photium, vel ob id zelo accenſus, quòd epiſtola Photii ad Patriarcham Aquileienſem de particula *Filioque* cœperat euulgari, ut Baron. teſtatur an. 884. n. 1. Igitur imme-

Ioannes 8. Marinus 1. Adria. 3. Stephanus 6.

Vt Baron. testatur. an. 884. n. 1. mediatè post Ioannem octauũ, immediatè ante Hadrianum tertium epistola scripta est à Photio contra Marinum. Quare Marinus utriusquè schismatici reprehensione testante, adauxit symbolum particula *Filioque*. Sed quàm laboriosum fuerit invenire nomen Pontificis, *Filioque* in symbolum ponentis, vide in Baron. an. 883. nu. 35. quod nec Baron. invenit

49. Aliam quoque veterator Photius confinxit epistolam, quasi à Ioanne octavo ad Photium datam, in qua introducitur Ioannes detestari, & cum Iuda condemnare eos, qui dicerent, *Spiritum procedere à Filio*. Lege epistolam in Baronio ad ann. 876. num. 59. quam ideò confictam arbitror, ut error Photii de Spiritu non procedente à Filio magis propagaretur sub nomine summi Pontificis Romani. Quis enim sive Clericus, si Laicus non crederet esse verum diploma Pontificium, quod à Patriarcha solemniter promulgaretur, & omnes in partes mitteretur transcriptum authenticè? Hac eadem arte non permisit Marini decretum convocatiuum concilij, vel etiã definitiuum de processu Spiritus sancti à Filio promulgari: imò arte solita tale decretum, vel falsificasset, vel combussisset. Quam ob causam puto quamplurimos in Orientali Ecclesia deceptos, credidisse Spiritum non esse à Filio, eo quòd à summo Pontifice crederent id esse definitum, & à suo Patriarcha promulgatum.

Epistola spuria Photio authore nomine Io. 8.

50. Subit nunc vehementer mirari, quòd nulla extent decreta Marini, neque concilij Romani, in quo addita est particula *Filioquè*; cuius concilii testis est Hugo AEtherianus homo illis temporibus propior ex Baron. an. 883. num. 27. 28. Extent autem Photii epistolæ tùm proprio nomine scriptæ, tùm alieno cõfictæ. Miror, quòd item octava synodus vera fuerit ignota & Oriẽtali, & Occidentali Ecclesię: pseudo octava synodus per Photium conficta, fuerit nota. Hinc evenit, ut Gratianus Canonum Decreti collector, quosdam canones ex pseudo synodo octava, tanquam canones veræ synodi octavæ conscripserit ex Baron. an. 879. n. 76. ut est 7. q. 1. c. *Hoc nequaquam*, & est cap. 45. Qua re perpensa dicam cum Salvatore nostro Domino Iesu Christo, Prudentiores sunt filii huius sæculi filijs lucis in genera-

Mirabilis euentus.

Hugo AEtherianus.

Octaua synodus vera tenebris obsita.

Luc. 16

ratione sua. Perversa enim prudentia, & ardor Photij precibus, pretio, favore, magia, & aliis mediis oppressit & in Oriente, & in Occidente acta omnia Marini, & Hadriani secundi, quæ contra se erant; sua verò per orbem totum disseminavit: libros omnes Patrũ conscribendos, & oportunis sibi locis corrumpendos curavit.

51. Secunda pars de congregatione concilii apud Constantinopolim pro apponenda particula *Filioque*, & contrario scelere Photii eliminando, illiusquè nefaria præsumptione in decretis de fide sanciendis mulctanda, atque elatione cõtra primam sedem Apostolicã reprimenda, probabitur ex epistola Stephani sexti Papæ ad Basilium Imperatorem scripta in defensionem Marini Papæ, ex Baronio anno 885. num. 15

Epist. Stephani 6. pro Marino.

Dicat celsitudo tua, quibus accusatoribus, & quibus testibus affirmãtibus Beatum Marinum fecisse, quæ tu dicis, illum condemnasti? An ignoras in prima Nicæna synodo, quòd Sanctus Sylvester Papa proclamaverit per Legatos, præsente ibidem Sancto Constantino, ut prima sedes à nemine iudicetur? Quid deliquit Sancta Romanorum Ecclesia, ut

Stephani 6. attestatio.

Nicæna synodi prima decretum de Romana sede.

aduersus eam linguam tuam vibrare, & concitare seductor induxerit? Num iuxta antiquum morem de synodo Constantinopoli habenda, ad te litteras non dedit? Num pro eadem synodo curam non gessit? Peto à te; Cuinam scriberet Romanorum Ecclesia? Laico scilicet Photio? Si enim haberes Patriarcham, frequentius nostra Ecclesia illum litteris visitaret. Hæc respondentur ad accusationes contra Marinum anno 883. tenentem Pontificium, à Stephano sextò tenente sedem Apostolicam Petri anno 885. Ex qua supputatione liquet Basilii litteras ad Hadrianũ tertium scriptas, sed ob illius citam mortem, ad eius successorem Stephanum pervenisse. Itaque evidens esse puto à Marino convocatum fuisse concilium Constantinopoli, sed ab Imperatore Basilio, & pseudo Patriarcha Photio, non receptum Pontificis decretum.

Concilium cõvocatũ pro particula Filioq.

52. Conquerantur ergo Græci non de Pontifice summo, qui eos non vocarit ad particulę *Filioquè* additionem, sed de suis Imperatore, & Patriarcha impedientibus.

Non potuit autem summus Pontifex propter veritatis desertores veritatẽ deserere: aut

pro-

propter luporum truculentiam oves eorum laniatibus dimittere; imò tanquam sedulus imitator boni pastoris Christi, pro suo grege pascendo, atque defendendo se se debuit opponere. Quod Marinus strenuè, & sanctè fecit, tumquè cùm ferocissimè, atq; apertissimè & conciliabulis, & diplomatibus publicis veritas de Spiritu à Filio, impugnabatur: conatus est veritatem roborare, prędicare, statuere. Consule Baronium anno 883. num. 34. & sequentibus, & ex eo Hugonem AEtherianum de hæresibus lib. 2. & 3. in tomo nono Bibliothecæ sanctæ.

Marini Papę zelus.

De ijs, quę consequuntu sunt post inceptionem tertij gradus hæresis Theodoritanæ.

CAP. VII.

53. POstquam anno 1054 Michael Cerularius intrusit se in Patriarchatum Constantinopolitanum, ille sicut similis fuit Photio in intrusionem, sic fuit similis in schismate: probè intelligens à sancta sede Apostolica illam intrusionem approbatum non iri. Quare idem Cerularius æmulus Photii eandem de Spiritu sancto hæresim Theodoritanam instauravit, & multos ex Græcis subditis infecit. Dico multos: quia nobilissimam litteris, armis, sanctitate nationē in eandem culpam includere non licet. Multi enim fuere, & ut piè existimo, sunt catholicæ, & Apostolicæ fidei, & obedientiæ coniuncti. Quanquam potestate Imperatorum, & Patriarcharū aliquanta multitudo (quæ superioris est veluti symia) eorum voluntatem vel invita sit sectata.

Michael Cerularius author schismatis.

Subditus symia superiorū.

54. Non cessavit tamen sāctæ Romanæ Ecclesię, eiusquè capitis charitas, aut zelus, imò anno 1090. Bari in Apulia celebratum est concilium, in quo Græci, & Latini plures de hac veritate scrutati sunt, atque communi voto recepta est sententia, *Spiritum ex Filio procedere*. S. Anselmus Episcopus Cantuariensis doctrina, & sanctitate clarissimus in eo concilio interfuit, & contra Græcos, sed Theodoritanos disputavit, ut ipse testatur in libro de processione Spiritus sancti cap. 4.

Conciliū Barense.

S. Anselmus

cap. 4. Baronius verò ad annum 1097. reponit istud concilium.

Secundò. Ad annum 1215. concilium Lateranense magnũ sub Innocentio tertio celebratum est, in quo Græci, & Latini interfuere: statutũquè est contra hæresim Theodoriti cap. 1. decretum, quod habetur in decretali Gregoriana, extra de summa Trinitate, & fide catholica cap. *Firmiter* in hæc verba. *Pater à nullo, Filius à Patre solo, ac Spiritus sanctus pariter ab utroque, absque initio, semper, ac sine fine.*

Concil. Later. sub Innocẽtio tertio.

55. Tertiò. Ad annum 1273. Gregorio X. Pontificatũ gerente, congregatum est concilium generale Lugdunense, in quo S. Bonaventura lucidissimè præfulsit. Et Græcis, ac Latinis præsentibus, cantantibusquè tùm Græcis, tùm Latinis symbolum cum additione *Filioque* dictum est. In eo concilio decretum aduersus Theodoritanam hæresim factum est his verbis, (ut habetur extra de sũma Trinitate, & fide catholica cap. *Fideli* in 6. decretalium) *Spiritus sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex uno principio: non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit.*

Concil. Lugd. sub Gregorio 10.

Quartò. Quoniam zizania per Imperatores, & Patriarchas Constantinopolitanos propagata, irrigata, & dilatata, malè fœcunda in peius proficiebant, neque facilè Græci (tot iam enim hæresi, & schismate erãt infecti) inter se poterãt resistere, novissimè in cõcilio Florentinõ Græci, & Latini Patres cum Imperatore Constantinopolitano ab Eugenio IV. anno 1438. convocati sũt. Post prolixam tandem disquisitionem, Patres Græci, & Latini declararunt, Spiritum sanctum procedere à Patre, & à Filio, sive per Filium. Concilii Florentini decretum est in quarto tomo conciliorum car. 892. col. 2. tale verò est. *Spiritus sanctus ex Patre, & Filio æternaliter & essentiam suam, suumquè esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio: & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio, & unica spiratione procedit; declarantes, quod id, quod sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse, secundum Græcos quidẽ causam, secundum Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus sancti,*

Concil. Alex. sub Eugenio 4.

Decretum cõcilij Florentini.

sancti, sicut & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit præter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est.

S. Cyrilli ratio.

56. In hac ultima periodo adest ratio S. Cyrilli, quam in spontanea declaratione noni capituli fecit; quoniam omnia, quæ Pater habet, excepta Paternitate, etiam Filius habet: at spirare activè Spiritum sanctum habet ipse Pater, & spirare Spiritum non est generare Filium, neque paternitas; ergo & Filius habet ipsum spirare Spiritum. Tangitur etiam ratio, quare sit unum principium, unaquè causa; quia si Pater spirat à se, & Filius à se, essent duæ causæ, sive duo principia; at non ita est. Filius quippe nihil habet à se, sed quicquid habet, habet à Patre, sive producat Spiritum sanctū ad intra, sive producat creaturam ad extra. Quare Filius non ponit in numerum, quasi Pater, & Filius sint duæ causæ respectu creaturæ ad extra, vel duæ causæ respectu Spiritus sancti ad intra. Imò Pater, & Filius sunt una causa Spiritus sancti ad intra; Pater, Filius, Spiritus sanctus una causa creaturę ad extra, quia Filius à Patre, Spiritus à Patre, & Filio habent, quicquid habent.

Pater, & Filius non ponunt in numerum in causando.

57. Omnes Patres Græci cū Imp. Ioāne Palęologo in hanc fidē subscripserūt, & omnes Patres Latini. Vnus solus Theoditanus, Marcus Ephesius rebellis, hæreticus, & schismaticus pertinax fuit. Confisus scilicet de multitudine in Græcia existente iam per suos consortes decepta, & de propria tumens doctrina in Græciam ivit, atque scripta, quemadmodum Photius fecerat, epistola encyclica, suos consortes contra sanctam synodum firmavit, & non paucos de novo seduxit, dicens non esse honoratū, ut Græci à Latinis superati sapientia viderentur, atque in Latinorum sententiam concederent. Veruntamen Ephesius, & consortes *dilexerunt magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei*, sicut de Iudæis quibusdā Ioannes cap. 12. 43. dixit. Tales autem neque credunt, neque credere possunt ex doctrina Christi Ioan. 5. 44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* Quanquam & hoc Ephesii dictum falsum sit, ut appa-

Marcus Ephesius hæreticus.

Gloriā Dei, neque fidē Dei quærūt.

Ioan. 12

Ioan. 5.

Græci non dicere à Latinis processũ Spiritus ex Filio.

apparet ex historica hac nostra disputatione. Non enim à Latinis, vel cum Latinis nata est disputatio, *an Spiritus sit ex Filio*, vel *per Filium*, an non; sed apud Græcos in tertia, quarta, quinta, sexta, septima synodis, in quibus præter Legatos sedis Apostolicæ Romanæ, aut nulli, aut paucissimi Latini fuere. Latini ergo utpotè catholici in confessione de processu Spiritus ex Filio cum Græcis senserunt, & ab eis partem veram, atque cum eis asseruerunt. Sed falsò accusantur Græci ut authores huius erroris, cùm Theodoritus Nestorianus ex Asia hunc errorem invexerit, Copronymus Iconomachus in Græciam propagarit, Photius longè, lateq; disseminarit. Hi sunt authores erroris, Nestoriani, Iconoclastæ, Photiani, & uno vocabulo, Theodoritani.

58. Postremò, cùm regressi essent ex concilio Florentino Patres Græci, multi constanter perseverarunt, & hæresi restiterunt: sed mortuo Io. Imperatore, successor ad vomitum rediit, & multitudo cum eo. Deus tamen per summum Pontificem minis prædicentem, futurum propter hæresim, & schisma Constantinopolitani imperii excidium, Imperatorẽ, & subditos revocare conatus est. Vt enim Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, qui olim sæcularis affuerat Imperatori in concilio Florentino, & defectionem in successore Imperatore vidit, atq; tandem vastationẽ Imperii, atque Imperialis Constantinopoleos: scribit in defensione concilii Florentini cap. 5. sect. 16. cart. 143. responsionem Legati Apostolici ad argutias Monachi Barlaam Constantinopoli propositas. *Ego quidem possum* (inquit Legatus) *cunctas obiectiones vestras diluere (non enim Christi Ecclesia, & Præses illius summus Pontifex misit hominem, qui nesciat vestris dubitationibus respondere) sed vos semper in nugacibus verborum argutijs versamini. Quare mihi licet dicere tibi breve, ac verum verbum, quod & alijs Græcis mihi iniunctum est dicere. Hæc dicit Papa. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis secundum Prophetam. Si verò nolueritis, nec audieritis me, gladius vos devorabit.*

Gennadius Patriarcha.

59. Quin & ipse Pontifex Nicolaus Quintus, de concilio Florentino ad Imperatorem Constantinum Dragasem scripsit hæc, referente eodem Gennadio

Nicolaus V.

Nicolai V. prædictio. nadio ibidem sect. 14. *Omnes gentes decretum, quod sancitum est receperunt: Græci verò neq; receperunt; neque spes est eos unquam esse recepturos, quę super concordia, & unione decreta sũt. Procrastinationes enim procrastinationibus ab eis semper prætexuntur, excusationes, & responsiones in singulis &c. Sed toleramus in Iesum respicientes sempiternum sacerdotem, & dominum, qui sterilem illam ficum usque ad annum tertium iussit asservari, agricola iam ad excidendam arborem se accingente, quia nullum fructum ferebat*. Subdit Gennadius. *O magnam calamitatem. Anno MCCCCLI. hanc conscripsit epistolam, & MCCCCLIII. capta est Constantinopolis*. Quanta verò desolatio, & vestatio illius fuerit, nulla lingua potest explicare. Gladio devorati sunt, & Imperium excisum tertio anno est. Sic namque ex libro Iudith capite quinto, solet Deus, cùm fideles a fide deficiunt, illos sub tyrannidem, & iugum infidelium mancipare. Gennadii attestatio verificata prædictionis. Constantinopolis à Turcis capta 1453. Iudit. 5

Hucusque decursus historię sit. Sed antequam ad disputationem dogmaticam transeamus, unum ex dictis pressius examinandum videtur.

Quando, & qua authoritate particula, Filioque, in symbolum sit addita.

CAP. VIII.

60. NVlla in concilio Florentino fuit acerbior querela, neque acerbius tractata est ab Ephesio Theodoritano, quàm ista: quia scilicet Ecclesia Occidentalis adiecit ad symbolum, *Filioque*, cùm ex decreto tertiæ synodi, (hæc est Ephesina) id non liceret ulli. Verba tertię synodi sunt in secundo tomo Ephesini cap. 33 nempe in primo tomo conciliorum cart. 1030. col. 1. *Sancta synodus definivit, nulli in posterum aliam fidem, præter eam, quam Sancti Patres Nicæni exposuerunt, offerre, vel conscribere, vel componere fas esse. Eos verò, qui aliam fidem componere, aut proponere, aut ijs, qui ex paganismo, aut Iudaismo, aut alio quocunque errore ad veritatis cognitionem redire voluerint, offerre ausi fuerint, si quidem Episcopi extiterunt, ab Episcopatus gradu: si verò clerici, à clero* Concil. Ephesini decretum.

alienos censendos esse: si autem laici, anathematis vinculo constrictos teneri censuit. Hæc obiectio, vel dubitatio aliter tractanda est cum aduersarijs, hoc est, hæreticis, aut schismaticis; aliter cum confratribus catholicis, & subditis capiti Ecclesiæ.

61. Cum aduersariis præter alias responsiones in concilio Florentino datas, quas non reijcio, distinguo; aut conciliū tertium generale, scilicet Ephesinum, legem allatam contendit imponere superioribus, aut paribus, aut inferioribus. Superior concilio est summus Pōtifex Romanus, Petri successor, cuius est concilia convocare, dirigere, confirmare. De quo Christus, *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*. Illius fides est ad se *indeficiens*, ad alios *confirmans*: super quo fundantur alii, qui deficientem, & infirmam fidem habent, atque ita constituunt Ecclesiam, aduersus quam portæ inferi prævalere non possunt, quia neque aduersus fundamentum, id est, Petrum.

Papa supra cōcilium.

Luc. 22.

Matt. 16.

Par concilio generali est aliud concilium generale: reliqui omnes sunt subditi.

Si primò dicatur, concilium Ephesinum voluisse obligare superiores: concilium erravit, & nihil fecit; quia inferior in superiorem non habet potestatem. Si obligare pares, erravit itidē, & nihil fecit, quia par in parem non habet potestatē. Vnde concilium Ephesinum non potuit obligare aliud concilium generale, quin aliam fidei confessionem, dum non cōtradictoriam, facere valeat. Quare & quartum concilium, nempe Chalcedonense, plura in symbolum apposuit. Superest, ut Ephesinum obliget subditos suos, nimirum, ut sonat decretum, Episcopos, Clericos, Laicos. Nullus enim singularis Episcopus, aut clericus, aut laicus potest in universali symbolo addere, minuere, mutare quicquam. Quæ si quis fecerit, pœnis Ephesini concilii alligabitur.

62. Nūc autē particula *Filioq;* imposita est in symbolū à septimo cōcilio generali, hoc est, à secundò Nicæno, anno 787. nè Ecclesia crederet, vel confiteretur fidem cum Iconoclastis, ac Theodoritanis: sed tunc non est factum præceptum universale, ut in Missis celebraretur. Deinde anno 883. Marinus Papa cum concilio Romano, iam

2. Nicana synodus.

Marinus Papa et concil. Romanum.

iam impositam, in symbolum Nicænum secundum imponi iussit, atque publicè recitari in omnibus Ecclesiis recitantibus symbolum Constantinopolitanum: prout quæstione præsenti, num. 37. 38. dictum est.

Confirmatur hæc responsio, prohiberi scilicet confessionem fidei aliam, non ab alio concilio generali, sed à subditis editam.

63. Confirmatur, inquam, à præteritis, & posterioribus conciliis. Concilium primum generale est primum Nicænum, quod construxit primũ symbolum Nicænum; quo cõposito decrevit, ne quis aliam fidem proferret, aut conscriberet. Sed præstat hoc dicere verbis Bessarionis in epistola de successu synodi Florentinæ ad Alexium Lascarim. Et impressa est Romæ post concilium Florentinum anno 1526. Igitur ad cartam 144. narrat Iulianum Cardinalem (dum essent Patres in concilio Florentino) produxisse cum aliis Latinis hoc decretum primæ synodi. Sic autem ait. *Produxerunt igitur nobis in antiquissimo libro membrano epistolam Liberij Papa ad B. Athanasium Alexandrinum Patriarcham, quæ incipit. Iam à principio tantam accepimus à Beatissimo Petro primo Apostolorum: in qua post pauca dicit, accepisse epistolam S. Athanasij, & eam legisse. Deinde addit: Cùm autem fidem Nicæni concilij in ea rectam reperissemus, magnas gratias vobis retulimus: pro qua non solùm compati vobiscum, & persecutionem pati parati sumus, sed cùm necessitas exigat, etiam mori pro nomine Christi non postponemus, quãtuncunque sumus imbecilles. Prædicta nanque, ut legimus, sancta decrevit Nicæna synodus, Aliam fidem nulli licere proferre, aut conscribere, aut componere, aut sapere, aut aliter docere: nec aliquid in fide vel intelligere, vel proferre, quod horum patrum decretis contrarium sit. Qui verò audeat aliam fidem proferre, aut docere, aut aliud symbolum tradere illis, qui ad viam veritatis ex quacunque hæresi desiderant converti, aut ut ex Iudaismo, aut ex Gentilitate, si Episcopus, vel Clericus sit, privetur, Episcopus Episcopali dignitate: & Clericus clero: si verò Monachus, aut Laicus, anathematizetur. Hæc nunc quidem ex Actis primi concilij, quæ ignota nobis sunt: cùm verò adhuc extarent, sciebant & Papa Liberius, & Sanctus Athanasius. Hæc autem similia*

Concil. Nican.

Bessar.

Iulian. Card.

Concil. Flor.

Bessarionis narratio.

Liberius Papa.

S. Ath.

Tempus offerendi se ad mortē.

Contrarium, nõ licet dicere.

ſunt omnino tertij concilij verbis. Hæc ex Beſſarione.

64. Sequutum deinde eſt ſecundum concilium generale, quod eſt primum Conſtantinopolitanum, in quo Sancto Gregorio Nazianzeno authore, compoſitum eſt ſecundum ſymbolum, quod vocant Conſtantinopolitanũ. In quo ſymbolo multa ſunt addita, detracta, immutata ex primo ſymbolo Nicæno, ut omnes conferendo ſymbola poſſunt agnoſcere, & nos paulò poſt oſtendemus.

Concil. Conſtantinop. Naz.

Tertiò ſucceſſit concilium tertium generale, hoc eſt Epheſinum primum, non ita multò poſt celebratum: in quo concilio continetur decretum ſupra citatum contra nos, ad numerum 60. *Sancta ſynodus definiuit, nulli in poſterum aliam fidem, pręter eam, quam Sancti Patres Nicęni expoſuerunt, offorre vel conſcribere, vel componere fas eſſe* &c. Nullaque mentio prorſus facta eſt de ſymbolo Cõſtãtinopolitano: ut propter hoc ſymbolum Conſtantinopolitanum prius videatur prohibitum, quàm compoſitum: & iterum prohibitum, poſtquam editum eſt; ut ſcilicet omnino abolitum, & abrogatum remaneret.

Concil. Epheſ.

Symbolũ ſecundum an prohibitũ.

65. Tunc interrogo, an primum, & tertium concilium reuera prohibuerint actionem factam in ſecundo concilio generali circa ſymboli compoſitionem, an non?

Si prohibitum eſt ſecundum ſymbolum, ergo Gregorius Nazianzenus, & ſecundæ ſynodi Patres ſeductores fuere, nõ doctores fidei: non Epiſcopi, ſed Epiſcopatu deiecti: & quoniã in tali confeſſione ſecundi concilii perſeverarunt, ideò in mortali peccato & vixerunt, & obierunt, & in inferno ſepulti ſunt. Quin omnes Græci, & Latini catholici, ſunt & peccato mortali, & anathematis vinculo innodati, & ante tertium, & poſt tertium concilium: propterea quod utraque Eccleſia ſymbolum Conſtantinopolitanum celebrat publicè, Nicænũ nõ celebrat, ut in Decreto diſt. 15. cap. *Canones*, de ſecundo ſymbolo dicitur. *Quam tota Græcorum, & Latinorum confeſſio in Eccleſijs celebrat.*

Cõfirmatur præterea idem à poſterioribus conciliis. Nã ſancta ſynodus Chalcedonenſis, (hęc eſt quarta generalis) actione quinta cart. 275. peccavit contra decretum primæ, ac tertiæ ſynodi, quoniam ſymbolũ Conſtantinopolitanum approbavit.

Concil. Chalce.

bavit?

Absit verò à nobis, ut tot sanctos Patres Ecclesiæ damnemus, atque totam Ecclesiam, quæ illos sequuta est. Damnare illud symbolum secundum, est impietatis: damnare Patres, & Ecclesiam, est blasphemiæ.

Primū & secūdum concilium proibet subditis aliud symbolū non con aliis patribus.

66. Si autem decretum primi concilii non prohibuit alteri concilio secuturo incrementū, vel decremētū, vel mutationem in declaranda fide, vel cōponendo fidei symbolo: rectè erit. Cognoverunt enim Patres secundi concilii mentem primi concilii, quòd non ademit conciliis generalibus sequuturis potestatem componendi symbolum, quam potestatem ipsum concilium primū habebat: sed abstulit subditis concilio generali potestatem omnem componendi, vel proponendi aliam fidem, sive aliud symbolum fidei, atque potestatem adiungendi, subtrahendi, immutandi symbolum. Et meritò, quoniam par in parem non habet potestatem, sed in subditos. Id quoque cognoverunt Patres tertiæ synodi, & propterea non fecere mentionem de symbolo Constantinopolitano, quod prohibere non erat suæ prudentiæ, aut potestatis. Quia tamē Eutyches symbolum Nicęnū solum recipiebat (fortasse innixus decreto primæ, ac tertiæ synodi) Patres Chalcedonenses, ne quis suspicaretur symbolum secundum esse antiquatum, sufficereque ad veram fidei confessionem solum primū symbolum, & secundum esse superfluum: in suo decreto de fide actione quinta approbavit & primū, & secundum symbolum, atque utrumque recipiendum præcepit; adiunxitq; post duo symbola epistolas tres Cyrilli, epistolam Sancti Leonis Papæ ad Flavianum, & proprium decretum Chalcedonense; atque toti huic fidei cōfessioni subiunxit decretum, *Si quis aliam fidem* &c. Ex his patet, nullum concilium præcedens adimere potestatem sequentibus conciliis adiiciendi aliquid ad symbolum, vel ad ipsam fidei confessionem.

Eutyches hæresiarcha.

Chalcedonensis synodus.

67. At obiicies. Si unum concilium generale in rebus fidei facultatem habeat adiungendi, vel auferendi: periculum esse, ne contraium, vel contradictorium sit unum concilium alteri.

Concilia legitimū nō potest errare in fide.

Respondeo, non esse periculum, quoniam concilium generale in fide errare non potest, si

legitimè sit congregatum, directum, & confirmatum. Erraret autem, si contradictorium, vel contrarium sanciret de fide esse credendum. Hanc autem assistentiam Spiritus sancti, atque potestatem recipiendi, retinendi, defendendi, ac declarandi fidem catholicam, ac fidei symbolum, concilium generale accepit non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem. Quapropter sicut concilium generale ex se non potest vel sibi, vel aliis conciliis hanc facultatem acquirere: ita non potest eam vel sibi, vel aliis præripere.

Potestas cōciliorū.

Conciliū non potest se aut aliud cōcilium privare potestate.

68. Ad hanc difficultatē de symbolo Constantinopolitano, quòd ipsum non fuerit per tertiam synodum abolitum, respondit Marcus Ephesius in concilio Florentino, symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum pro eodem symbolo haberi: atque ideo recepto uno in tertia synodo, receptum esse & reliquum.

Adiecit insuper, symbolum Nicænum esse perfectissimum, nec egere alia quacunque additione, aut perfectione: errasseque illos, qui, ut perfectionem symbolo Nicæno adiicerent, apposuerant particulam, *Filioque*.

69. In hac responsione sunt duæ horribiles falsitates. Prima est, symbolum Nicænum, & symbolum Constantinopolitanum esse idem symbolum. Omnes quidem veritates catholicæ existentes in symbolo Niceno, sunt in Constantinopolitano, & non è converso. Siquidem in symbolo Nicæno desunt articuli fidei septem.

Prima falsitas Ephesii

1. Descendit ad inferos.
2. Incarnatus est de Spiritu sancto.
3. Ex Maria Virgine.
4. Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.
5. Remissionem peccatorum.
6. Carnis resurrectionem.
7. Vitam æternam.

7. articuli fidei non sunt in symbolo Nicæno.

Ex hisce articulis unus duntaxat deest in symbolo Constantinopolitano, videlicet descensus ad inferos. Tunc argumentor. Illa confessio fidei, in qua desunt sex articuli fidei, non est eadem cum confessione fidei, in qua illi sex adsunt. At verò in confessione fidei Nicænæ desunt, in Constantinopolitana adsunt; Non ergo confessiones eædem sunt, aut pro eadem sunt habendæ.

Secundò. Quarum enunciationum termini sunt diversi, illæ enunciationes sunt di-

versæ:

Ennunciatio talis est qualis ex terminis est.

versæ: talis nanquè est enunciatio, qualis est ex terminis suis. Sed hę sex enunciationes symboli Constantinopolitani diversos habent terminos ab enunciationibus symboli Nicæni, ut de Baptismate, Ecclesia, Resurrectione &c. diversa igitur valde sunt hæc symbola.

Potentia activa, & passiva.

70. Deinde, quia duplex est potentia, activa, uti propositiones continent conclusionem: passiva, sicut materia continet formas; de qua potentia intelligit Ephesius? Si de activa, tunc symbolum Nicænum continens potentia, erit sicut causa effectrix, & symbolum Constantinopolitanum sicut effectus. Sed causa efficiens, & effectus non habentur pro eodem, nisi Deus efficiens, & creatura effecta pro eodem habeantur: atque in scientiis, nisi intellectus principiorum sit scientia conclusionis. Quãvis etiam falsum sit ex propositionibus in symbolo Nicæno contentis, posse inferri conclusiones contentas in Constantinopolitano. Vnde enim per necessariam consequentiam infert, Incarnationem de Spiritu sancto, Virginitatem Deiparę, remissionem peccatorum, resurrectionem carnis, æternam vitam? Quando enim stante antecedente, potest utrunq; contradictorium pro consequente poni, tunc neutrum contradictorium sequitur ex necessitate ad illud antecedens: alioqui duo contradictoria essent vera. Sed accepta quavis propositione ex symbolo Nicæno, cum ea stare potest, ut remittantur, & non remittantur peccata; resurgat, & non resurgat caro: hoc enim solùm determinatur à divina sapientia, & voluntate liberè, & contingenter. Igitur hæ sex veritates non necessariò concluduntur ex Nicæno symbolo, neque ergo continentur in potentia activa illius.

Contingens est indign. ad conandi eana.

Si autem de potentia passiva intelligat, illa semper est potentia contradictionis, & non infert ex necessitate alterutrũ ex contradictoriis, cùm possit utrunque, ex 12. Metaphys. 7. Sed tamen quanta differentia est inter materiam, & formam, inter actum, & potentiam, tanta erit differenria inter symbolum, & symbolum. Atqui à ratione abest, ut idem sit actus & potentia, materia, & forma: ergo à ratione abest Ephesij responsio.

Potentia passiva est contradictorij capax.

71. Postremò, non nè dicimus & nos, in symbolo Nicæno,

no, & Constantinopolitano contineri potentia, scilicet actiua productionem Spiritus à Filio? Accipe propositionem
Io. 16. Euangelii. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*. Et item: *Om-*
Io. 17. *nia mea, tua sunt; & tua, mea.* Iunge minorem ex Constantinopolitano; Pater habet Spiritum ex se procedentem, habet spirationem activam, principium spiratiuum cum prioritate ad actum spirandi; ergo & Filius habet hæc eadem. Aliis quoque modis potest idem inferri, sed hic modus est Sancti Cyrilli, & concilii Florentini in litteris sanctę Vnionis, quarum decretum superiori capite citavimus, ad num. 46.

Tandem, si hæc duo symbola sunt idem, frustra, & superfluum est Constantinopolitanum, quare merito esset ab Ephesina synodo desertum, & vetitum. Sed Ephesius etiam symbolum Apostolorum negaret, ut suam hæresim statueret.

72. His appono additiones, detractionesquè alias præter articulos dictos.

In primo articulo Constantinopolitanum addidit, *Factorem cæli, & terræ*.

In secundo articulo, Aeternitatem generationis, *Natum ante omnia sęcula*.

In quinto adiecit *de cælis*: & insuper, *de Spiritu sancto, ex Maria Virgine*.

In sexto *Sub Pontio Pilato*: &, *Sepultus*.

In septimo, *Sedet ad dexteram Patris*.

In octavo, *Venturus est cum gloria*: &, *Cuius regni non erit finis*.

In nono, *Credimus* in Spiritum sanctum *Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem: cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum, qui loquutus est per prophetas*.

Tàm multa alia addita; si eadem sint, superflua sunt: si non eadem, iam addere licuit.

In secundo articulo detraxit, *de substantia Patris*. Quæ tamen particula maximè discussa est aduersus Arium, in qua significatur per ablatiuum consubstantialitas, per genitiuum, origo Filij.

Cùm igitur hęc detracta, & addita sint formaliter diversa, & quædam etiam diversa realiter; falsum est non esse diversas halce fidei confessiones in his particulis. Verum est illud, eas non esse contradictorias, vel aduersas veritati.

73. Patescet autem hoc manifestius ei, qui utrinque

duo

duo hæc ſymbola accipiat, & alterum cum altero conferat. Quia verò non omnibus libri ſunt ad manum, viſum eſt ex primo tomo conciliorum ſymbolum Nicænum ex una parte, Conſtantinopolitanum ex altera parte è regione opponere per ſingulos articulos, & eorum diſcrimen ſtatim annotare.

Ex primo tom concil. cart. 565

Symbolum primum Nicænum.

1. *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium viſibilium, & inviſibilium creatorem.*

Ex tom. 1. concil. car. 735.

Symbolum ſecundum, quod eſt Conſtantinopolitanum.

1. *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terrę, viſibiliũ omniũ, & inviſibilium conditorem.*

ADNOTATIO.

Secundum ſymbolum tranſpoſuit à fine ad principium vocabulum *factorem*, & adiecit *conditorem*. Item adiunxit *cæli, & terræ*. Videtur etiam omiſiſſe vocabulum, *creatorem*, & poſuiſſe vocabulum generis, ſcilicet *factorem*. Quamvis in Græco Nicæni concilii ſymbolo (ut eſt apud S. Cyrillum lib. 1. ad Hermiam) ſcriptum ſit *factorem*.

2. *Et in unum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei, genitum ex Patre unigenitum, hoc eſt, ex ſubſtantia Patris.*

2. *Et in unum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei unigenitum ex Patre natum ante omnia ſęcula.*

ADNOTATIO.

Tranſponitur particula, *Vnigenitum*. Omittitur particula, *de ſubſtantia Patris*. Hæc particula maximè diſcuſſa eſt contra Arium, & neceſſaria iudicata in concilio Nicæno: omittitur tamen. Additur, *ante omnia ſæcula*, ut indicetur generatio Filii fuiſſe ab æterno. Omittitur vox *genitum*.

3. *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.*

3. *Deum ex Deo, lumen ex lumine: Deum verum ex Deo vero.*

4. *Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in cælo, & quæ in terra sunt*

4. *Natum, nō factum, homousion Patri, hoc est, eiusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cælo, & quę in terra.*

5. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, homo factus est.*

5. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis: & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, Homo factus.*

ADNOTATIO.

Constantinopolitanum adiecit phrasim *de cælis* ad verbum descendit. Adiunxit, *de Spiritu sancto, ex Maria Virgine*, ad vocabulum, *Incarnatus est.*

6. *Passus est, & resurrexit tertia die.*

6. *Passus est sub Pontio Pilato, ac sepultus, & tertia die resurrexit.*

ADNOTATIO.

Apposuit manifestè *sub Pontio Pilato, ac sepultus.*

7. *Ascendit ad cælos.*

7. *Ascendit in cælos, sedet ad dexteram Patris.*

ADNOTATIO.

Conspicua est additio clausulę, *sedet ad dexteram Patris.*

8. *Ven-*

8. *Venturus est iudicare vivos, & mortuos.*	8. *Inde venturus est cum gloria iudicare vivos, & mortuos, cuius regni non erit finis.*

ADNOTATIO.

Adauctum est symbolum pluribus vocibus. Primò aduerbium, *inde* additur. Secundò phrasis, *cum gloria*. Tertiò clausula, *Cuius regni non erit finis.*

9. *Et in Spiritum sanctum.*	9. *Credimus in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum qui loquutus est per prophetas*
Finis Nicæni primi symboli.	10. *Et unam catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.*
	11. *Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum.*
	12. *Expectamus resurrectionem mortuorum.*
	13. *Et vitam venturi seculi. Amen.* Finis.

ADNOTATIO.

In articulo nono est multa variatio. Nam concilium Nicænum semel ponit actum credendi, & copulat personas, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, sicut Christus in forma baptismatis, Matt. 28. copulavit, ut una fides in tres personas significaretur. Concilium Constantinopolitanum iteravit actum credendi per verbum *Credimus*, atque copulativam *Et*, qua copularetur Spiritus cum Patre, & Filio suppressit. Cæteras particulas multas apposuit, *Dominum*, & *vivificantem*, & reliquas.

Articulum decimum, undecimum, duodecimum, decimumter-

L tium,

tium, veros quidem, salubriter ad perfectionem adiunxit, ad destructionem hæreticorum, & instructionem catholicorum. Liquidò, ut arbitror, constat ex his, multa esse addita, & variata in secundo symbolo in respectu ad primum: quare & hæc symbola non esse unum, & idem.

74. Obiicies. In concilio Florentino & Græci, & Latini videntur concessisse, hæc duo symbola pro eodem accipi; cur ergo à nobis negatur?

Respondetur, primò ex Divo Bonaventura in primo dist. 11. relato per Ioannem Theologum in concilio Florentino sess. 10. cart. 817. 818. 819. addi posse vel *oppositum*, vel *diversum*, vel *consonans*, & *congruum*. Si addatur vel oppositum, vel diversum, illa est vera additio, & revera est vetita. Si congruum, & consonans fidei, non est additio vetita, vel etiam non est additio simpliciter loquendo.

Respondetur secundo. Aliud est appositio diversæ doctrinæ, aliud explicatio doctrinæ præhabitæ. Primo modo additio intelligitur esse prohibita, secundo minimè.

75. Verùm in concilio Chalcedonensi Actione 16. in alloquutione ad Martianum Imperatorem, ad ostendendũ quòd additio facta per secundam synodum in symbolo, & additio facta in ipsa quarta synodo, qua additur epistola Sãcti Leonis, non est additio alius fidei, vel prohibita, plures dantur distinctiones respondentes; quarum hic summarium faciam, piis Lectoribus, relinquens occasionem eas legendi.

Prima. Fides Nicęna est principalis: aliæ confessiones, & declarationes sunt accessorię ad illam.

Secunda. Ad confitendum fidem utiliter, sufficit Nicæna fides: ad reiiciendos errores hæreticorum, necessaria est additio refutans eos.

Tertia. Ad fidem simplicem, sufficit: ad fidei certamen pro fide, & contra fidei aduersarios, non sufficit, sed oportet fidei documenta declarare.

Quarta. Ad fidem habendam, satis est symbolum: ad symboli defensionem contra calumnias, alia sunt inuenienda, consentientia tamen.

Quin-

Quinta. Privata authoritate non est addendum ad symbolum: communi consensu Ecclesiæ, addi potest.

Sexta. Præceptũ est hæreticis, ne addant ad fidem impugnando: non pastoribus, ut auertantur à protectione veritatis. Omnis enim lex iniustos à delictis cohibet, non iudices à potestate difungit.

Septima. Si adiungantur res discordes, adiunctio vetita est: sin autem concordes cum fide, & authoritatibus Patrum, non est vetita.

Octava. Ferè cum ista coincidit. Additio, quæ depravat intelligentiam Patrum, reprobata est: quæ autem depravationem redarguit, concessa est.

76. Denique ex eadem alloquutione talem formo distinctionem. Aut loquimur de principalibus creditis, quæ sunt, unus Deus in Trinitate, & una persona Dei incarnata: aut de veritatibus circa hæc duo explicatis. Circa principalia credita versatur fides implicita, atque illa duo credita, Trinitas, & Incarnatio, nec non & fides circa illa, semper eædem sunt. Circa hæc principalia, multæ veritates sunt posterius declaratæ, quæ spectant ad fidem explicitam magis, vel minus. Quæ quidẽ additio explicationis, & publicè, & privatim concessa est; sed publicæ authoritati conciliorum, & capitis Ecclesiæ est reservata publica, & authentica explicatio, sive in symbolo, sive extra symbolum. Sic symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum eadem dici possunt propter principalitatem fidei, servata differentia magis, vel minus explicati. Similiter & symbolum primum Nicænum, ac secundum Nicęnum quoad principalia credita idem est; quoad explicationem, minor est in symbolo primo, maior in secundo. Profectò in primo Nicæno fides de Spiritu sancto est valde simplex, & inexplicita: in secundo verò Nicęno explicata est exactè, & consubstantialitas Spiritus cum Patre, & Filio, & origo eius à Patre, & à Filio.

77. Secunda falsitas capitalis in responsione Ephesii est confessionem fidei Nicænę, primę scilicet, esse sufficientissimam, neque egere additione vel perfectione. Nam S. Gregorius Nazianzenus epistola secunda ad Clidonium, ab initio ait. *Nihilaquè ac fidem Nicænam à Sanctis Patribus, qui* *Secunda falsitas Ephesini*

illic ob Arianæ hæreſeos purgationem convenerunt, honoramus, aut honorare valemus. Sed eiuſdem fidei ſumus, & Deo dante erimus, ſupplentes id, quod illis de Spiritu ſancto non plenè dictum est. Quoniam quæſtio illa nequaquam tùm mota fuit. In quem ſenſum lege eundem Oratione de Spiritu ſancto, quæ eſt quinta de Theologia. Cõſonat Nazianzeno S. Baſilius epiſt. 60. & clarius epiſtola 78. in qua poſt recitatum ſymbolum Nicænum, ſubdit. *Quandoquidem igitur hic alia quidem ſufficienter, & exactè decreta ſunt, partim ob correctionem eorum, qui læſi ſunt, partim ad præcavendos eos, qui exorituri timebantur. Spiritus ſancti autem ratio in tranſcurſu poſita est, nulla diligentia digna iudicata, propterea quòd nondum mota eſſet hæc quæſtio, ſed ſententia de ipſo in credentium animis nullas adhuc inſidias ſuſtinuiſſet. Paulatim verò progreſſa ſunt prava impietatis ſemina, quæ prius quidem ab Ario hæreſis præfecto in terram coniecta fuerant, poſtea verò ab his, qui illius dogmata malè ſuſceperunt in perniciem Eccleſiarum enutrita ſunt, ipſa impietatis conſequentia etiam in blaſphemiam contra Spiritum irruit. Neceſſarium eſt &c. illud producere. Quod eos execrari oportet, qui Spiritum ſanctum dicunt eſſe creaturam.*

S.Baſil.

78. Quia ergo tempore Conſtantinopolitani concilii duo diſputabantur contra Spiritum ſanctum, primum, quòd Spiritus eſſet creatura, ſecundum quod non erat productus à Patre; nihil verò ſpectans ad productionem Spiritus à Filio erat in controverſia. Ideò Baſilius parum deligentiæ adhibuit in proceſſione Spiritus à Filio confirmanda. Sed in conſubſtantialitate cum Patre, & Filio, atque in productione Spiritus à Patre, diligenter inſtitit. Quod ipſum etiam concilium Conſtantinopolitanum fecit. Similiter, exorta diſputatione Theodoriti contra Cyrillum; quòd Spiritus non eſſet ex Filio, vel per Filium: quinta ſynodus damnavit, omnia ſcripta Theodoriti contra Cyrillum damnãs, ita quoque ſexta ſynodus. Exorta item diſputatione inter Copronymum Iconoclaſtam, & catholicos, contra proceſſionem Spiritus à Filio, ſeptima ſynodus in ſymbolum adiecit, *procedere Spiritum à Filio*. Quæ adiectio neque in ſymbolo Nicæno, neque in Conſtantinopolitano facta fuerat;

Idem habetur in concilio Chalcedonẽſi Actione 16. ſcilicet, fides de Spiritu sãcto ſimplicẽ fuiſſe in primo ſymbolo.

rat; sicut neque in Nicæno fuit apposita declaratio de Spiritu sancto, sed verba symboli Apostolorum præcisè recitata. Ex Nazianzeno itaque attestante, de Spiritu sancto, *Non plenè* dictum est. Ex attestatione Basilii, in Nicæno symbolo doctrina de Spiritu *in transcursu posita est, nulla diligentia adhibita*. Qua fronte contra duos sanctissimos, & doctissimos viros & contra synodum Chalcedonensem ipsos approbantem, audet Ephesius asserere, fidem Nicænam de Spiritu sancto esse sufficientissimam, neque egere additione, vel perfectione.

79. Secundò. Deinde si sufficientissimum est symbolũ Nicænum primum, ergo Patres secundæ synodi stolidi fuere, tàm multa ingerentes in articulo de Spiritu sancto. Nicænum ait hoc tantùm. *Et in Spiritum sanctum*. Constantinopolitanum hæc ex sacris litteris addit. *Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum, qui loquutus est per prophetas*. Addidit etiam plures articulos fidei, ut supra vidimus. Si autem symbolum Nicænum erat sufficientissimum, nulla perfectione indigens; ergo Constantinopolitanum illa frustra adiecit, & meritò Constantinopolitanum oblivioni traditum est in tertia synodo.

80. Tertiò. In utroque symbolo & Niceno, & Constãtinopolitano deest primus articulus, fidei proprius, scilicet *Creatio*: ponitur *Factio*, ut genus, non ponitur *Creatio*, quæ est species credita, & ab Apostolis in symbolum posita. *Factio naturaliter nota, creatio fide credita.*

Secundò omittitur Conceptio Christi; *Conceptus est de Spiritu sancto.*

Tertiò deest *Crucifixio, & Mors*. Cùm enim potuerit Christus pati lapides Stephani, ignes Laurentii, gladium Pauli; potuerit pati, & non mori. Hæc duo, in quibus scientia Christianorum, & gloria Christianorum consistit, prætermisit utrunq; symbolum. *Scientia, & gloria Christianorũ Crucifixus.* Scientia, inquam, dicente Apostolo. *Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum* 1. Cor. 2. Gloria verò, Gala. 6. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi*. At in symbolo Apostolorum plenior, & perfectior est fidei confessio. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus*.

Quar-

Quartò. In utroque symbolo Nicæno, & Constantinopolitano deest *Descensus ad inferos*, qui articulus in symbolo Apostolorum adest.

81. Quintò. In Constantinopolitano articulus de remissione peccatorum arctatur ad baptisma. Sed in symbolo Apostolorum, remissio peccatorum in generali ponitur tùm ad baptisma, tùm ad pœnitentiam, quibus mortalia delentur: tùm ad alia sacramenta, quia omnibus venialia delentur, præsertim verò extrema Vnctione. Soluuntur item peccata non solùm sacramento, sed extra sacramentum, non modò in hac vita, sed & in purgatorio & quoad culpam, & quoad pœnam. Facilè igitur dabitur aduersariis ansa, ut ex hac affirmatione, Remissio peccatorum baptismate conceditur, inferant, ergo non remittuntur peccata per pœnitentiã. Sicuti ex eo, quia dicitur affirmativè, *Spiritus procedit ex Patre* colligunt negativam, *Non procedit ex Filio*.

Culpa, & pena remittitur in baptismo & extra.

Culpa etiã in purgatorio remittitur.

82. Sextò. In Constantinopolitano ultimus articulus est: *Vitam venturi sæculi*. In symbolo Apostolorum, *Vitam æternam*. Sæculum est duratio habens finem, Vnde sæcula sibi invicem succedunt alterum post alterum: propter hoc in Apocalypsi, sæcula sæculorum sæpiùs repetuntur: repetuntur & in Ecclesia. Quia verò solemne est hereticis sub affirmativa catholica, negativam hæreticam occultare: sicut Nestorius sub illa affirmativa, Maria est Mater Christi, inducebat negativam, non est Mater Dei. Sicut Eunomius sub affirmativa, Spiritus procedit à Filio, includebat negativam, non procedit à Patre, sicuti Theodoritus sub affirmativa, Spiritus procedit à Patre, subintelligit negativam, non procedit à Filio, ut modò dicebamus. Ita quoque Origenista aliquis sub hac affirmativa, Vitam venturi sæculi, palliabit negativam, Non eterni. Origenes etenim nec beatitudinem, nec miseriam æternas credidit, sed finem habituras, ut Alphonsus de Castro aduersus hæreses tit. Beatitudo, hæresi tertia docet. Melius igitur Apostoli, Vitam sine fine, quàm Patres Constantinopolitani explicarunt: nam sæculum est duratio centum annorum.

Mos hæreticorum.

Origenes hæresis.

83. Nec sine ratione tamen Patres hi vitam venturi

sæculi,

sæculi, non præsentis credendam iusserunt. Id enim contra *Cerinthi, & Nepotis error.* Cerinthum, & Nepotem posuere, qui credebant beatitudinem à Christo promissam consistere in voluptatibus, ac deliciis carnis, ut gula, ac luxuria, quæ in hac vita præsenti habentur. De Cerintho lege *Castr. Prat. Euseb. Nice.* Alphonsum Castr. tit. Beatitudo, hæresi secunda ex Eusebio lib. 3. hist. Eccles. cap. 28. & Prateolū cap. Cerinthiani, &c. & de Nepote c. Nepos ex Eusebio lib. 3. cap. 24. & Nicephoro lib. 6. cap. 21. Ad excludendā igitur hāc hæresim, quæ proponit fidelibus delicias præsentis vitę, posita est vita venturi sęculi expectanda, non præsentis. Sed Apostoli perfectius, cùm vita æterna non sit præsentis sæculi desinentis, dixerunt, Vitam non desinentem esse credendam, atque ita excluserunt voluptates sæculi pręsentis, incluserunt lætitias venturi sæculi, contra Cerinthum. Excluserunt vitam cum fine, incluserunt vitam sine fine, contra Origenem. Si igitur confessio Apostolorum in istis non est superflua, Nicæna, & Constantinopolitana sunt mutilæ, & cum defectu, qui defectus, quo ad plura, in secunda synodo Nicæna supplementū, & perfectionem accepit.

84. Sufficiens igitur est symbolum Nicænum ad Arii hęresim reprimendam circa Filium Dei; simpliciter non est sufficiens. Etenim in concilio quarto, nempe Chalcedonensi act. 5. in 2. tomo conciliorum cart. 276. legimus. *Ad cognoscendam quidem, confirmādamq; perfectissimè pietatem, consultissimum satis hoc divinæ gratiæ symbolum* (loquitur de Nicæno, & Constantipolitano simul, quorum simul coniunctorum, ut unius symboli ex duobus antea loquutum est) *saluberrimūq; sufficeret*. Nota, sufficeret ad ista. Sed subnectit. *Verùm quoniam quidam ea, quæ sincera veritas prædicat, depravare conati, novas auditu suas perfidias hæreticas ediderunt* &c. *ea propter ab universa contra veritatem machinatione volens eos excludere, synodus statuit, ut illibata permaneat fides Nicæni, Constantinopolitani, & Ephesini concilij* &c. Synodus Chalcedonensis adiecit propriam fidei definitionem, & confessionem. Deinde prohibet, ne quis Episcopus, Clericus, Laicus, (& propter Eutychen addit), *Monachus*, aliam fidem exponat. Non ergo concilium tertium

vel

vel secundi generalis, vel quarti declarationes symboli prohibuit, sed solis subditis legem imposuit. Sufficit ergo symbolum Nicænum aduersus Arium, non sufficit aduersus alias hæreses, præsertim de Spiritu sancto.

85. Item, Chalcedonense Act. 16. cart. 349. Respondet obiectioni ipsius Ephesii aduersus eos, qui epistolam S. Leonis impugnarent, *Quod non licuerit cuiquam exponere fidem, preter Patres, qui apud Nicæam concorditer convenerunt.* Respondet quidem. *Vnam quidem esse velut principali loco tre centorum decem, & octo Patrum confessionem, & que baptizandis traditur. Aduersus autem eos, qui veritati resistunt, & nouos errores excogitant, Necesse est eorum devia salutaribus adiectionibus refutare, non ut nouū ad pietatem (quasi fidei desit) semper aliquid exquirentes, sed ut contra ea, quæ innovata sunt excogitantes, quæ salubria iudicantur.* Quæ illic prolixè tractata legat pius lector, & summatim superius n. 75. a nobis collecta.

Salutares adiectiones non reprobantur, sed hæreticæ novitates.

86. Cùm autem ostendit concilium quartum in symbolo Nicæno contineri confessionem divinæ Trinitatis, adiunxit. *Sed quia tunc fidem, simplicemquè de Spiritu sancto doctrinam protulit, nullo adhuc certamen afferente de eo: illi qui de Arij stirpe progeniti sunt apud semetipsos hanc pestilentiam retinentes &c. in Spiritum sanctū blasphemiam transtulerunt. Vnde qui defensionem veritati postea detulerunt, pijs reniti argumentationibus, eorum penitus expulere contagia, Dominum eū, & Deum ex Patre procedentem declarantes.* Hoc quod licuit secundo concilio, vult Chalcedonense & sibi licere, scilicet addere epistolam Sancti Leonis, & confessionem suam contra Eutycheten. Ita dicamus, ut Chalcedonense concilium dixit. Sufficiebat symbolum Constantinopolitanum contra Arianos, & Semiarianos: sed quoniam de Theodori Mopsuesteni radice progeniti Nestoriani, & Theodoritus, atque Copronymus litem moverunt de processu Spiritus à Filio, de quo nulla lis, vel quęstio tempore Constantinopolitani concilii erat; ideò oportuit declarare, an affirmativa, Spiritus ex Filio est, an negativa esset vera.

Id in quinta synodo, dum epistolæ Cyrilli approbantur, & scripta contradictoria Theo-

Theodoriti reprobantur, declaratum est. Et in septima synodo in symbolo apposita est particula, *Filioque*, sicut apposita est particula, *Crucifixus*, & alia quoque. Si itaque additio, etiam in symbolo facta est in septima synodo de crucifixione, & Filioque, synodo generali additio non est prohibita.

87. Ex his quoq; patet confirmatio responsionis nostræ principalis à conciliis posterioribus, Chalcedonensi addente ad symbolum Nicænum multa in unam confessionem fidei: & Nicæno secundo adiiciente in ipsomet symbolo Constantinopolitano, & Nicæno pleraque.

Hæc aduersariis dicta sint. Subditis concilii generalis nō licuisse addere declarationem ad symbolum: superioribus, & paribus licuisse. Quam responsionem Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 29. ultimo loco approbat, & verè expeditissima est. *Bellar.*

Catholicorum opiniones de tempore, & de imponente Filioque in symbolum Constantinopolitanum.

CAP. IX.

88. QVanquam antea nos explicaverimus & legitimum concilium generale, & legitimum Papā, atque tempora eorum, quibus particula *Filioque* in symbolū inducta est: quia tamen alii aliter sentiunt, oportunum videtur eorum opiniones explorare, atque recipere, vel reiicere, salva semper Christiana charitate, & christiana veritate.

Prima opinio. Damasus. Prima opinio est, Sancti Damasi tempore, ab eodem Pontifice in concilio Romano factam esse additionem ad symbolum: quo item tempore Cōstantinopoli celebratum est secundum concilium generale, & eius symbolum recitatum. *Ex duobus unū concilii* Nam ex his duobus conciliis Occidentali, & Orientali, unū legitimum uniuersale conciliū secundum constat. Hanc opinionem à Stanislao Socolovio proditam reprobant Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 21. col. 344. & Vasquez in prima part. tom. 2. disput. 146. cap. 4. *Socolovij opinio reijcitur. Bellar. Vasquez.* Fundamentum Socolovii esse potest, quia in epistola Dama-

si ad concilium Constantinopolitanum, quæ est ad Paulinū Episcopum Antiochenum, adest particula *Filioque* de Spiritu sancto.

89. Bellarminus eam epistolam hac in parte dubiam facit, quia Theodoritus in historia inseruit epistolas Damasi ad concilium, & concilii ad Damasum. Non ergo ignorasset additionem. Ignorasse autem videtur, eo quòd tàm audacter scripsit, Spiritum ex Filio non procedere.

Theodoritus falsarius.

At Baronius ad ann. 867. num. 69. asserit, dolo malo à Theodorito falsatam esse epistolam Damasi. Probat ex collectione Cresconiana epistolarum Damasi, in qua adest vox, *Ex Filio procedens*. Secundo probat ex Gennadio Patriarcha Constantinopolitano, qui in defensione concilii Florentini cap. 1. sect. 7. car. 27. ex epistola Damasi ad Paulinum citat ista. *Hanc unam esse divini nominis Trinitatem, Patrem, qui Filius non est, sed habet Filium, qui non est utique Pater: Filium, qui non est Pater, sed Filius Dei natura est. Spiritum verò paracletum, neque Patrem esse, neque Filium, sed ex Patre procedentem, & Filio.* Cùm hæc eadem verba Damasi in primo concilio Toletano in assertione fidei habeantur, ex primo tomo conciliorum cart. 769. signum est, conciliū ita legisse Damasi epistolam, sicut in assertione fidei reposuit, & sicut Gennadius longè post citavit. Si autem hæreticus homo sciens, & volens mētitur in his, quæ pro ipso, vel contra ipsum faciunt, non est mirandum. Nonne Theodoritus sciebat Nestorii tempora, & se Nestorianum esse? At hæc in historia conticuit. Nōne sciebat famosissimum S. Athanasii symbolum, in quo Spiritus esse procedens a Patre, & Filio dicitur? Nihilominus impudenter hoc esse blasphemum asseruit contra Sanctum Cyrillum. Qua igitur impietate, & impudentia Theodoritus scripsit contra sanctam synodum Ephesinā, & contra Sanctum Cyrillum; eadem dedit exemplum successoribus suis falsandi, delendi, addendi ad litteras Patrum, & Pontificum, & conciliorum, atque ideò falsavit epistolam Damasi, omissa particula *ex Filio*.

Baron.

Zamerus tract. 10. q. 7. ar. 4. car. 260. col. 2. cum Baronio est.

Genad.

S. Damasi authoritas

Tertiò probo.

Concil. Tolet.

Hæreticus sciens et volens mentitur.

Theodoriti sinus.

Ex alia item falsificatione à Theodorito perpetrata, de præsenti falsificatione statuto. Sanctus Leo Papa epistolam

scripsit ad Flauianum contra Eutychetem, & Nestorium, quæ in synodo Chalcedonensi summis cum laudibus recepta est: in qua item synodo Theodoritus dixit, Anathema Nestorio, ac inter catholicos Episcopos est restitutus. Veruntamen non ita multò post idem Theodoritus epistolam Sancti Leonis prædictam in Græcũ transtulit, & Nestorianis erroribus inspersit. Quæ corruptela epistolæ in causa fuit, ut Ecclesia Alexandrina, Thessalonicensis, & aliæ quædam à communione cum Ecclesia Romana sint separatæ. Lege ad hoc Baronium tomo sexto anno 497. à numero 15. ad 18. Theodoritus ergo dixit ore, Anathema Nestorio, sed ex corde Nestorii errores non abiecit. Si ergo falsi crimine notatus est in epistola Sancti Leonis adhuc viventis: mirandum non est, si eodem crimine in eadem causa Nestorianismi laboravit, epistolam sancti Damasi falsando, iam olim defuncti.

In malis imitatores sæpenumero superant authorem. Ita Theodoritani Theodoritum imitati.

91. Profectò S. Gregorius Magnus in lib. 2. Dialogorum asseruit Spiritum esse ex Patre, & Filio; cuius authoritates Gennadius libro citato profert.

Verùm Baronius ad ann. 879. num. 64. Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 21. Valent. tom. 1. col. 686. notant, quòd Ioannes Diaconus in libro dicato ad Ioannem Papã, magnoperè taxat Græcos quosdam, eo quòd particulam *Filioquè* abraserint ex libro S. Gregorii.

Gennadius libro relato capit. 1. sect. 2. car. 10. Nysseni authoritatem proponit ex quarta homilia super *Pater noster*, in qua dicitur, Spiritus esse ex Patre, & ex Filio. Sed affirmat quosdam styloferreo in multis codicibus vocem *ex Filio* delevisse. Idem notavit ex Gennadio Coccius primo to. thesauri, car. 95.

92. In sexta synodo, actione quarta (in 3. tomo conciliorum cart. 259.) lecta est epistola Agathonis ad conciliũ, in ea scriptum est. *Et in Spiritum sanctum, Dominum, & vivificantem cum Patre, & Filio coadorandum.* Quem locum depravatum fuisse a schismaticis Photianis, Theodoritanisquè nuper annotavit Zamorus de Deo trino, & uno: & ante ip- *Agatho* *Zamorus Iulian. Card. Eman.*

sum Iulianus Cardinalis in concilio Florentino: & ante hunc cētum & eo amplius annos Emanuel Caleca Græcus homo, sed catholicus, in libro aduersus errores Græcorum. Deleta est enim vox, procedentem ex Patre, & Filio.

Anastasius. 93. Imò, quod animaduertit olī Anastasius Bibliothecarius S.R.E. post primā synodū, omnes ferè synodi sūt ab hæreticis depravatę, ut apud Baroniū anno 869. nu. 83. Atq; idē puto in omnibus libris Patrū esse factum, vitiatos scilicet esse illos, atque falsatos, quoad fieri potuit in hoc articulo. Neque est finis. Habeo codicem S. Ioannis Damasceni Basileæ impressum anno 1535. in historia Iosaphati, & Barlaami, in quo ponit Spiritum esse procedentem ex Patre, & ex Filio. Sed ante paucos annos Parisiis prodiere opera S. Ioānis Damasceni: at in hac Parisiensi impressione, sublata est vox *ex Filio*. Quin Parisiis edita sunt opera S. Athanasii, & ex symbolo eius Græco, deleta est particula *à Filio*.

Itaque Parisienses typographi, dum lucrantur pecunias, hæreticorum libros, & vota sequuntur: atque Christum, christianamq; veritatem vendunt. Quod fidei censoribus est accuratè perspiciendum. Vt alibi quoque monui quæst. 4. num. 12.

Concludo, Theodoritum, & sequaces hæretica fide libros vitiare, sicut & Sancti Basilii liber tertius in Eunomiū turpissimè corruptus est, quod suo loco dicam.

94. Falsa tamen est Socolovii opinio, quia licet S. Damasus in epistola dixerit hanc veritatem, non tamen illam in symbolum induxit, aut induci præcepit.

Secundò. Symbolum Cōstantinopolitanum nondum erat constructum; non igitur in illud addere Damasus potuit. Nicænum autem in se servatum est integrum sine appositione.

Tertiò. Non est verisimile omnia concilia, & Patres vitiatos tàm cito, ut si particula affuisset in symbolo secundo non fuisset ab omnibus recepta. Cùm Leonis tertii Papę ævo nondum esset in symbolū publicè à Pontifice recepta.

Reliqua argumenta in Bellarmino legantur aduersus hanc primam opinionem.

95. Secunda opinio refert additionem ad S. Leonem primum, quasi is iussisset in symbolum *Secunda opinio.*

bolum poni particulam *Filioque*. Invalescebant Priscillianistæ in Hispania, ideò S. Leo scripsit epistolam ad Turibiũ Astorigensem Episcopum, gratia damnandæ hæresis illorum. Epistola continetur in secundo tomo conciliorum cart. 106. Referuntur errores Priscillianistarũ, & primus error de Trinitate est, quod *Nec alius sit, qui genuit; alius, qui genitus est; alius, qui de utroque processit*.

S. Leo primus.

Neque hæc secunda opinio satisfacit. Etsi enim ex præcepto S. Leonis in primo concilio Toletano (estquè in primo tomo conciliorũ cart. 769.) facta sit assertio fidei catholicæ contra hæreses Priscilliani, in qua assertione illud est: *Spiritum quoque esse paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed à Patre, Filioquè procedens*. Nõ tamen præcepit et S. Leo in symbolum Nicænum, aut Constantinopolitanum induci voces, *ex Filio*. Atque de facto in eo concilio symbolum non est recitatum cum illa additione. Veritatem ergo catholicam expressit de Spiritu sanctus Leo, & à S. Leone concilium, quando dixit, Spiritum procedere ex Patre, & ex Filio. At non iussit hoc symbolo adiungi. Sicut & Leo Tertius confessus est hanc veritatem cum Nunciis concilii Aquisgranensis, non tamen voluit, illam additionem recipere, sed prohibuit.

Reiicitur secũda opinio.

Concil. Tolet. primũ.

Hanc secundam opinionẽ tenere visus est doctissimus Baronius ad ann. 447. num. 19. in tomo 6. Annal. qui locus est accuratè legendus. Veruntamen & ipse doctior factus, aliis locis aliter dixit.

Baron.

96. Tertia opinio esse potest, additionem esse factam primitus in concilio Toletano octavo, quod celebratum est circa annum Domini 653. quo in concilio symbolum cum vocabulo *ex Filio* continetur. Cæterùm immediatè ante recitationem symboli, verba concilii hæc sunt. *Sicut deniq; in sacris Missarum solemnitatibus concordi voce profitemur, Credimus in unum Deum.* Ergo ante concilium Toletanum octauũ symbolum in Missis recitabatur cum additione *Filioque*. Hæc additio non adest in concilio Toletano tertio celebrato anno 589. In conciliis intermediis quarto, quinto, sexto, septimo non recitatur symbolũ. Igitur ĩter annũ 589 tertii Toletani & 653. octavi Toletani, extremis exclusis,

Tertia opinio.

Reiicitur tertia opinio.

Concil. Tolet.

est differentia 63. annorum; atque hoc medio tempore, vel privata, vel publica authoritate Hispani posuere in symbolum particulam *Filioque*, & in Missis recitavere. Quapropter officium peculiare Theologorum, & Historicorum Hispaniæ erit quærere, quo concilio generali, vel quo Pontifice cōcedente licentiam addendi, in symbolum Patres Hispani addidere *Filioquè*. Alio qui nō video, quomodo non sint transgressi decreta primæ, tertiæ, & quartæ synodi generalis, in eiusquè pœnas non inciderint.

Hispanorum officium & obligatio.

97. Fortè dices. Decretum Ephesinum, & Chalcedonense comprehendere singulos vel Episcopos, vel clericos: de provincialibus, & diæcesanis conciliis non intelligi.

Contra est, quoniam si cuilibet concilio provinciali, vel diæcesano liceret addere in symbolum, quot essent provinciæ, vel diæceses, tot nasci possent symbola. Quod omnino est cōtra mētē primę, tertiæ, & quartæ synodi. Præterea, omne concilium diæcesanum, & provinciale, subditum est generali concilio: igitur tenetur legibus concilii generalis parere, & si non pareat, in pœnas incidit, & in peccatum. Ostendant saltem, quo concilio provinciali in Hispania sancitum est primitus, ut in symbolum additio fieret, & cum additione in Missis symbolum legeretur. Certè cùm in Gallia cantaretur symbolum cum additione *Filioque* sine licentia, seù facultate obtenta à summo Pōtifice; concilium Aquisgranense misit ad Leonem tertium petituros facultatem. Leo negavit se approbaturum additionem, negavit se fuisse concessurum, si addendi facultatem petiissent. Deniquè præcepit particulam removeri. Iussitquè describi in laminis argenteis symbolum sine additione, ut antea narravi. Itaque privata authoritate in Gallia longè post, in Hispania longè prius additio facta est, nisi ostendatur facultas addendi, quæ nōdum ostensa est. Sperandum est tempore procedente & hāc difficultatem superatum iri, quoniam tempus doctissimum est, & multa reperit, quæ non statim queunt reperiri.

Concil. Aquisgranen. Leo 3.

Tempus doctissimū est.

98. Quarta opinio & Andreæ Colossensis Episcopi, viri summa doctrina, & pietate exculti, qui in concilio Florentino sess. 7. car. 808. tomo 4. conciliorū, loquitur. *Nam maximo in Gallia, & Hispaniis*

Quarta opinio.

Andr. Coloss.

schis-

schismate imminente, cùm iam ex Filioque passim celebraretur, Romano Pontifici necesse fuit in multorum Occidentalium ampla dignitatis, magniquè consilii Patrum conventu, addit ex Filioque symbolum magis illustrare. Et cart. 809. addit Andreas. *Summum illum Pontificem sextæ synodi tempore fuisse, ut eis scriptis cognoscitur: quando etiam symbolum cum particula Filioque non ignorantibus vobis* (Græcis) *celebrabatur*. Andream Colossensem imitantur Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 21.

Gregorius de Valent. tom. 1. disput. 2 q. 10. punct. 2. col. 686.

Examinatur quarta opinio. 99. Adhuc tamen res est in obscuro. Primò quidem, quia non aperit Pontificem, quo concedente facta est additio, neque concilium illud nominat, neque certum annum designat.

Secundò, quia non primam impositionem, sed posteriorẽ insinuat. Testatur enim Andreas, passim celebrari consueuisse symbolum cũ Filioq; ante schisma commotum, & ante istius Pontificis concessionem.

Tertiò. Quia sequitur, Patres Hispaniæ sine legitima licentia, & facultate iniustè egisse addendo particulam: atque ideò factum schisma Gallorũ aduersus Hispanos: tumquè pacis, & unitatis causa Hispanis permissam particulam *Filioq;* aliis quidem, ut verum assertam, sed non permissam recitari. Nam si tempore sextæ synodi Gallis, & Hispanis particula concessa est; nempe ad annum 681. quo concessa est particula iuxta hanc opinionem: cur ad annum 809. num. 76. apud Baron Aquisgranenses postularent approbationem aditionis à Leone tertio? Itaque dicerem cum Colossensi, primò additam particulam ab Hispanis, maxime tempore octaui Toletani, anno 653 Tẽpore verò sextæ synodi, hoc est 681. excitatum schisma in Gallia, & Hispania, ad quod sedandum, Pontifex Romanus convocato concilio, concesserit Hispanis solis illam particulam recitare. Quoniam verò in sancta Romana Ecclesia symbolum Apostolorum dũtaxat recitabatur, non symbola conciliorum, ideò in S.R.E. non est additio recepta, neque aliis concessa nationibus. *Tempus sextæ synodi.*

100. Postea tempore Pipini in Galliis disputatum est Gentiliaci de cultu imaginum, & de processione Spiritus à Filio

lio cum Nunciis Constantini Copronymi, idest, cum Græcis Iconoclastis, quemadmodũ diximus, vti testatur Baronius ad ann. 766. num. 31. Bellarmin. tom. 1. col. 343. de Christo. Vasquez tom. 2. in pr. part. dilput. 146. cap. 1. Gregorius de Valent. tom. 1. col. 686. In quo concilio veritates duę sunt decisæ, non tamen in symbolum Gallorum addita est vox *Filioque*, sed præparatio facta est. Nam paulò post, nempe anno 787. in septima synodo, quæ est secunda Nicæna, prima, & legitima universalis additio facta est sub Hadriano Pontifice; etenim actione septima contra unum errorem Iconoclastarum indita est particula *Filioque* in symbolum. Post symbolum refutatus est alter] error circa sanctos, & sanctas imagines.

Hoc pacto reciperem opinionem Andreæ, non aliter; quæ etiam ita recepta desiderat manifestationem illius Pontificis permittentis additionem Hispanis.

101. Tametsi verò in symbolum secundum Nicænum additio declarans Spiritum ex Patre, & Filio procedere, facta est: non est factum præceptum, ut ubique per orbem in Missis ita recitaretur, sed antiqua consuetudo servata est usque ad Ioannem octauum. Ioanni octavo successit Marinus, qui ut Photio schismatico, & hæretico damnanti particulam *Filioque*, & Ecclesiam Romanam, atque Pontificem anathematizanti conciliabulo publico, resisteret: apposuit particulam in symbolum, præcepit celebrari, & oppositum errorẽ damnavit, uti superius probatum est. *Io. 8. Marinus Papa.*

In hoc igitur consistit mea sententia, ut primum conciliũ generale, in quo sit legitimè imposita vox *Filioque*, sit septima synodus. Primus Pontifex, qui publicè, & universaliter præcepit poni, & recitari, fuerit Marinus. *A quo concilio & Pontifice Filioq: additum.*

An autem tunc sancta Romana Ecclesia cæperit recitare symbolum Constantinopolitanum, vel potius symbolum septimæ synodi, nondum comperi. Tu consule Baronium ad ann. 1014. numero quinto. *Baron.*

Car

Cur Orthodoxi in dogmate de processione Spiritus à Filio, sequantur Cyrillum potius, quàm Theodoritum.

CAP. X.

102. Postulatum est à me per Græcum, unum ex meis auditoribus, catholicum tamen (ut spero) cùm audisset, quid Cyrillus in synodo dixisset Ephesina de Spiritu procedente à Filio, sicut à Patre: & quid contra Cyrillum Theodoritus negaverit, Spiritum nempe neque ex Filio, neque per Filium accipere esse; Postulatum est inquam, cùm Cyrillus, atque Theodoritus fuerint ambo & Episcopi, & valde docti, quare potius Cyrilli sequamur sententiam, quàm Theodoriti?

Causa cur Cyrillum sequimur. Respondeo, id ab orthodoxis fieri tres ob causas: prima est approbatio conciliorum, secunda est discrimen authorum controversiæ, tertia consensus antecessorum Patrum.

103. Prima causa igitur est, quia synodica epistola Cyrilli, quę incipit, *Cùm Salúator*, cum duodecim capitulis Cyrilli approbata est in sancta Ephesina synodo generali; *Concilia approbantia Cyrilli.* dein de in quarta synodo Chalcedonensi, in quinta synodo, in sexta synodo, in septima synodo generali, quę apud Græcos sunt celebratæ, in quibus synodis Legati sanctæ Romanæ Ecclesię, & summi Pontificis Latini erant, alii omnes ferè Gręci Patres.

Approbata item est in conciliis generalibus celebratis in Occidente, Lateranensi sub Martino primo, Barensi sub Vrbano secundo, Lateranensi sub Innocentio tertio, Lugdunensi sub Gregorio decimo, Florentino sub Eugenio quarto. Et in quatuor his posterioribus conciliis Græci, & Latini orthodoxi de Spiritus processione à Filio Cyrilli sententiam sunt amplexi.

Concilia item provincialia plurima idem asserunt. Theodoriti scripta contra synodum Ephesinam, atque Cyrillum pro Nestorio, semper à catholicis conciliis posterioribus sunt damnata, & omnia, quæ contra Cyrillum scripsit, prout ex quinta synodo, sexta, septima superius recitatum est. *Theodoriti reprobant concilia.* Scimus autem, indubitanterquè credimus, concilia generalia legitimè congregata, regulata,

& confirmata à Sancto Petro, aut Petri successore, in fide errare non posse. Igitur in citata epistola Cyrilli, & specialiter in dogmate de processione Spiritus ex Filio, non est error in fide; sed in Theodoriti contradictione est error in fide damnatus. Atque hęc est prima causa, propter quã sequi malumus Cyrillum, & detestari Theodoriti scripta contra Cyrillum.

103. Secunda causa est differentia inter hos auctores cõtradictoriarum, Cyrillum, ac Theodoritum.

Cyrilli fides, et mores Sancti.

Cyrillus semper & in vita, & post mortem ab orthodoxis repertus est catholicus, & catholicorum dux fidelissimus. Imò tempore Ephesini pro fide catholica passus carceres, & cathenas, Martyr est appellatus. In vita, & post vitam vitæ integritate, & sanctitate operum præfulgens, semper & à Græcis, & à Latinis pro sancto, & cultus est, & colitur.

A schismaticis verò Ioanne Antiocheno, & asseclis, qualis Theodoritus: ab hæreticis, ut Nestorio, & sequacibus, odio implacabili, & maledictis grauissimis, atque persecutione vexatus: duplici gloria fulget, & quòd prauis exosus, & quòd bonis gratiosissimus extitit. Eamq; laudem doctrinæ orthodoxæ sibi peperit, ut quemadmodum inter Patres Latinos cunctis præcellit Augustinus, sic inter Græcos palmam referat Cyrillus Alexandrinus.

Theodoriti nota.

104. Theodoritus multis nominibus obscuratur. Infamis Magistro est; fuit nanque discipulus Theodori Mopsuesteni hæresiarchæ, illique addictissimus, atque eius dogmatibus; ut à Theodori nomine, Theodoritum se nominari voluerit. Qualis magister, talis discipulus.

Secundò. Infamis, quia in conciliabulo Ephesino à Ioanne Antiocheno schismaticorum duce, schismaticus Theodoritus stetit, ac inter cõmilitones, ceù armiger contra sanctam synodum Ephesinam pugnauit, atque ob id, tanquã schismaticus depositus Episcopatu fuit, & excommunicatus.

Tertiò. Infamis, quia Nestorii condiscipulus, atq; propugnator acerrimus fuit: ac ferè plura pro Nestorianismo, quàm Nestorius egit.

Quartò. Infamis, quia post sanctam synodum Ephesinam contra illam, & contra

Cyrillum, illiusquè capitula, comprobata à synodo Alexandrina, & Ephesina, scripsit.

Quintò. Infamis, quia pro Theodoro Mopsuesteno, pro Diodoro Tharsensi, pro Nestorio hæreticis scripsit contra sanctum Cyrillum.

Sextò. Infamis, quia post mortem Theodoriti in quinta synodo omnia Theodoriti scripta pro Nestorio, Diodoro, Theodoro sunt anathemati subiecta, velut impia: nec nõ & omnia ipsius scripta contra sanctam syonodum Ephesinã, contra Cyrillum, & contra Cyrilli capitula; & quinta synodus collat. 5. cart. 708. refert legem Theodosii, & Valentiniani comburentem scripta Theodori, & Theodoriti.

Lex Theodosii, & Valentiniani de comburendis hæreticorũ libris.

Septimò. Infamis etiam in eadem synodo dicente Iustiniano doctissimo, atque piissimo Imperatore in scripto ad quintam synodum transmisso, collat. 7. cart. 766. in 2. tomo conciliorum. *Andronicus Presbyter, & defensor, & Georgias Diaconus accipientes imaginem Theodoriti, qui vndiquaquè inculpatur propter fidei errorem, in currum eam imposuerũt, & in Cyrestenam ciuitatem introduxerunt psallentes, & ostendentes, quòd eiusdem illi sectæ sunt*. Iussio Imperatoris, processus formatio, ultio inferenda, legantur in loco relato.

Iustinianus Imperat.

Colẽtes imagine Theodoriti damnãtur.

Sancta synodus laudat pietatem Imperatoris, polliceturquè mercedem à Christo, proprias orationes obstringit Iustiniano, atque damnationẽ Theodoriti in sequentem octauam collationem differt, quã canone decimo tertio peregit.

105. Duo sunt, quæ afferri possunt pro Theodorito. Alterum est, Theodoritum fuisse tenacem Nestoriani erroris, & odii contra Cyrillum, & capitula eius aliquanto tempore: facta verò concordia inter Cyrillum, & Ioannem Antiochenum, atque schismatices Orientales, Theodoritum resipuisse, & cum Cyrillo in gratiam rediisse. Alterum verò, Theodoritum à pseudo synodo Ephesina depositum præsidente Dioscoro (fuerat verò etiam à synodo Ephesina damnatus) ad S. Leonem Romanũ Pontificem appellasse, & hæreses reliquisse, veramque errati egisse pœnitentiam.

Excusationem per Theodorito.

Quod ad primum attinet, sequuta est concordia inter Orientales, & Cyrillũ, sed Theodoritus in concordia recepit epistolam Cyrilli ad Orientales, duodecim capitula non recepit,

Prima excusãtio reijcitur.

cepit, imò contrariam esse epistolam illam capitulis dixit. Lege in quinta synodo collat. 5. cart. 729.

Reconciliatio ficta Theodoriti cum Cyrillo. Vide quintā synodū collat. 5 cart. 709. col. 2.

Amicitiam finxit cum Cyrillo receptis, datisquè inuicē epistolis, sed inimicitiam non dimisit. Imò scripsit contra Cyrillum pro Theodoro Mopsuesteno, quem impugnarat Cyrillus post concordiam. Post mortem Cyrilli, mortuo insultauit, & hæresim Nestorianam tenuit in collocutione coram Domno Patriarcha Antiocheno, quæ legitur in quinta synodo collat. 5. cart 731. col. 1. Item & epistola post mortem Cyrilli ad Ioannem Antiochenum in quinta synodo lecta est, cart. 730. Video Baronium ad ann. 444. num. 17. defendere Theodoritum, quasi illa epistola non ab eo, sed ab aliquo impostore Nestoriano scripta sit ad conflandum odium in Theodoritum. Ceterum, magis credo quintæ synodi Patribus, qui erant proximi illorum temporum, quā supputationi Baronii, quæ tota nititur ipsius Theodoriti attestatione.

Baron.

Post synodum Chalcedonensem, & S. Leonis Papæ fauorem non dimisit hæresim Nestorii Theodoritus, imò epistolam S. Leonis ad concilium Chalcedonense in Græcum transferens, Nestorianis erroribus infecit, lege Baron. to. 6. an. 497. num. 15.

Theodoritus nunquā recepit capitula Cyrilli.

Denique nunquam, & nusquam inuenio, Theodoritum recepisse Cyrilli epistolas duas, & capitula eius, sed semper detestatum illa fuisse. Nisi mihi ostendatur ipsum recepisse capitula, & synodum Ephesinam, ego sub pedibus S. R. E. paratus corrigi, existimo Theodoritum in hoc peccato impœnitētem obiisse. Peruersi enim difficile corrigūtur: præsertim ij, qui non ex ignorantia, vel imbecillitate, sed ex tumore scientiæ volunt videri rectè dicere, etiam si sciant se errare.

Secunda exceptio reijcitur.

106. Quod attinet ad secūdum, Dioscorus Patriarcha Alexandrinus in conciliabulo Ephesino hæresim Eutychetis statuerat, sanctum Flauianum, & multos, indicta causa, Episcopatu deiecerat, inter quos Theodoritum veluti Nestorianum. Theodoritus promptus scribendo, & loquendo, appellauit per litteras ad Pontificem Romanum S. Leonem primum. Sed per quam fictè te laudat, aduersarios damnat atque decipit sinceram Ponti-

tificis mentem. Leges integrã epistolam apud Baronium anno 449. num. 103. ex qua fragmentum ad numerum 108. appono. *Nam cum viginti sex annis ab universorum Deo creditã Ecclesiam per vestras preces rexerim: non tempore beatissimi Theodoti Orientis præsulis, non tempore illorum, qui eis in sede Antiochena successere, quamuis levem subij reprehensionem, sed mihi divina opem ferente gratia, plusquam mille animas liberaui à morbo Marcionis, multas autem alias à secta Arij, & Eunomij adduxi Christo Domino; & ut in Octingentis Ecclesijs pastor essem, mihi sortito obtigit (tot enim parœcias habet Cyrus) in quibus per vestras preces, ne unum quidem remansit zizanium, sed ab omni errore hæretico liberatus fuit grex noster. Novit, qui omnia intuetur, quot à nefarijs hæreticis lapides in me missos sustinuerim, quàm multa in multis Orientis ciuitatibus certamina susceperim aduersus gentes, aduersus Iudæos, aduersus omnem hæreticorum errorem. Et post tot sudores, & labores, nec in ius quidẽ vocatus, sum condemnatus. Ego autem Apostolicæ vestræ sedis expecto sententiam: & supplico, & obsecro vestram sanctitatem, ut mihi appellanti ius vestrum & rectum iudicium, opem ferat, & iubeat ad vos accurrere, & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem. A me enim scripta sunt alia quidem ante viginti annos, alia verò ante decem, & octo: alia ante quindecim, alia ante duodecim, partim quidem aduersus Arianos, & Eunomianos, partim verò aduersus Iudæos, & gentes, partim verò aduersus Magos, qui sunt in Perside; alia rursus de uniuersc, & generali prouidẽtia: alia rursum à me per diuinã gratiam sunt explicata de Theologia, & diuina humanæ naturæ susceptione, & scripta Apostolica, & propheticæ prædictiones. Et ex eis facile sciri potest, an servaverim rectam, atque inflexam fidei regulam, an rectitudinem eius transiliam.*

Epistola Theodoriti ad S. Leonẽ.

Nota primum

Nota secundũ

Nota tertium

Nota quartũ.

Theodoritus hæreticus.

107. Nota, quo pacto astutus homo imposuerit sanctissimo, & sincerissimo S. Leoni Papæ. Memorat primò Theodotũ Patriarcham, sed Ioannem Antiochenum schismatis authorẽ contra sanctam synodum Ephesinam, & Domnum in pseudo synodo Ephesina à Dioscoro exauthoratũ, quia non recepit Ephesina Cyrilli capitula; non nominat. Ne scilicet excitet memoriam Leonis ad nõ

fidendum ei, qui tales testes adhibeat schismaticos, & hæreticos: ab ijs enim non esse reprehensum, sed laudatum, est signum participationis in schismate, & hæresi, qualis participatio summa erat in Theodorito.

Nota secundò, & quintò, quas hæreses impugnat, contra quas scripsit. Confitetur, quæ ad laudem; sed impugnasse sanctam Ephesinam synodum, & S. Cyrillum; sed scripsisse pro Nestorio, pro Theodoro, pro Diodoro, tacet. Dum namque hos defendit, illos impugnat, censet se tenere rectã fidem. Hic mos est hæreticorũ, ut sua dogmata quantumvis perversa, asserant esse fidem catholicam, seque esse catholicos: Veritates catholicas, ut hæreses respuant, & catholicos tanquam hæreticos execrentur. Quod sedulò factum à Theodotito contra Cyrillũ, & synodum Ephesinam pro Nestorio, ac Theodoro, novimus. Iustus in principio sermonis accusator est sui; quid in se accusauerit Theodoritus, non invenio: quid accusauerit in aliis, vides. Non iustus, nec iustificatus est, sed veluti Pharisæus ille sui laudator apparet. Dicit nullum zizanium

Lactanti. Inst. lib. 4. ad calcem. & Baron. an 722 nu. 2.

se reliquisse in suo grege. Quã falsò, cùm usque ad illum diẽ, & post cum Nestorio, ac Theodoro docuerit: gregemquè suũ haud dubiè infecit dogmatibus, Cyrillo, & Ephesinæ synodo contrariis? Sed hæc non erant zizania Theodorito.

108. Nota tertium, labores contra hæreticos. Cur non narrat labores, quos pro hæreticis Nestorianis contra synodum catholicam ferè in 50. synodis erroneis ipse peregerit, Cyrillum, ac Memnonem in carcerẽ intruserit, cathenis oneraverit, calumniis, & excommunicatione vexaverit?

Nota quartò, Eusebium Episcopum Dorilei, ac Theodoritum Episcopum Cyri à Dioscoro in prædatoria synodo Ephesina Episcopatu priuatos. Ambo appellarunt sũmum Pontificem, ut supremũ iudicem. Eusebius Romam profectus, potuit à Sancto Leone exactè de fide examinari. Theodoritus litteras misit, Sanctus Leo illis detulit litteris, sinceras eas ex propria sinceritate iudicans. Atqui deceptus est. Recepit Theodoritum in communionem, neque exegit retractationem scriptorum contra sanctam synodum Ephesinam, neque approba-

Eusib. Dorilei Theodoritus

Synodus Ephesina secunda prædatoria.

Appellatio Episcoporum ad Papam.

S. Leo Papa.

tionem expressam duodecim capitulorum, ac synodicarum, ut par erat, quia expressè ista impugnarat, ideoquè explicitè, & expresse erãt exquirẽda, & abiuranda. At verò Patres synodi Chalcedonensis optimè noverant Theodoritum, illoquè in synodum introeunte, actione prima, cart. 136. col. 2. Multis acclamationibus illum hæreticum esse, & foras mittendum protestati sunt. Prævaluit authoritas Pontificis, & Imperatoris, permissusque est sedere Theodoritus inter accusatores Dioscori. In octava actione eiusdem concilii, cùm iubetur Theodoritus dicere. *Anathema Nestorio, & ÿs, qui ea, quæ ipsius sunt, sapiũt.* Multis suis tergiversationibus præmissis, multis acclamationibus Patrũ, *iste hæreticus est, iste Nestorianus est*, &c. *Hæreticum foras mitte*. Tandem dixit, *Anathema Nestorio*. Nihil amplius contra hæreses proprias. Ita restitutus est in Episcopatum magna cum negligentia, non requirendo ab eo approbationem capitulorum, & synodi Ephesinæ, ac reprobationem scriptorum contra synodum, & Cyrillum. Sed an ex animo, an extra tantùm Nestorium abiurarit, nescio: scio, peruersos difficile corrigi.

Expressi errores expressè retractandi.

Chalcedonẽsis synodus contra Theodoritum. Dioscori accusatores.

109. Probemus Theodoritum nõ recepisse synodi Ephesinæ synodicas cum capitulis, neque ante litteras ad Sanctũ Leonem scriptas, neque post eas. Baronius in Appendice ad tom. 8. quæ habetur in calce decimi tomi, refert epistolã Theodoriti ad Domnum ante congregatam synodum à Dioscoro. In ea quàm execraretur duodecim capitula, satis constat, si legatur. Postquam propter capitula non recepta, Domnus Patriarchatu, Theodoritus Episcopatu deiectus est. Theodoritus appellavit, quia inauditus, esset exauthoratus. Sed Baronius ad ann. 449. nu. 163. refert aliam epistolam posteriorem supradicta. Quia enim Dioscori socij dicebant, Nihil circa dogmata innovatum; Theodoritus confutans hoc, ait. *Propter quas cædes, & magicos actus ego eiectus sũ? Alius quanam adulteria perpetrauit? Alius quæ sepulchra effodit? Perspicuum est etiam barbaris, quòd propter dogmata me, & alios eiecerunt. Dominum enim Domnum Antiochenum Episcopum, quasi capitula non receperit, deposuerunt. Optimi illi, omni laude digna illa vocantes, & persistere in illis confitem-*

Theodoriti epistola

tentes. Ego enim eorum depositiones legi. Me verò tanquam hæresis principem damnaverũt. En quam turpi ironia optimos vocat, qui capitula retinent, & illa omni laude digna censent? Domnum propter capitula nõ recepta depositum scivit sanctus Leo, depositionemquè approbavit. Idem erat facturus de Theodorito, si idem resci- visset. Certè princeps erroris Domni fuerat Theodoritus, & princeps Nestorianorum impugnantium sanctam Ephesinam synodum.

Domni depositio approbatur à S. Leone.

Igitur non recedam à iudicio quintæ synodi. Ita B. Gregorius primo Registr. epist. 24. & habetur dist. 15. cap. *sicut Sancti Euangelij*. Ita profitentur Papæ 16. dist. c. *sancta*. Atque ideò puto impœnitentẽ decessisse Theodoritum, nunquamq; synodi Ephesinæ decreta recepisse. Si quis oppositum ostendat, manus dabo.

110. Scio à Bessarione in concilio Florentino excusari Theodoritum, sed nulla ratione allata. Scio à Baronio excusari, sed nil affert, nisi Theodoriti dicta, quibus se dicit catholicum. At nullus est hæresiarcha, qui se non asserat catholicum. Oportet in speciali ostendere, quòd Theodoritus receperit synodi Ephesinæ decreta, quodquè retractaverit scripta contra synodum, & Cyrillum: scripta pro Nestorio, Theodoro, Diodoro. Nisi hoc mihi ostendatur, maneo in sententia quintę synodi.

Bessar.

Baron.

Lactant. Institu. lib. 4. cap. ult.

Audio à quibusdam Theodoritum appellari sanctum, & beatum. Si sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifex illos titulos tribuat, assentior. At hoc mihi non liquet. Noui autem ab hæreticis, & schismaticis suos authores appellari sanctos, veluti Marcus Ephesius Photiũ in concilio Florentino, sanctũ dixit: cuius horrenda scelera, si legas, dæmonẽ, vel Iudã, non sãctũ dixeris. Si ergo Cyrillus & imaculatus opere, & immaculatus doctrina tùm vivens, tùm mortuus extitit; Theodoritus alumnus hæretici, hæresiarcha, & in vita reprobatus à concilio tertio, & post mortem à concilio quinto generali fuit: planè benè orthodoxi faciunt, cùm Cyrillum potius sequuntur asserentem, Spiritum ex Filio, & ex Patre esse, deserunt contradicentẽ Theodoritum.

Theodoritus à quibus dicitur sanctus.

Ephesius Photiũ sanctũ appellat.

111. Tertia causa, propter quam sequimur inseparabiliter Cyrillum, est consensus doctrinæ eius cum Patribus anteces-

cessoribus, qui consensus in Theodorito non invenitur. Afferre Patres speciatim, non est huius loci. Nunc afferam unam Patrum authoritatem generalem in concilio, aliam specialem Sancti Athanasii, qui prçcessor, non immediatus tamen, S. Cyrilli fuit in Patriarchatu Alexandrino.

Concil. Nicæn. Primum conciliu n Nicænũ in symbolo, de Spiritu sancto nihil dixit, nisi quæ in symbolo Apostolorum sunt, *Et in Spiritum sanctum*. Extra symbolo iam tractatum est, sed hæreticorum perfidia periere acta illius concilii. *Gennadius.* Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus de processione Spiritus sãcti, lectione secunda ex prima synodo hæc citat. *Spiritum sanctum ex Patre procedere: proprium autem cum esse Filij, & ex eo scaturire.*

112. Extat tamen in primo tomo conciliorum cart. 526. disputatio philosophi pro Ario contra synodi primæ Patres: *Philosophus pro Ario.* in qua disputatione Patres aiunt de Deo. *Patres Nicæni* *Admitte unam divinitatem Patris Filiũ ineffabiliter generantis, & Filij ex eo geniti, & Spiritus sancti ex eodem Patre procedentis, qui & proprius est Filij, ut ait divinus Apostolus Paulus. Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Ad imitationem horum Cyrillus dicit, Spiritum esse proprium Filii, hoc est, referri ad Filium, tanquam ad proprium correlatiuum. *Spiritus cur proprius Filij.* Non potest autem Spiritus esse proprius Patris, & Filii ratione consubstantialitatis, quia Pater est consubstantialis Filio, & Spiritui, & è contra. Sed Pater non est proprius Filii, neq; proprius Spiritus sancti: neq; Filius dicitur proprius Spiritus sancti. Quia verò in persona divina nihil est nisi essentia, & relatio originis, Spiritus propter relationem originis procedit ex Patre, & est proprius Filii. Non quidem originis activæ existentis in Spiritu, quoniam Spiritus non producit Patrem, nec Filium; ergo ratione originis passivæ & procedere ex Patre, & esse proprius Filii dicitur Spiritus sanctus. *Concil. Alex.* Atque ita proprietatem hanc Cyrillus intellexit in declaratione noni capituli.

113. Item, in eadem prima synodo cart. 527. col. 2. Trinitas assimilatur *fonti, fluuio, aquæ. Sed nemo fluuium appellat fontem, neque fontem fluuiũ, sed fons, fons appellatur, & fluuius fluuius, & utrunque aqua una.* *Similitudo Trinitatis.* Quando autem vult

quispiam à fonte, vel fluuio aquam dissolui, mutat nomenclaturam. *Non enim dicit, vade, progrediens haurias, & feras mihi fontem, aut fluuium, sed aquam. Et vna quidem natura, tres autem facies, sive personæ dicendæ sunt fons, fluuius, aqua.* Nota quo pacto fons, & fluuius sunt una aqua: nempe Pater, & Filius sunt unus Spiritus sanctus, qui ex fonte, vel ex fluuio dissolvitur. Certè duæ personæ non sunt per *identitatem* tertia persona, hoc enim Sabellianum est; sed per *originem*, quia originant unam personam Spiritus sancti: ut sit ibi constructio causalis, non formalis, sicut anima, & corpus sũt unus homo causaliter.

Pater & Filius qua ratione sunt unus Spiritus sanctus.

114. Secunda specialis authoritas est S. Athanasii in symbolo suo. *Spiritus sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* S. Cyrillus in epistola ad Orientales, primo tomo cõciliorum cart. 1131. se Diui Athanasij doctrinam sequi protestatur. Non mirum ergo si in synodica per tertiam synodum probata dixit, Spiritum procedere à Filio; perinde ac a Patre. Gennadius Patriarcha Constantinopoleos in libro de processione Spiritus sãcti, sect. 5. cart. 20. testatur, à Marco Ephesio in concilio Florentino (cui uterque aderat) responsum fuisse, Athanasium fuisse ebrium, quando ista scripsit: Nos tamen malumus sequi sobriam ebrietatem Athanasii, quàm stultam sobrietatẽ Ephesii. Iudæi calumniabantur Apostolos ut ebrios, Ephesius Iudæorum æmulus calumniatur Apostolicum Doctorem Athanasium.

S. Athanasii symbolũ

Cyrillus sequax Athanasii.

Genad.

Blasphemia Ephesii, & suorum.

Actuum 2.

Porrò nostro tempore Theodoritani liberati sunt ab onere respondendi, quoniam, ut hæreticorum consuetudo fert, dicunt à Latinis additam illam dictionem *ex Filio*. Vnde in Græcis impressionibus particulam *& Filio* ex symbolo Athanasii eraserunt.

115. Refellitur accusatio in catholicos intorta. Ruffinus, qui tempore S. Athanasii ferè vixit, in expositione symboli Apostolici animadvertit in Ecclesia Aquileiensi symbolum aliquo pacto immutatum, eo quòd recitaretur secretò, atque adeò esset subditum additioni, vel detractioni à singulis. Romæ nihil immutatum symbolum, quia sonora voce recitabatur, unde catholicæ aures nec syllabæ unius quidem mutationem tolerabant.

Ruffinus.

Symbolum secretò et publicè recitatũ ubi, & quo fructu.

Ita

Ita dicendum est de symbolo Athanasij, illud per omnes Ecclesias Occidentis singulis diebus dominicis alta voce ab omnibus clericis stando persolvi. Quare nullam mutationẽ subire potuisset, quin fuisset animaduersa, & reprehensa. Vnde cùm in quibusdam Franciæ, & Angliæ Ecclesijs alternantibus choris versiculus iste sic cantaretur. *Spiritus sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, sed procedẽs*: Abbo Floriacensis Abbas id ad Regem Robertum Franciæ detulit, ut emendaretur, omnesquè adderent particulam, *Nec genitus*. Acta sunt hæc anno Domini 1001. Si particula *ex Filio* fuisset addita, eadem additio taxata fuisset.

Abbo Floriacensis. *Robertus Rex.* *Baron. tom. 11 ann. 1001. num. 3.*

116. Postremò, Sancti Basilius, & Gregorius Nyssenus fratres sanguine, & eruditione, contra Eunomii, & Macedonii heresim de Spiritu sancto pugnarunt. Errabant hæretici isti in consubstantialitate, asserentes Spiritũ esse creaturam, non Deum. Hi duo Sancti Patres refutarunt hæreticos. Errabant in origine Spiritus dicentes hanc negativã, Spiritus non procedit à Patre: refutarunt acerrimè. Dicebant heretici, Spiritũ esse causatum à Filio. Neuter ex iis sanctis hoc vel negavit, vel refutavit. Planè si credidissent hoc tertium esse falsum, vel hæreticũ; ut erant zelo fidei armati, non tacuissent, imò negassent, confutassent: alioqui in officio suscepto confutandi hos hæreticos defecissent. Neque ullus ex Patribus antecessoribus usque ad Theodorum Mopsuestenum hæresiarcham, hoc tertiũ vel negavit, vel refutavit.

Theodorus Mopsuestenus.

117. Neq; Theodoriti sequaces unquam potuerunt ostendere aliquam authoritatem sanctorum, ex qua pateat aliquem ex sanctis negavisse, aut impugnavisse istam enunciationem, Spiritus est causatus a Filio. Itaque non positivè arguendo probant, sed ab authoritate negativè cum fallacia cõsequẽtis sic: Patres, vel scripturæ hoc non dicunt, ergo non est verum. Si verò authoritates aliquæ dicant Spiritũ esse à Filio, illas delent, eradũt, pervertunt. Erat igitur ante Theodoritum & apud catholicos, & apud hæreticos indubia illa enunciatio affirmativa, Spiritus est ex Filio, vel per Filium. Ideoquè ut quæ sine controversia erat, in secunda synodo non fuit posita in symbolo, sed sola pars controver-

Nullus Patrũ dixit Spiritus non est ex Filio. Ita etiã Bessarion epist. ad Alexiũ Lascarim animadvertit.

sa de processione à Patre. Vnde & Cyrillus, quod sine controversia erat apud Patres, posuit Spiritum à Filio esse. His tribus de causis Sanctum Cyrillum potius sequimur, quàm Theodoritum. Atque hîc sit finis disputationis historicæ, quæ annos ferè mille ducentos percurrit.

S. Cyrillus.

118. In qua disputatione moneo, non esse totam Græcorum nationem nobilissimam tanquam hæreseos Theodoritanæ ream vel accusandam, vel impugnandam. Vt enim omittam præclarissimas illius nationis dotes à politico regimine, à robore militari, à multitudine scientiarum, ab eloquentiæ, & poeticæ gloria, ab urbanitate morum, ab artium industria, à divitiarum affluentia, à veritatis studio celebri: illud non est omittendum, Orientalem Ecclesiam sanctissimis, atque doctissimis Patribus, fortissimis martyribus, intaminatis virginibus, fideique defensoribus fuisse cælo, ac terra radiantem, & Dei cultu, atque Ecclesię ædificatione suavissimum vitæ odorem diffundentem. Quocirca non oportet totam nationem nota hæresis inspergere, vel schismatis; sed ab authore hæreticos nominare; cæteros, qui fidei catholicæ sequaces sint, amplecti, & honorare. Profectò si quis diceret, Occidentalem Ecclesiam tenere, quòd corpus, & sanguis Christi non sint in sacramento Eucharistię; quòd non sit necessarium opera bona exequi ad salutē; quòd mandata Dei servare sit peccatum mortale; quod nulla sacramenta conferant gratiā, ex eo quòd Calvinistæ, & Lutherani in finibus Ecclesiæ Occidentalis ita sentiunt: is certè magnam iniuriam faceret Occidentali Ecclesiæ, & Latinis Christianis. Idipsum de piissima, & nobilissima Græcorum natione, & de Orientali Ecclesia dicendum existimo, neque totam illam gentem esse traducendam; catholici enim semper possunt dicere aurea illa verba Sancti Ioannis Apostoli in 1. Ioan. 2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permāsissent utiq; nobiscum.* 1. Io. 2.

Laudes Græcæ nationis.

119. Ea propter Theodorus Mopsuestenus, atque Theodoritus eius discipulus Nestorianorum antesignanus accusetur hæreseos. Constantinus Copronymus Agiomachus, & Iconoclastarū princeps istius hæresis de Spiritu sancto dux

Authores hæresis deneganttis Spiritum ex Filio.

prodatur. Photius adulter Ecclesiæ Constantinopolitanæ intrusus, istius hęresis propagator ostendatur. Accusare verò insontes, atque universaliter Græcos, omnino dedecet. Satius est nocentem dimittere, quàm innocentem damnare.

Si autem Latini Patres aliquando sine hac declaratione scripserunt aduersus Græcos de Spiritu sancto, non sunt intelligendi de omnibus Græcis, sed de iis, contra quos disputabant. Nam & Græci catholici possent contra multos Latinos in illa hæresi de negato processu Spiritus à Filio immersos arguere, ut videre est in Iodoco Coccio tomo primo Thesauri catholici, de Deo, & sanctissima Trinitate, articulo septimo cart. 94. ubi Latini plures notantur; nec propterea generaliter scribendum est contra Latinos, sicut neque contra Græcos, quasi negent Spiritum procedere à Filio. Sicut ergo alię hæreses, & hęretici ab authore notantur, Nestoriani, Ariani: sic in proposito Theodoritani, vel Photiani nominentur.

QVAE

Vtrum ex divinis litteris, Spiritus sit productus à Filio, sive ex Filio?

CAP. I.

Præparatio ad Quæstionem.

1. IN omni divina hypostasi duplex est prædicatum, alterum commune, ut Deitas, seù essentia, alterum proprium, ut paternitas est propria Patri, filiatio Filio, spiratio passiva Spiritui sancto: Nam Deitas, & Deus est prædicatum commune tribus. Ex iis essentia est entitas absoluta, & ad se: proprietas est entitas relativa, & ad alterum. Quare unaquæq; persona, ut constat ex revelatis immediatè constituta est ex essentia, ut entitate communi, & ex proprietate hypostatica relativa, ut ex constitutivo proprio in esse hypostasis, & distinctivo in esse hypostatico. Sic Pater & est Deus, & est Pater; Deus deitate communi, ut entitate absoluta, Pater paternitate, tanquam proprietate personali, ut entitate relativa. Filius similiter Deus est, & Filius; Deus deitate communi, & absoluta; Filius filiatione, ut proprietate personali, & relativa. Spiritus sanctus quoquè Deus est, & Spiritus; Deus deitate communi, & absoluta: Spiritus spiratione passiva, ut proprietate personali, & relativa. Atque hæ tres proprietates relativæ sũt characteristicæ proprietates distinguentes hypostasim ab hypostasi.

Persona divina constat deitate cõmuni, & proprietate personali.

2. Secundò animaduerto, in divinis personis duplicem relationem reperiri, communem, & propriam: communis est, identitas, similitudo, æqualitas, circuminsessio. Propria est relatio originis, nempe producentis, & producti, vel originantis, & originati, ut loquuntur Latini: sive relatio causæ, & causati, ut loquuntur Græci cum Sancto Gregorio Nysseno. Hypostases non distinguuntur ab invicem in esse hypostatico per relationes communes, sed per rela-

Relatio ad intra, communis, vel propria

Relationibus originis personæ distinguũtur.

relationes originis, & proprias.

3. Tertiò. Relatio originis duplex est, activa, & passiva; relatio activa, ut causæ, relatio passiva, ut causati: Spiritus sanctus non habet in se relationem originis activæ, seu relationem causæ. Quia primò Spiritus sanctus non producit Patrem, cùm pater sit improductus, & ingenitus. Secundò non producit Filium, quia Spiritus sanctus esset Pater Filii, & Filius esset productus à duabus personis, scilicet ut à patre, & matre. Tertiò Spiritus sanctus non producit seipsum, quia impossibile est, ut idem sit causa sui ipsius productiva. Quartò Spiritus sanctus non producit in divinis aliam personam ab istis, quoniam tunc non esset in divinis Trinitas, sed quaternitas personarum.

Spiritus sanctus nō producit, sed producitur.

4. Quæritur ergo cùm Spiritus sit spiratus passivè, sive causatus, vel productus passivè, à qua hypostasi producente, vel causante sit productus? In prima quæstione contra Eunomium ostendimus, Spiritum esse productum à Patre. In præsenti contra Theodoritum probare intendimus, Spiritum esse productum à Filio. Adsit nobis virtus Spiritus sancti, qui cùm sit Spiritus veritatis, inducat nos in omnem, & specialiter in istam veritatem.

Sensus quæstionis.

Quia verò multi solas scripturarum authoritates proponunt brevitatis gratia: ex ea tàm concisa propositione, apparet quid scriptura dicat formaliter, & explicitè: non autem quid ulterius virtualiter, & implicitè contineat. Ego pro viribus à Domino concessis, & proponam authoritates præcisè, ut brevitatis amatoribus consulam: & postea expendam easdem authoritates, ut constantibus sacrorum dogmatum scrutatoribus satisfaciam.

CAP. II.

In quo ex Euangelio Ioannis 16. probatur Spiritus esse à Filio.

5. PRimus locus ex divina scriptura in Ioann. 16. 13 est. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunq; audiet loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille*

me

me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.

Duæ sunt huius authoritatis partes, quæ nobis duo suppeditant argumenta robustissima.

In prima parte duo actus tribuuntur Spiritui sancto, *Audire*, & *Loqui*. Non loquetur à semetipso, sed ab alio: Non audiet à se, sed ab alio. Audire est accipere cognitionem ab alio communicante: Loqui est cognitionem in loquente formaliter existentem, alteri communicare, ut recipienti. Expressit Salvator istos duos actus. Non expressit, à quo Spiritus loquatur, & audiat: sed ipsa sermonis textura docet, intelligendum esse, à me audiet, & à me loquetur.

Audire, & loqui in divinis quid?

Spiritus audit à Filio, et ab eo loquitur.

6. Idcirco S. Ignatius in epistola decima. *Non enim*, inquit, *loquetur à semetipso, sed quaecunque audierit à me.*

S. Ignatius.

S. Cyrillus 9. Thesaur. cap. 4. dicit *Quòd si Spiritus sanctus non ignorat, quia à Filio accepit, ille nanque inquit, de meo accipiet.*

S. Cyr.

Item, libro 11. in Ioan. cap. 1. *Nihil igitur detrahitur Spiritui, cùm accipere à Filio credatur. Nam cùm per Filium naturaliter procedat, ut proprius eius cum omnibus, quae absolutè habet, accipere dicitur, quae ipsius sunt.*

Et libro eodem cap. 2. *Accipere nanquè dicimus Spiritum ex Patre, & Filio, quae illorum sunt: non quia non habuerit aliquando, & tunc solùm habuerit, quando accepit. (Semper enim sapiens*, &c.

S. Hilarius lib. 8. de Trinitate. *Omnia, quae Patris sunt, Filij sunt: & idcirco quicquid accipiet, à Filio accipiet ille mittendus, quia Filij sunt universa, quae Patris sunt, Natura itaque in omnibus tenet suam legem, & quòd unum ambo sunt, eiusdem in utroque per generationem, nativitatemquè divinitatis significatio est: cùm id, quod accipiet à Patre Spiritus sanctus, id Filius dandum à se fateatur.*

S. Hil.

S. Basilius in ser. de fidei confessione cart. 462. de Spiritu sancto ait. *Qui docet, ac suggerit omnia, quae audierit à Filio.*

S. Basi.

Didymus libro secundo de Spiritu sancto car. 308. in tomo 6. Divi Hieronymi. *Non enim loquetur à semetipso: hoc est, non sine me, & sine meo, & Pa-*

Didymus.

Patris arbitrio: quia inseparabilis à mea, & Patris est voluntate; quia non ex se est, sed ex Patre, & me est: hoc enim ipsum quod subsistit, & loquitur, à Patre, & me illi est. Ego veritatem loquor, id est, inspiro, quæ loquitur, siquidem Spiritus veritatis est.

S. Ambros. S. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto in præfatione, de Spiritu sancto ait. *Et manet in Christo, quia à Christo accepit, & in Christo est quia iterum scriptum est; ille de meo accipiet.* Idem habet in libro secundo cap. 12. & lib. 3. cap. 18.

Filius à Patre Spiritus à Filio accipit sapientiam. 7. Quapropter sicut Filius audit à Patre, id est, accipit sapientiam à Patre communicante: atque ideò Filius non loquitur à se, sed à Patre; sic Spiritus sanctus accipit à Filio communicante sapientiã, quod est audire: ac propterea Spiritus non loquitur à semetipso, sed à Filio. Tunc argumentor.

In Deo idem sunt essentia, & sapientia, esse, & sapere.

Didymus. Sed Spiritus accipit à Filio sapientiam, ut à communicãte, accipit ipsum sapere à Filio communicante: ergo accipit essentiam, & esse à Filio communicante.

Spiritus est à Filio. Sed produci ab aliquo, nihil aliud est, nisi recipere essentiam, & esse ab illo. Ergo Spiritus est productus à Filio.

Præterea. Esse, & agere idem sunt in Deo; nam propter summam simplicitatem Deus est sua actio. Loqui est actio Spiritus sancti, qua cõmunicat propriam sapientiam creaturis intellectualibus: & ipsum loqui, sive agere per loquutionem Spiritus sanctus accipit à Filio; ergo essentiam, & esse accipit à Filio.

8. Secundò. Quando aliquid datur, & accipitur, tunc tria reperiuntur; primum est id, quod dat, seu communicat: secundum est id, quod recipit: tertium est aliquid idem, quod datur à primo, & recipitur à secundo. Porrò triplex est communicatio, una productiva, qua communicans communicat essentiam, & esse ipsi recipienti, quemadmodum Adam communicavit Setho essentiam, & esse hominis. Altera est consequutiva, qua communicans communicat recipienti consequentia ad esse, ut regina Saba cõmunicavit Salomoni opes, & honores. Tertia cõmunicatio est cõpleta, qua communicans cõmunicat tùm esse, tùm cõsequentia ad esse ipsi recipienti. *In dando tria.* *Cõmunicatio triplex.* *Genes. 5* *3. reg. 10.*

Sicuti David communicavit Salomoni & esse hominis, & regios honores.

Filius Spiritui communicat sapientiã, et sapiẽtiæ publicationem.

Cùm igitur Filius Dei communicet Spiritui sapientiam, qua Spiritus est formaliter sapiens: communicet sapientiæ publicationem, qua Spiritus effectivè docet; sapientia, & sapientiæ publicatio, secundum rationem intelligendi, sunt consequentia ad esse, nã secundum rem sunt ipsum esse Dei. Iam interrogo, An Filius communicet Spiritui sancto præcisè consequentia ad esse, ita ut Pater solus communicaverit Spiritui ipsum esse: an Pater, & Filius coniunctim communicent Spiritui sancto & ipsum esse, & omnia consequentia ad esse. Si Pater communicat Spiritui solummodò ipsum esse, communicatio est *productiva*, sed non est completa. Si Filius communicat Spiritui sola cõsequentia ad esse, communicatio est *consequutiva*, sed incompleta. Nihil imperfectum est in Deo; ergo & Pater, & Filius tanquam unum principium communicatiuum *ut quo*, communicant Spiritui sancto & ipsum esse, & ipsum posse, & ipsum agere; nimirum communicant Spiritui & esse, & consequentia ad esse: ergo Pater, & Filius per unicum principium, productiuum *ut quo*, unica productione completissima producunt unum Spiritum sanctum.

Pater, et Filius cõmunicant esse & consequẽtia ad esse Spiritui.

9. Tertiò. Qui dat vivere viventibus, dat esse; Nam vivere viventibus est esse, per secundum de Anim. tex. 36. Sed intelligere est vivere, & actus intellectus est vita, ex 12. Metaphys. 39. (& psal. 118. Intellectum da mihi, & vivam) dicente Aristotele, & probante, quòd vita inest Deo: *Cæterùm*, inquit, *vita quoquè profectò inexistit, siquidem intellectus operatio, vita est. Ille verò est actus: actus verò per se illius vita optima, & perpetua est. Dicimus itaque Deum, sempiternum, optimumquè vivens esse.* Nunc autem ex Evangelio, Filius communicat Spiritui sancto ipsum intelligere, quo Spiritus audit à Filio: igitur communicat vivere, & esse: atque optimum vivere, & optimum esse. Quam ob rem sicut Pater habet vitam in semetipso, & Filio dedit habere vitam in semetipso: sic Filius habens in semetipso vitam intellectualem, optimam, & sempiternam, dedit Spiritui sancto habere

2. de anima 39.

12. Metaph. 39.

Intelligere est vivere, & intellectus vita.

Deus quid et quæ Dei vita.

Spiritus à Filio habet intelligere, vivere, esse.

habere in semetipso vitam eãdem intellectualem, optimam, & sempiternam. Ergo Filius produxit, producit, producet Spiritum sanctum in ipso esse, & vivere.

10. Quartò. Expendendus est contextus Evangelii. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur: & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.* In quo textu consideranda est conclusio proposita: Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatẽ; consideranda est ratio allata per coniunctionem rationalẽ, *enim*, Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet &c. Argumentum ita formabitur.

Ioan. 16.

Quicunque non loquitur à se, sed quæ à veritate audit, docebit vos omnem veritatẽ. Sed Spiritus veritatis non loquetur à se, sed quæ audit à veritate, id est, à me, qui sum veritas. Ergo Spirtus veritatis docebit omnem veritatem, etiam futurorum. Quod autem per veritatem intelligatur ipse Christus, exponit manifestè S. Cyrillus Alexandrinus lib. x. in Ioann. cap. ult. *Cùm enim prædixerit paracletũ ad eos venturum, Spiritum veritatis eum nominavit (ipse autem est veritas) ut discipuli scirent, non alienam se virtutem missurum: idcirco alio quodam modo seipsum eis pollicetur, veritatis Spiritum, id est, suum missurus. Non enim est alienus à substantia Filij Spiritus, sed ex ea naturaliter procedit, natura omnino idem, in persona verò propria subsistens. Hic ergo veritatis Spiritus ad omnem vos veritatem deducet.* Et infra. *Id signum vobis sit, ex mea illum substantia esse, & mentẽ esse quasi meam, quia futura, ut ego, vobis prædicet. Quod facere minime posset, nisi in me esset: & cùm per me procedat, eiusdem mecum substantiæ sit.* Ex quo, & evangelico textu, & expositione, constat; quia Spiritus est Spiritus veritatis, id est, Filii, & à Filio audit veritatem, id est, intelligit veritatem, & loquitur; ideò Spiritus omnem veritatem à Filio acceptam, Apostolis manifestabit. Atque istud loqui à Filio, & audire à Filio, est procedere ex substantia Filii cum Sancto Cyrillo. Hæc de prima parte authoritatis propositæ sint expensa.

S. Cyr.

Spiritus procedit ex substantia Filii.

Spiritus per Filium procedit.

CAP. III.

In quo ex secunda parte authoritatis propositæ probatur Spiritus esse à Filio.

11. IN secunda parte authoritatis ita legimus. *Ille me clarificabit, quia de meo* Io. 16. *accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia, quæcunque habet pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

Pro hac secunda parte, necesse est distinguere inter habentem, & rem habitam; Habentes sunt Pater, & Filius: Omnis alia res est habita communiter, & in solidum à Patre, & à Filio; Io. 17. *Omnia mea, tua sunt, & tua mea sunt*, ait Christus ad Patrem, Ioan. 17. Sic in sententia proposita. Io. 16. *Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt.* Alia res est Pater habens, & Filius habens: alia res est habita, & possessa ab ambobus, de qua & Pater dicere possit, hoc est meũ, & Filius itidem dicere valeat, hoc est meum. Nam hæc res est tertium quoddam, quasi bonum commune & Patris, & Filii. Quam ob rem errant, qui dictum illud, *de meo accipiet*, Exponunt, de meo Patre accipiet: quia Christus expressè distinguit inter Patrem, & Filium habentes ex una parte, & inter alia omnia, de quibus dicitur, mea, & tua sunt, tanquam communiter possessa: ista verò expositio confundit Patrem cum bono possesso à Patre. Christus ait, *Accipiet de meo*, quod pronomen est possessiuum, & significat, rem à me possessam. Quare omnis res mea, & à me habita, dicit Filius, est etiam habita, & possessa à Patre. Omnis etiam res sua, id est, à Patre possessa, & habita, est etiam habita, & possessa à me, ut res mea. Accipit ergo de bono meo, & Patris, non autem accipit de Patre habente, sed de bono habito à Patre, & à me. In qua comparatione habiti, & habentis, præsupponitur habens in esse hypostatico; unde proprietates hypostaticæ non sunt communiter habitæ, aut possessæ; cùm paternitas non sit in Filio, & filiatio non sit in Patre. His exceptis proprietatibus constituentibus hypostases habentes, omnia alia, inquit Filius

Aliud habens aliud habita.

Expositio reiecta.

Proprietates personales non sunt habitæ communiter.

ad

ad Patrem, sunt mea, & tua, tanquam communiter habita, & possessa. Tunc subiungo argumentum.

12. Quæcunque habet Pater, habet Filius: quæcunq; habet Filius, habet & Pater, præter esse Patris, & Filii, quæ non communicantur, Sed Pater habet Spiritum, ut suum, & proprium, & possessum: ergo etiam Filius habet spiritum ut suum, & proprium, & possessum. Iste sensus tangitur à S. Cyrillo in declaratione noni anathematismi, seu capituli, in primo tomo conciliorum cart. 1116. dicente. *Mansit tamen Deus, omnia, præter solam paternitatem, cum Patre æqualia, & cōmunia habens. Vnde Spiritum sanctum, qui ex ipso est, ipsique essentialiter inest, tanquā proprium peculium possidens, divinæ potentiæ signa operabatur.* Et lib. 11. in Ioan. cap. 2. ait. *Cùm enim nihil à Patre penitus Filius differat, præter quam quòd Pater non est, cumquè in utroque eadem substantia eodem modo prefulgeat, quomodo non erunt communia, imo verò eadem in utrisquè? Vt quæcunquè in Patre sunt, eadem etiam in Filio sint: & quæcunque in Filio, in Patre quoq; similiter &c.*

S. Cyr.

Spiritus ex Filio est.

Proprietates personales, non sunt communicabiles.

Vnde posterius concludit ibidem, quòd Spiritus Patris est proprius etiam unigeniti, propter consubstantialitatem inter Patrem, & Filium.

S. Basilius in concilio Florentino sess. 6. citatus, car. 801. inquit. *Patrem, & Filium protuli. Has mihi tene proprietates: Filius ergo manens in esse Filij, & quatenus Filius est, omnia est quę Pater, iuxta hoc nostri Domini dictū: Et mea omnia, tua: & tua, mea sunt. Imaginis enim omnia rei sunt existentis.*

Chrysostomus in Ioann. citatur in eodem concilio sess. 7. car. 807. col. 2. dicens. *Omnia Filius est, quę & Pater, hoc excepto, quod ille quidem est genitor, hic autem natus.* Vnde cùm Pater sit spirator, etiā Filius est spirator; nec enim eadem est ratio, esse genitorem, & spiratorem.

13. Secundò. Cæterùm non hic sensus dumtaxat continetur in istis Christi verbis, sed alius quoque ab eodem Cyrillo expressus. Non enim Christus ex ista propositione, *Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt*, conclusit: ergo Spiritus sanctus est meus, mea possessio, sicut est possessio Patris, & suus; sed conclusit Chri-

Io. 16

Christus: ergo Spiritus sanctus *de meo accipiet*: Scilicet, persona Spiritus sancti accipiet non me habentem, sed *de meo*, id est, de illo bono, vel ente, quod meum est, quod est habitum, & possessum à me. Sicut accipit non Patrem habentem, sed de bono, sive ente, quod est habitum, vel possessum à Patre. Accipiet nimirum sapientiam omnium veritatum, etiam futurarum: accipiet potentiam effectivã, qua loquetur ad extra, & per quam miracula operabitur. Nam per sapientiam, & potentiam Spiritus sanctus clarificavit Christum, & ostendit Christum esse Dei virtutẽ, & Dei sapientiam. Didymus quoque libro secundo de Spiritu sancto eundem sensum attingit. Sic ergo argumentare.

1. Cor. 1 Didymus.

Spiritus sanctus est accipiens, Filius est communicans de suo ipsi Spiritui: bonum communicatum, est bonum à Filio, & Patre communiter possessum, & habitum. Igitur quicquid Spiritus sanctus accipit à Patre, ut possessum à Patre, accipit à Filio ut possessum à Filio: & vice versa, quicquid accipit à Filio, ut possessum à Filio, accipit etiã à Patre, ut possessum à Patre. Probatur cõsequentia à Christo, quia omnia, quæ sunt ipsius Patris, sive habita à Patre, sunt mea, sicut omnia mea sunt Patris. Ergo Spiritus accipit à Filio de bono possesso à Patre, & à Filio, quod bonum est sapientia, & potentia, atque etiam essentia: idem quippe sunt in Deo, & accipit hæc ab æterno, & in æternum. Ita Cyrillus lib. 11. in Ioan. cap. 2. *Accipere nanque dicimus Spiritum ex Patre, & Filio, quæ illorum sunt: Non quia non habuerit aliquando, & tunc solùm habuerit, quando accepit. (Semper nanque sapiens, & omnipotens Spiritus est, imo verò reipsa sapientia & virtus, non participatione, sed naturaliter) sed quemadmodum aromatum odor ex ipsis in olfactũ prodit virtutem illorum naturaliter, ac semper habens: tale quid, imo verò etiam super hoc de Deo, & Spiritu sancto intelliges.* S. Cyr.

14. Tertiò. Hoc ipsum confirmatur. Si Spiritus accipit à Filio aliquid, quod est commune peculium, & bonũ habitum à Patre, & Filio: illud acceptum aut est substantia, aut accidens. In Deo nullum est accidens; ergo Spiritus accipit, & Filius Spiri-

Spiritus accipit substantiã à Filio.

tui communicat substantiam, quæ est sapientia, quæ est potentia communiter habita in Patre, & Filio, & ab ambobus Spiritui sancto data. Sed communicare substantiam, & esse substantiale, est producere in genere substantię; ergo Filius producit Spiritum, atque Spiritus producitur a Filio. Monet autem nos Didymus, ut ipsum dare, & accipere intelligamus prout convenit divinæ naturæ, scilicet removendo imperfectiones.

Didymus.

Quomodo ergo Filius dans, non privatur his, quæ tribuit, neq; cum damno suo impertit alijs: sic & Spiritus non accipit, quod ante non habuit. Si enim quod prius non habebat, accepit, translato in alium munere, vacuus largitor effectus est, cessans habere, quod tribuit. Quomodo igitur supra de naturis incorporalibus disputantes intelleximus, sic & nunc Spiritum sanctum à Filio accipere id, quod suæ naturæ fuerat, cognoscendum est: & non dantem, & accipientem, sed unam significare substantiam. Siquidem & Filius eadem à Patre accipere dicitur, quibus ipse subsistit. Neque enim quid aliud est Filius, exceptis his, quæ ei dantur à Patre: neque alia substantia est Spiritus sancti, præter id, quod datur ei à Filio. Propterea autem ista dicuntur, ut eandem in Trinitate credamus esse naturam Spiritus sancti, quæ est Patris, & Filij. Et infra, quod dixit de substantia, sive essentia, dicit etiam de conditionibus essentialibus. *Cave autem cùm ista dicuntur, ne grave labaris intelligentia in vitium, & putes rem aliquam esse, & possessionem, quæ à Patre habeatur, ac Filio. Verùm quæ habet Pater iuxta substantiam, id est, æternitatem, immutabilitatem, incorruptionẽ, immutabilem bonitatem, de se, & in se subsistentem, hæc eadem habet & Filius &c. Cùm verò dixerit, quæ habet Pater, mea sunt: Patris nomine, se Filium declaravit, paternitatem, qui Filius erat, non usurpavit.* Ergo Didymus intelligit, quòd Spiritus sanctus nec accipit paternitatem, aut Patrem, nec filiationem, aut Filium, sed accipit à Patre, & Filio nõ aliquid essentialiter diversum, sed ipsam essentiam divinam, & essentiales proprietates. Et de istis intelligit, quòd sunt bonum commune habitum à Patre, & à Filio: acceptum à Spiritu sancto tanquam de bono Filii, & Patris.

Essentia et essentialia à Patre dantur Filio.

Spiritus à Patre, & Filio accipit essentiam, et essentialia.

15. Ali-

15. Aliter interrogo. Quod à Filio accipit Spiritus, vel est essentia, vel relatio Filii. Non utique relatio, quia Spiritus nec paternitatem, nec filiationem recipit; ergo recipit à Filio essentiam, cùm nihil aliud sit in Filio, nisi ipsa filiatio, & essentia habita à Filio. Dicit ergo Christus, Spiritus accipiet de meo, & de Patris bono, quod est & suũ, & meum in communi, hoc est, accipiet de mea essentia, potentia, sapientia, & aliis essentialibus, quæ sunt commune bonum Patri, & mihi. A quo accipiet? A me ipso, nam à me (veritate) audiet, & loquetur. Ergo Spiritus recipit à Filio omnia, præter ipsũ Filium habentem: sicut Filius recipit à Patre omnia, præter Patrem habentem.

Spiritus accipit à Filio non relationem sed essentiã.

16. Alio quoque modo potest hoc argumentum formari. Omnia, quæ habet Pater, præter esse Patrem, mea sunt, ut præclarè S. Cyrillus lib. 2. Thesauri cap. 2. docet & patet ex præhabitis num. 12. Sed Pater habet voluntatem fœcundam, & spirationem activam, ut suas, quibus producitur Spiritus sanctus: ergo & ego (dicet Christus) habeo voluntatem fœcundam, & spirationem activam, ut meas, quibus producitur Spiritus sanctus. Communicatur quidem eadem voluntas Spiritui sancto, sed sine primitate ad actum spirandi, atque adeò sine fœcunditate. Nam omnia essentialia sunt simul natura in Patre, & in Filio, sed prius natura, vel origine, quàm spiretur Spiritus sanctus.

S. Cyr.

Quartò. Quoniam dare, & accipere sunt correlativa: si Spiritus sanctus accipit res, vel bona alterius, à vero possessore dante debet accipere, non rapinam arbitrari. Accipiet, inquit Filius, *de meo*, nempe de illo, quod & meum est, & Patris: nam *omnia, quæ habet Pater, mea sunt*. Ergo communitas dominii, vel habitionis, possessionisquè est in Patre, & Filio respectu rei acceptæ à Spiritu sãcto. Quæro iam, utrum Spiritus accipiat bonum duorum communiter possessum à Filio solo, an à Patre solo, an ab ambobus. Si ab ambobus, rectè dicitur: quia bonum, quod communiter possidetur à duobus possessoribus, communi consensu, & actu communicatum: iustè communicatur, & iustè recipitur. Si ab uno tantùm possessore datur, & recipitur,

Dare, & accipere correlatiua.

Bonum commune communi consensu dandũ, vel tenendũ.

ergo

ergo bonum & iniustè communicatur, & iniustè recipitur. Nam commune bonum, est communiter dandum, vel retinendum.

Quare communis sapientia, potentia, loquutio Patris, & Filii, ab utroque communicatur Spiritui sancto, & Spiritus sanctus eas recipit ab utroque.

Pater, et Filius omnia, quae Spiritus habet, ei communicant.

17. Quintò. Si Spiritus accipit essentiam à solo Patre, ergo à solo Patre recipit potentiam intellectivam, & obiectum intelligibile primarium, virtute cuius in intellectu, ut in Spiritu sancto erit cognitio essentialis tùm obiecti primarii, tùm secundarii. Quod si recipit à Patre solo totale principium intelligendi, recipit etiam ipsam intellectionem. Nam quae fingitur ratio, ut Spiritus à solo Patre accipiat essentiam, à solo Filio tanquam discipulus audiat sapiētiam? Profectò sic dicendo, ponitur diversitas inter essentiam, & sapientiam Dei: ponitur duplex principium *ut quod*, scilicet Pater communicans, & Filius communicans sine convenientia in re, quam communicant: ponitur duplex principium *quo*, nam alio principio *quo* Pater communicat essentiam, alio Filius sapientiam. Nam si Pater, & Filius eodem, principio *quo* agunt, certè idem est terminus formalis communicatus ab utraque hypostasi, sicut est unum principium formale, *quo* communicant. Maneat nobis, quòd Pater, & Filius habent, ut bonum cōmuniter possessum, ipsam essentiam, seu voluntatem cum primitate, & fœcunditate ad spirandum: quodq; Spiritus accipit de bono communi Filii, & Patris, à Patre, & Filio communicantibus, videlicet accipit substantiam, virtutem, operationem.

Spiritus nec à solo Patre essentiā nec à solo Filio sapientiā accipit.

Si personis cōmunis est principium formale communicandi, etiā est terminus formalis communicatus

18. Hunc sensum indicavit S. Cyrillus Alexandrinus in cap. 16. Ioannis, hoc est, lib. 11. cap. 1. & refertur à Gennadio Patriarcha Constantinopolitano cart. 8. in libro de Processione Spiritus sancti. *Irreprehensibile* (inquit Cyrillus) *omnino erit, & extra omnem controversiam positum, si ab unigenito quid accipere dicatur eius Spiritus. Nam ab eo naturaliter procedens, ut eius proprius cum omnibus, quae habet, accipere sua dicitur.*

S. Cyr.

Haec sint considerata circa primam hanc authoritatem.

Posset etiam fieri considera-

ratio consequentiæ factæ à Christo. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*. Probat Christus consequentiam. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet*. In qua consequentia Christus præsupponit tanquã certum, quòd Spiritus sanctus accipit bonum possessũ, & habitum a Patre. Addit minorem. Sed omne bonum habitum à Patre, est meum etiã: ergo Spiritus sanctus accipit de illo bono, quod est meum. Cùm ergo meum bonum accipiat, clarificabit me, à quo bonum accipit. Ergo Spiritus neque Patrem, neque Filium accipit, qui sunt habentes, & possidentes, sed aliquod bonum commune, de quo & Pater habens dicere potest, hoc bonum est meum: atque Filius etiam dicere potest, hoc bonum est meum. Quare Spiritus accipit bonum, quod est & possessum à Patre, & possessum à Filio.

CAP. IV.

Solutiones aduersariorum ad hanc authoritatem referuntur, & refutantur.

Respõsio Photij ad argumentũ refellitur

19. PHotius hæresis Theodoritanorum sequax, & proprii schismatis author, in epistola ad Patriarcham Aquileiensem, schismaticum itidem, (quæ epistola est in Baronio ad annum 883. ad numerum 19.) respondet ex dicto Christi, Spiritus sanctus à Patre procedit: asseritquè idẽ à Christo declarari, quando dicit: Spiritus sanctus de meo accipiet. *Non enim* inquit, *ex me, sed de meo, videlicet, Patre, nisi quidem vellet præter Patrem, etiam Spiritum sanctum esse, & dici Filij*. Item respondet aliter sic. *Non semper illud accipere, pro procedere sumitur, sed aliquando multam differentiam innuit. Aliud est accipere, aliud est procedere ab aliquo*.

Prima responsio Photij.

Secũda responsio.

Bellarminus libro secundo de Christo cap. 22. col. 343. duas solutiones ad nostrum argumentum affert ex Theophilacto, & Euthimio.

Bellar.

Responsiones Theophilacti, & Euthymij.

Prima est, Spiritum accipere de scientia Filii, quia nihil contrarium docet iis, quæ docet Filius. Et hanc responsionem

sionem acceperunt ab eadem epistola Photii, ut referemus ad quartum argumentum.

Secunda est. Illud, *de meo*, significat de meo thesauro, qui est Pater: ac si Filius diceret, Spiritus inde accipiet, unde ego accepi. Quæ responsio coincidit cum prima responsione Photii.

Impugnatio Photius. 20. Contra primam Photii responsionem insurgo. Indignatur Photius, quia nos addimus particulam, *Filioq;*: & non vult se reprehendi, qui Evangelio addit particulam, *Pater*. *De meo*, Patre. Salvator etenim loquitur de re habita, & possessa communiter à Patre, & Filio: quam rem ab utroque habitam, Spiritus accipiat à Filio. Photius ut cancer ex transverso postulat intelligi dictum Christi, non de re habita, sed de habente. Salvator ait: *Omnia, quæ habet Pater, mea sũt*, & pronomen possessiuum, *mea*, ponit ad omnia habita à Patre, & *de hoc meo*, inquit, *Spiritus accipiet*. Confundere rem habitam cum habente, Photium decet, catholicos non decet.

Vt autem hoc clarius intelligatur, consideretur in dicto Christi casus agens, & casus patiens. Ait Christus. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*. Casus agens est Pater habens: casus patiens sunt omnia habita. Christus non ait de Patre, *meus est*, sed de habitis, omnia habita sunt mea. Sed Pater habens non est ponendus inter omnia habita; nec enim habet semetipsum; sicut neque Filius habens eadem communia sibi, & Patri, est ponendus inter ipsa habita. Imò expressè distinguit, inter Patrem, & Filium ex una parte, & res communiter habitas ex alia parte Ioan. 17. alloquens Patrem: *Omnia tua mea sunt, & omnia mea tua sunt*. *Io. 17.* Ex qua authoritate cõstat, quòd neque propriæ personæ, neque proprietates personales inter ea, quæ sunt *mea*, & *tua*, vel inter habita à te Patre, & à me Filio, sunt connumeranda; Etenim si quatuor ista, Pater, & Filius, paternitas, & filiatio numerentur inter communiter possessa, Christi assertio esset falsa. Nam si Pater habet Filium, ergo, & Filius habens omnia, quæ habet Pater, habebit Filium. Non quidem seipsum, quia ex Basilio in Eunomium lib. 4. cap. 347. hoc esse non potest. Non aliũ *S. Bas.*

 Filium,

Filium, quia in Deo esset quaternitas, non trinitas hypostasum. Similiter, si omnia, quæ habet Filius, sunt ipsius Patris, ut Pater dicat ad Filium, omnia tua, mea sunt; certè Filius habet Patrem suum, ut aduersario placet; ergo Pater habet Patrem, quod est absurdissimum. Quocirca absurda est expositio, ut inter res habitas, & possessas communiter à Patre, & Filio, accipiantur ipsæ personæ habentes, vel proprietates personales, quia Filius non habet in se paternitatem, neque Pater filiationẽ. Ergo pronomen possessiuum, quod est, *mea*, vel, *de meo*, est intelligendum de prædicatis communibus utriquè personæ, non de personis propriis, vel proprietatibus personalibus. Denique intelligenda est authoritas de casu patiente habito, non de casu agente, vel habente.

21. Secundò. Audiamus Basilium loco citato. *Si unigenitus*, inquit, *est Filius, eo quòd solus ex solo factus est, unicreatus rectiùs diceretur: ut qui secundum Eunomium verè sit creatura, falsò autem nomine genituræ vocetur. Si Filius solus est creatura Patris, reliqua verò omnia Filij: cum dixerit, mea omnia, tua sunt, rectè dixit. Vbi verò subiecit, & tua, mea sunt: non amplius rectè iuxta Eunomium. Ipse enim sui ipsius esse non poterat. Apparet igitur, quòd de similitudine, & per omnia non evariante, ac simili essentia ipsorum, non de creaturis loquutus sit.* Vides Diuum Basilium exponentem de essentia communi illa verba, *tua*, & *mea*, non de personis? Infra subdit Basilius. *Si omnia, quæ habet Pater, etiam Filij sunt, nihil habet Pater, sine his, quæ per Filium facta sunt: nisi iuxta ipsorum sententiam, & ipse seipsum habere debet, quod est impossibile.* Animaduerte iterum, esse impossibile in hoc dicto, quòd Pater intelligatur habere Filium, aut semetipsum: & similiter quòd Filius intelligatur habere Patrem, vel semetipsum. Habet quippe Pater Filium, & Filius Patrem, sed ut correlatiuum, non autem ut rem communiter possessam, de qua eadem dicatur à Patre, hoc est meum, & à Filio, hoc est meum. Non ergo rectè Photius particulam, *de meo*, exponit de Patre.

D. Bas.

22. Tertiò. Argumentum Christi est. *Spiritus accipit de meo*; & probatur. *Omnia quæ habet*

habet Pater, mea sunt; Spiritus accipiet de ijs, quæ habet Pater, ergo Spiritus accipiet de meo. *Meum* in maiore propositione, est præcisè de habitis à Patre, non de ipso Patre: ergo in conclusione præcisè est de habitis à Patre, non de Patre.

Quartò. In enthymemate Christi non est fallacia, sed fallax eam intrudit hæreticus. Antecedens est; *Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt.* Consequens est: *Propterea dixi, quia de meo accipiet. Meum* in antecedente, & consequente, idem significat, ne sit æquivocatio, vel amphibologia. Resolvitur syllogismus. Omnia, quæ habet Pater, mea sunt: Sed Spiritus accipit de eo, quod habet Pater: ergo Spiritus accipit de meo, vel de eo, quod est meum. Si autem in maiore est discrimen inter Patrem habentem, & entia habita, atque hæc habita sunt mea: in conclusione, *Meo*, non respicit habita, sed habentem, amphibologia est, syllogismus est in quatuor terminis: & Pater, qui est medii termini pars, in conclusionem ingreditur, quod est absurdissimum. Non igitur benè exponunt Photius, & Theophilactus.

Syllogismus Christi.

23. Quintò. Thesaurus habitus est Patris, & Filii, ut possidentium rem communiter possessam. Ergo est prædicatum essentiale commune tribus, vel duobus: ergo non est Pater, qui non est communis. Quare meritò Apostolus ad Coloss. 2. ait de Christo: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.* Verum etiam in Patre sunt isti thesauri. Spiritus thesaurum sapientiæ recipit à Filio, ut Ignatius, atque Cyrillus exposuere, ut ca. 2. dixi; ergo dicat Christus Patri; Spiritus accipit de tuo, & de meo thesauro communiter possesso, non autem per pronomẽ, *Meo*, intelligitur, de Patre meo.

Coloss. 2.

Sextò. Quod autem Photius asserit idem significari per illud, *Spiritus à Patre procedit*, & per illud, *Spiritus de meo accipiet*. Dictum quidem est à Photio, non probatum. Et sine dubio est falsum. Etenim in primo dicto, Spiritus à Patre procedit, nulla est comparatio ad Filium expressa, neque ad illud quod accipitur: sed solùm est comparatio ad id, a quo activè proceditur. At in secundo dicto in conclu-

Ponderatio scripturarũ notabilis.

sione est præcisè comparatio ad Filium, non ad Patrem: & est comparatio ad id, quod accipitur, ut bonum commune Patris, & Filii. Ergo falsissimum est, quòd illa duo dicta idem significent.

24. Postremò, verè dicit Photius, quòd aliud est accipere, aliud produci, sive procedere, sed non semper. Nam aliquando multam habet differentiam, inquit Photius in sua responsione secunda. Sed quoniam aliquando in idem coincidunt procedere, & accipere, ut Filius procedit à Patre, & accipit à Patre: debuisset Photius declarare, quando habeāt convenientiā, & quando differentiam. Declarabimus nos. Nam recipere esse ab aliquo, est produci ab illo, & procedere ab illo; si autem sit recipere aliud ab esse, tunc non est idem procedere, & accipere. Nunc autem in re nostra, Spiritus accipit à Filio aliquid eius: non relationem filiationis, ergo accipit essentiam, & esse Dei; ergo procedit à Filio. Quanquam possit semper notari aliqua differentia rationis inter produci, & accipere: quia produci ut sic, dicit relationē producti ad producens; sed accipere dicit relationem accipientis ad duo, & ad rem acceptam, & ad personam, à qua accipit.

Produci & accipere a scernuntur.

25. Ad alteram responsionem Theophilacti, & Euthymii obijcio, quoniam Christus affirmativè loquitur, *Accipiet de meo:* illi negativè exponunt, *non docet contrarium*. Hoc est corrumpere sensum Evangelii; accipere meum, non afferre contrarium, quod certè non est meum. Nam Spiritus sanctus accipit à Filio veritatem, & scientiam veritatis, & item, loquitur à Filio veritatem omnem; nullam falsitatem audit à Filio, nullam loquitur ad nos. In dicto Christi est actus positiuus respectu scientiæ, & veritatis, quæ revera Filii sunt, & Patris: in dicto Theophilacti, & Euthimii est negatio loquēdi falsitatem, sed falsitas non est Filii, aut Patris, ergo non benè exponunt.

Impugnātur Theophil. & Euthy.

Secundò. Præterea, in ipso Christi dicto habemus & partem negativam, *non loquetur à semetipso*, & partem affirmativam, *loquetur, quæ audiet*. Et Cyrillus lib. 11. in Io. cap. 1. utrunquè attigit. *Annuntiabit ergo inquit, vobis de meo accipiens, idest, non*

S. Cyr. Alex.

aliud, quàm ego velim exponet. Cumquè Spiritus meus sit, ea dicet, quæ mea sunt. Ecce Cyrillus & negativam, & affirmativam partem exposuit.

26. Tertiò. Insuper, si per solam negationem exponas, iam Moyses accipiet de doctrina Matthæi Evangelistæ, vel Marci, quoniam nihil contrarium illis docet. Accipiet de doctrina Augustini, & Gregorii, quoniam nihil contrarium docet. Sed hæc ridicula sunt.

Ad extremum, S. Ignatius ait exponendo Euangelium, non loquetur à se, sed *à me*; ergo Spiritus accipiet à me, & de meo; ut in prima parte nostræ authoritatis ex Ioanne 16 exposita sit persona, à qua accipit Spiritus: in secunda, exposita sit res, quam accipit. Spiritus accipit *à Filio*, à quo audit, à quo loquitur. Accipit item *scientiam*, & *loquutionem*, quæ est bonum commune Patris, & Filii. *S. Ignatius ep. 10. ut sup. nu. 6.*

CAP. V.

In quo ex proportione oris, & Spiritus indicata in scripturis, probatur Spiritus esse à Filio.

27. SEcundo loco arguere possumus ex iis divinæ scripturæ locis, in quibus principium spirativum, & actus spirandi, attribuitur Filio. Etenim principium productivum in divinis, revelatur nobis nomine oris, tùm in productione Verbi, tùm in productione Spiritus sancti. Sic verbum ex ore Patris procedit Isai. 55. *Verbum, quod egreditur de ore meo*: & Eccli. 24. Sapientia Dei loquitur: *Ego ex ore altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturã*. *Isai. 55. Eccli. 24.*

Sic Spiritus ex ore Filii procedit, ut 2. Thess. 2. *quem interficiet Dominus Iesus Spiritu oris sui*. & Isaiæ 11. *Spiritu labiorum suorum interficiet impium*, dicitur de Filio interfecturo Antichristum. Huc spectat Ioann. 20. *Insufflavit, & dixit, Accipite Spiritum sanctum*. Quem locum S. Augustinus tertio contra Maximinum cap. 14. & Cyrillus lib. 12. in Ioann. c. 56. explicant asserentes, Christum hac externa productione Spiritus facta ab ipso Christo ad extra, signifi- *2. Thessal. 2. Isai. 11. Io. 20 S. Aug. S. Cyr.*

cate,

Ps. 32. | S. Basi. | S. Bon. | Verbū, & Spiritus externū internū | A creatis ad increata ascendimus.

care, productionem Spiritus sancti ad intra esse ab ipsomet Christo. Insignis est locus in psal. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quem locum de sancta Trinitate exposuit S. Basilius in concione super psalmum 32. Annotavi etiam in prima quæstione, pronomen, *eius*, hebraicè *hu*, posse construi & cum illo nomine, *verbo*, & cum illo nomine *Domini*. Nam hæc ambo in illa lingua sacra sunt generis masculini, & pronomen cum utroque concordat; ut significetur nobis, Spiritus indifferenter prodire ex ore Domini, & ex ore Verbi.

28. Ad quarum authoritatum intelligentiam, obseruo primùm cum Divo Bonaventura in primo distinct. 11. quæst. 1. posse considerari à nobis verbum, & spiritum corporale, & externum in creaturis: atque verbum, & spiritum internum, & mentale itidem in creaturis, ut scilicet per verbum, & spiritum creatos ascendamus ad Verbum, & Spiritum increatos. Quia verò res mentalis, & interna magis accedit ad declarandam divinam productionem, quàm res corporalis, & externa: perfectior modus inquirendi divinas productiones, & productas personas, erit per verbum, & spiritum mentales. Veruntamen manifestior est nobis pro statu isto, productio verbi, & spiritus ex ore corporali, & externo. Et certè vix duos reperias ex scholasticis classicis concordes in declaranda ratione verbi, ac spiritus mentalis propter rei obscuritatem. Neque ratio verbi, & spiritus mentalis valde videtur fuisse in usu apud Hebræos, Græcos, aut Latinos, cùm verbum vocale, & spiritus ex ore corporali omnibus sint obuia. Solet autem Deus nos ex istis sensibilibus nobis notis, elevare ad intelligibilia in Deo abscōdita. Vnde scripturæ sacræ plenæ sunt symbolis corporalibus. Vtile est igitur etiam ex ipso verbo, & spiritu sensibili indagare productionem Verbi, & Spiritus divini. Sed tamen periculosum est. Nam quoniam spiritus corporalis videtur esse prior natura ipso verbo, ideò quidam dixerunt, Spiritum esse priorem Filio, atque adeò productionem Spiritus præcedere, & productionem Verbi subsequi, prout S. Bonaventura eadem

Dam. 1. fid. cap. 7. ex verbo & Spiritu sensibili tantum ascēdit. | Cur scriptura symbolis utatur. | Error quorundam. | S. Bon.

dem quæstione citata notavit. Sed priorem esse secundum naturam, vel rationem intelligendi productionem Verbi, & Verbum, satis habemus ex sacris litteris, in quibus traditur Filius prior Spiritu sancto, Matt. 28. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* & in psal. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius.* &c. psal. 147. *Emittet Verbum suum, & liquefaciet ea, flabit Spiritus eius,* &c. Proinde S. Basilius in epistola 78 scribit. *At verò propter eos, qui omnia miscent, & doctrinam in Evangelijs non conservant, necesse est etiam hoc insuper explicare, quòd fugere oportet etiam eos, qui consequentiam, quam Dominus tradidit immutant, velùt palam veritati repugnantes, & Filium quidem Patri preponentes, Filio verò Spiritum sanctũ prælocantes. Immotam enim, & intentatam custodire convenit consequentiam, quam ex ipsa Domini voce traditam accepimus, qui dixit. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Spiritus posterior Filio.

Matt. 28.

1. Io. 5. Psal. 32 et 147.

S. Basil.

Idem Sanctus Basilius in epistola ad Canonicas. *Spiritus sanctus*, inquit, *Patri, & Filio connumeratur, cum supra omnem creaturam sit: ordine verò tertius est, ut Evangelista nos docet, Domino dicente. Euntes in universum mundum, baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Qui autem eum præposuit Filio, aut superiorem prædicat, hic contradicit Dei traditioni: alienus verò à sancta fide est, laudationis formam non servans.* Et post pauca, *Quare si quis hunc ordinem pervertit, ipsam personarum existentiam, totamque fidem negat.* En quam asseveranter S. Basilius constituit Filium secundum à Patre, Spiritum sanctum tertium a Patre, & per consequens secundum à Filio.

Amplius, in tertio contra Eunomium, cùm Eunomius sic argueret. Spiritus est ordine, ac dignitate tertius: ergo Spiritus est natura quoque tertius à Patre, & Filio. Antecedens probatur ex authoritatibus sanctorum. Quos Eunomius generaliter citat, sed neque authores speciales, neque libros illorum profert, quos si citaret, contra se profectò allegaret. Respondet Basilius negando consequentiam, sic.

Argumentũ Eunomij.

Respõsio S. Basilij.

Cur enim necesse est, si dignitate, ac ordine tertius est Spiritus, natura quoque ipsum tertium esse. Rationem negationis affert Basilius, quia Filius est secundus ordine, & dignitate à Patre: in Patre tamen, & Filio una est natura. Ita, & si Spiritus sit tertius à Patre, & secundus à Filio: non sequitur, ut Spiritus sit tertia natura.

Præter hanc rationem allatã ex natura increata, producit alteram ex natura creata; in Angelis quippe alter est dignitate superior, alter inferior: Angelorum tamen omnium una est natura. Non ergo si quid ordine, & dignitate est secundum, vel tertium; sequitur ut etiam habeat naturam diversam à primo, vel secundo. *Sic profectò*, inquit Basilius, *& Spiritus sanctus dignitate quidem, & ordine tertius est. Accepimus enim ipsum tertium à Patre, & Filio numeratum, cum ipse Dominus in traditione salutaris baptismatis ordinem tradiderit his verbis, Euntes, baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In natura autem tertium à Filio, aut Patre detectum Spiritum nunquam audivimus*.

Hæc ita se habent ex versione Trapezuntii. Cæterùm Ianus Cornarius ex mendoso codice Ephesij aliter transtulit in Latinum, hoc pacto. *Sic nimirum & Spiritus sanctus, etiã si dignitate, & ordine sequitur (velut dicunt) traditum enim accepimus (inquiunt) tertium à Patre, & Filio ipsum numerari, quùm ipse Dominus in traditione salutaris baptismatis ordinem tradiderit, cùm dixit. Euntes baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. At in tertiam quandam naturam à Patre, & Filio electum nusquam didicimus*. In qua translatione, Cornarius omisit vocem *tertium* in prima clausula, quæ tamen est principalis intentio antecedentis Eunomiani. Adiecit Cornarius duas parentheses, *velut dicũt, inquiunt*, ut videretur, quod S. Basilius neget antecedens ex se, & illud proponat tanquam antecedens aduersarii. Cùm tamen S. Basilius in epistolis citatis affirmatissimè teneat antecedens, sicut etiam tenet probationem antecedentis ex Evangelio Matthæi 28. Quocirca hæc versio Cornarii corruptela est, non conversio. Præterquam quod si illud antecedens fuisset negatum à Basilio, fuisset etiam data responsio ad probationem antecedentis

ris ex Evangelio. Ineptum enim est concedere probationem, & negare antecedens probatum. Basilius non negat, non glossat dictum Evangelicum; sed absolutè concedit; Quare cum absolutè concedat probationem antecedentis, absolutè quoque concedit antecedens, & negat consequentiam, ut peritus disputator; & frustra imponuntur illæ parentheses, quæ in codice Basilii non sunt. Sed hanc corruptelam doctissimus Bessarion luculentius abegit in epistola ad Alexium Lascarim.

Porrò ad probandum ordinem primi, secundi, tertii inter personas, operæ pretium est afferre fragmentum sancti Athanasii ex epistola ad Serapionem, quod fragmentum in concilio Florentino sessione vigesima & 21. consideratum est. Sanctus Doctor illic primò affert probationes ex scriptura, secundò ex eis colligit, talem ordinem, & naturam habere Spiritum ad Filium, qualem Filius habet ad Patrē; tertiò elicit conclusionem principalem istā, Spiritus est eiusdem essentiæ increatæ cum Patre, & Filio, non autem est creatura. Verba sancti sunt ista. *Siquidem igitur talem ordinem, & naturam Spiritus habet ad Filium, qualem Filius ad Patrem: quonam pacto is, qui Spiritum dicit creaturam esse, idem quoque de Filio non necessariò credet?* Vbi observa ex ordine, & natura inter personas, concludi personas esse eiusdem essentiæ. Non ergo idem est ordo, & natura in antecedente, atque identitas, & essentia in consequente, ne sit petitio principii. Ordo igitur, & natura est naturalis origo personarū proposita ī antecedēte: ex quo antecedēte cū una positione aduersarii concessa, ista scilicet, *Filius, & Pater sunt eiusdem essentiæ* colligitur consequens, quòd Spiritus, & Filius sunt eiusdem essentiæ. Licet S. Athanasius faciat argumentū ad impossibile, quod ego formo ostensivè sic. Qualis est ordo, & natura inter Patrem, & Filium, talis est ordo, & natura inter Filium, & Spiritum sanctum. Sed ex ordine, & natura inter Patrem, & Filium, consequitur ut Pater, & Filius sint eiusdem essentiæ; ergo ex ordine, & natura inter Filium, & Spiritum sanctum, similiter sequitur, quòd Spiritus sanctus, & Filius sunt eiusdem essentiæ, increatæ scilicet, non creatæ.

Antecedens verò fusè probatur à Sancto Athanasio his authoritatibus.

Primò. Filius mittitur à Patre, Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Spiritus mittitur à Filio, & Filius dat Spiritum Ioan. 16. *Si abiero, mittam eum ad vos.* Sicut ergo Pater mittit, & dat Filium: sic Filius mittit, & dat Spiritum sanctum.

Secundò. Filius clarificat Patrem, Ioan. 17. *Ego te clarificavi.* Spiritus clarificat Filium, Ioan. 16. *Ille me clarificabit.* In hac parte persona missa quasi ex gratitudine clarificat personam mittentem.

Tertiò. Filius audit à Patre, & nuntiat nobis, Ioan. 8. *Quæ audivi à Patre, hæc loquor in mundo.* Spiritus audit à Filio, & nuntiat, Ioan. 16. *Non enim loquetur à semetipso, sed quæ audiet loquetur, & annuntiabit vobis.* Et de meo accipiet, & annuntiabit.

Quartò. Filius venit in nomine Patris, Ioan. 5. Spiritus in nomine Filii, Ioan. 14. *Quē mittet Pater in nomine meo.* Cùm ergo in his omnibus similis sit ordo Spiritus ad Filium cum ordine Filii ad Patrem; rectè colligitur illa propositio Athanasii, Talis est ordo, & natura Spiritus ad Filiū: qualis Filii ad Patrem.

Iste autem ordo inter Filiū, & Patrem est, quia Filius passivè originatur à Patre: Quoniam inter Patrem, & Filium vel consideratur ratio consubstantialis, vel ratio causalis. In ratione consubstantialis eadem prædicata conveniunt Patri, & Filio. Sed ista prædicata non conveniunt Patri, Pater mittitur, & datur à Filio, Venit in nomine Filii, Audit à Filio, & nuntiat nobis. Ergo ista conveniunt Filio, & nō Patri propter rationem causalem, quia Filius est causatus à Patre, & ex ratione causali infertur ratio consubstantialis. Quare eadem ratione, quia Spiritus habet ordinem ad Filium, cuius authoritate venit, & recipitur: mittitur, & datur: audit, & loquitur: non sic autem Filius à Spiritu audit, vel loquitur: datur, vel mittitur: venit, vel recipitur in nomine, sive authoritate Spiritus sancti, sequitur ut Spiritus habeat rationem causati à Filio.

Ex hac authoritate Athanasii, & probatione eius, habes ordinem, quo Filius est secundus à Patre, & quo Spiritus est secun-

secundus à Filio, tertius à Patre.

Rursus audiamus Basilium epist. 43. ad Gregorium Fratrem. *Qui Patrem mente concepit, tùm ipsum in seipso mente concepit, tùm Filium simul suscepit. Qui verò hunc dicit, à Filio Spiritum non divisit, sed consequenter quidem secundum ordinem, coniunctè verò secundum naturam. Sicut in idem commixtam in seipso fidem expressit.* Vides, arbitror, ordinem inter Spiritum sanctū, & Filium, nam Spiritus est consequens secundum ordinē ad Filium, licet sit coniunctus Filio secundum naturam. Eapropter probatus est ordo inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, ut Pater sit primus, Filius secundus à Patre, Spiritus tertius à Patre, & secundus consequenter ad Filiū, quod probare optabamus. Cōsonat Basilio Gregorius Nyssenus eius frater in oratione catechetica cap. 2. *Ita quoq; cum Dei Spiritum didicerimus, qui Verbum consequitur.* Et S. Epiphan. cōtra Sabellianos hæres. 62. ait, quòd Spiritus sanctus est. *Tertius nomenclatura, æqualis Deitate.*

Coccius tar. 83. 10. 1.

30. Profectò Pater, & Filius sunt correlativa, & ob id simul natura: Paternitas, & filiatio sunt correlationes, atque ideò simul natura inter se sunt. Spiratio passiva non est simul natura cum filiatione; quia non est correlatio filiationis: Sed spiratio passiva vel est prior natura, vel posterior natura ipsa filiatione. Non prior quidem, quia & spiratio activa esset prior filiatione, & paternitate. Quare & spirator esset prior, quàm Pater, quod & scripturis, & symbolis fidei omnibus aduersatur, ponentibus Patrem, ut Patrem esse primam personam divinæ Trinitatis. Restat ut spiratio passiva sit posterior generatione passiva, & Spiritus sit posterior Filio, vel secundum ordinem naturæ, vel secundum rationem intelligendi saltem. Sed de ordine divinarum personarum, veritatem præsupponamus, ferè satis probatā. Revertamur ad verbum, & spiritum sensibilem.

Spiratio activa non prior generatione activa.

31. Propterea in prima quęstione diligenter animaduertimus, Deum nobis revelavisse Spiritum sanctum, non per spiritum, qui est in pectore, vel in gutture, vel in ore, sed per spiritum, qui ex ore exit. Et cùm spiritus egrediatur naturaliter in nobis ex na-

Quæst. 1. n. 30

ribus,

ribus, & ex ore, declaravit non per spiritum ex naribus, sed ex ore, quoniam ex ore hominis loquentis procedunt extra tùm verbum, tùm spiritus: ex naribus autem non procedit verbum.

Quæst. 1. num. 32. Annotavimus item differentiam inter verbum nostrum, & Verbum divinum, quoniam homo proferens habet principium vitale, & instrumenta vitalia oris, per quæ principia profert verbum vocale.

Sed verbum vocale non est vivens eadem vita, qua vivit homo proferens: propterea verbo vocali nostro non convenit habere principium, & instrumenta vitalia, scilicet ipsum os vivens, quo proferatur spiritus; sed ex eodem homine proferente, prius producitur verbum, posterius verbo desinente, relinquitur spiritus non auribus, sed oculis patens, ut ille spiritus relictus posterior & homine proferente, & verbo prolato, sit repræsentatiuum divini Spiritus, qui est tertius in ordine sanctissimæ Trinitatis. Sed in Verbo divino aliter est, quoniam Verbum divinum habet vitam sicut Pater proferens: & habet eandem vitam, & eadem principia vitalia: Pater quidem habet vitam intellectivam, & diuinam in semetipso, & eandem vitam intellectivam, & divinam dedit ipsi Filio, & Filius hæc habet in semetipso. Vnde sicut Pater habet os, id est, principiū vitale, ex quo procedit spiritus, sic & Filius prius natura productus in esse, habet idem principium vitale, sive os, ex quo posterius natura procedit spiritus.

32. Secundò, ex Aristotele noto in primo de Anima 63. & 64. distinguendum esse in actione & id, quod agit, idquè communiter appellatur principium *quod* operationis: & id, quo agit, illudquè vocatur principium *quo*. Sic in textu. *Dicere animam irasci, simile est, ac si quis dicat eam texere, vel ædificare: melius enim fortassis est, non dicere animam misereri, aut addiscere, aut cogitare, sed hominem anima*. Hinc in 2. de Ani n. 24. apertè dicit, animam esse *principium quo vivimus, sentimus, & intelligimus*. Nos autem sumus principium quod vivit, sentit, intelligit. Similiter in divina productione duplex hoc principium nobis indicatur. Nam divina hypostasis producens, est principium,

Aristo.

Principiū quo, & quod agit.

quod

quod generat, vel spirat; sed principium essentiale significatum nobis nomine oris, est principium vitale, *quo* vel Pater producit Verbum, vel spirator producit Spiritum sanctum. Sanè ipsum principium, *quod* dicitur agere, vel non agere, non ratione sui, sed ratione principii formalis existētis formaliter in ipso principio *quod*. Nam si principium *quo* in aliqua hypostasi eliciat productionem, illa hypostasis dicitur producere: si non eliciat, non producere. Potest autem producere in ea hypostasi, in qua principium *quo* reperitur cum primitate, seu prioritate ad actum adæquatum. Non potest elicere actum, si reperitur post productionem actus adæquati.

Os quid significat in Deo.

33. Nunc probatur conclusio. In qua persona est os, ex quo prodit spiritus, ex, & ab illa persona spiritus procedit. In Filio autem est os, ex quo spiritus prodit, ut expressè habetur in scripturis citatis, Isai. 11. & 2. Thess. 2. & Ioan. 20. nec non in psal. 32. Et sanè multò magis expressè os spirantium, & spiritus attribuitur ori ipsius Filii apud scripturā: quàm attribuatur Patri. Ergo spiritus procedit ex Filio, & ex Patre.

Vlterius. Illa hypostasis, in qua est principium *quo* formale productionis cum primitate ad actum producendi, illa hypostasis potest esse producens: & quoniam in divinis esse, & posse non differunt, illa est producens. Sed in hypostasi Filii est principium *quo* formale spirationis, significatum nomine oris: & est cum primitate ad actum spirandi, quoniam prior natura est Filius Spiritu sancto. Similiter omnia, quæ sunt in Filio, simili ordine naturæ, vel intelligentiæ (quamvis non durationis) sunt priora productione Spiritus sancti, & ipso Spiritu sancto. Ergo Filius est producens Spiritum sanctum.

CAP. VI.

Tertia ratio ex missione ostendit Spiritum esse ex Filio.

34. SVccedit ratio tertia ex missione activa, & passiva diuinæ personæ. Eadem persona quippe non potest mittere semetipsam, authore Sancto Basilio quinto in *S. Basil.*

Eu-

Eunomium cap. 2. cart. 352. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Nec sanè ipse seipsum mittit. Missionem autem vocat condescensionem eius ad opus, non ex loco ad locum transitionem.*

Nunc autem Pater mittit Spiritum sanctum, Ioan. 14. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Et Galath. 4. *Misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra.* Filius quoque mittit Spiritum sanctum, Ioan. 16. *Si non abiero, paraclitus nō veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et Ioan. 15. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Et Luc. 24. 49. *Et ego mitto promissum Patris mei in vos.*

Io. 14. *Galat. 4*

35. Porrò nulla res mittit aliam, nisi communicet misso vel substantiam, vel virtutem, vel operationem. Substantiam quidem, sicut Pater æternus substantiam communicat Filio, & ob id Pater mittit Filiū suum in mundum. Virtutem, sicut Rex mittit legatum, vel ministrum cum potestate. Operationem, sicut miles mittit iaculum; & in proposito secundum authoritatem Basilii citatam, missio est ad opus. Verùm Pater, & Filius mittunt Spiritum sanctum: ergo Pater, & Filius communicant spiritui vel substantiam, vel virtutem, vel operationem: quæ tria in Deo sunt idem realiter, & essentialiter. Qui autem accipit ab alio substantiā, virtutem, & operationem, producitur, seù procedit ab illo alio: ergo spiritus producitur seu procedit a Patre, & Filio.

Substantia virtus operatio idem in Deo.

36. Respondent Theodoritani, Spiritum sanctum mitti ab utroque, Patre videlicet, & Filio quo ad dona inhærentia, non quo ad personam subsistentem.

Responsiones Theodoritanorum. Prima responsio.

Vel distinguunt processionē ad intra, & ad extra: & cōcedūt spiritum procedere ad extra à duobus, negant procedere ad intra a Filio, quo ad essentiā, & subsistentiam ipsius spiritus.

Secunda responsio.

Aduersus has responsiones argumentum resurgit potentius. Si nanque Pater, & Filius mittunt, quo ad dona, & quo ad operationem ad extra spiritum: communicant nè spiritui substantiam, an virtutem, an illam operationem ad extra, quæ est efficere, & conferre dona? Quodcunque autem istorum communicent, cùm in Deo ista sint idem, iam ex missione concluditur, quòd communicant substantiam ipsi

Refutatio.

hypostasi Spiritus sancti: sed communicatio substantiæ alicui hypostasi, est productio hypostasis eiusdem recipientis, & productio in esse essentiæ, & subsistentiæ; ergo Pater, & Filius producunt spiritum in esse essentiæ, & subsistentiæ. Si autem nihil communicant spiritui misso, nulla causa est, cur spiritus magis dicatur missus à Patre, & Filio, quàm à lapide, vel ligno, qui tantundem spiritui communicant. Nulla causa est, cur non dicamus, Patrem à Filio, vel Spiritu sancto mitti, quoniam nihil tribuerent Patri.

37. Secundò. Scriptura manifestè distinguit personam Spiritus sancti à donis suis: & affirmat Spiritum sanctum dari ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Charitas, quæ est donum inhærens, est diffusa: sed Spiritus sanctus, qui est persona subsistens, est datus. Sicut etiam Isaiæ 9. *Paruulus enim natus est nobis, & Filius datus est nobis.* Ergo persona Filii, & Spiritus sancti est data. Similiter in authoritatibus citatis dicitur: *Mittam eū, quem mittet Pater*, & relatiò

Rom. 5

Isai. 9.

Persona Spiritus sācti datur.

est ad personam Spiritus sancti increatam, non præcisè ad creata dona.

Tertiò. Hæc interpretatio, quòd persona divina non detur quantum ad propriam subsistentiam, sed quantum ad dona sua, dissolvit mysterium Incarnationis, & defendit Nestorianam hæresim, quæ dicit, personam Filii Dei non esse unitam humanitati, nisi ratione gratiæ, vel dignitatis, vel potestatis, ratione donorum in summa. Talis expositio Nestoriana est de Filio, Nestoriana est de Spiritu sancto. Nec mirandum est: Theodoritus Nestorianus erat, quando scripsit, spiritum nec ex Filio, nec per Filium recipere essentiam, aut esse.

38. Responderi aliter posset. Argumentum non valere, quia Spiritus sanctus misit Filium, Isaiæ 61. & Lucæ 4. neque tamen Filius originatus est à Spiritu sancto.

Secūda respōsio.

Isa. 61.

Luc. 4.

Aduersus istam responsionem est considerandum, quòd Spiritus sanctus non misit Verbum secundum divinitatem, sed secundum humanitatem assumptam. Sic nanque ait Isaias: *Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me,*

Refellitur.

Isai. 61.

me, ad annuntiandum pauperibus misit me. Vnctus est Christus præcisè secundum humanitatem, ut latè Cyrillus probat in epistola ad Monachos per Aegyptum in primo tomo conciliorum car. 866. & secundum humanitatem unctum est missus ad pauperes. Nemo autem dubitat, humanitatem assumptam esse factam à Spiritu sancto, vel de Spiritu sancto conceptam.

S Cyr.

Christus unctus secundũ humanitate.

De Christo quoque intelligendum est illud Esaiæ 48. *Et nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius.* Quem locum de Christo intellexere S. Hieronymus super ipsum Isaiæ locum. S. Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto, in præfatione, S. Ioannes Chrysostomus homilia de sancto, & adorando Spiritu, S. Aug. 2. de Trinitate cap. 5. & 15. atque ut brevi circumscriptione hoc designem, profero Sanctum Basilium 3. in Eunomium car. 340 dicentem. *At Esaias ex persona Domini loquens, iuxta humanitatem videlicet ipsius, Dominus misit me, inquit, & spiritus eius.* Sic etiam exponit libro quinto in Eunomiũ cap. 8. Et S. Hieronymus in ipsum locum Isaiæ, *Ego*, inquit, *iuxta fragilitatem carnis assumptæ dico, quòd Dominus Deus miserit me, & spiritus eius.* Non igitur persona divina Filii mittitur à Spiritu sancto, sed persona Spiritus sancti mittitur à Filio: quia Filius est author, & princeps omnis operationis Spiritus sancti, teste Basilio epistola 43. in hæc verba. *Rursus à scriptura manu ducimur ad hoc, ut suppeditationis bonorum, quæ spiritus in nobis operatur, Principem, & Authorem unigenitum Deum esse credamus.* Ergo Filius est author ipsius spiritus, & operationis eius ad extra: atque ideo quia est author ipsius spiritus, mittit spiritum: quòd si author non esset, nec mitteret quidẽ. Plura circa missionem luculenter scripsit Bellarminus libro secundo de Christo cap. 22. columna 346. 347. atque Suarez de Deo lib. 12. cap. 2. & 3. Tu, si placet, eos consule, nobis ista sufficiant.

Isai. 48

Hier. Ambr. Chrys. Aug.

Basil.

Hier.

Basil.

Filius est author omnis operationis Spiritus sãcti.

Bellar.

Suarez

CAP.

CAP. VII.

QVARTVM ARGVMENTVM PROPONITVR.

Quartum argumentum, ut validissimum est ita, plurimam exposcit discussionē, ut ex eo, quod est expressè revelatū, id, quod implicitè & virtualiter in revelatis continetur, producatur in lucem.

39. PRimò. Igitur noto cū Sancto Bonaventura in primo dist. 10. quæst. ult. Ricar. ibid. Durand. 1. d. 10. q. 1. Argentin. ibid. *Spiritum* esse vocabulum æquivocum, quod vel dicitur à spiritualitate, ut contradistinguitur à corporeitate: quo in significato, spiritus est nomen essentiale commune tribus, omnis quippe divina hypostasis est spiritus, nulla est corpus. Vel secundo spiritus dicitur à spiratione passiva, qua spiratus, vel spiritus contradistinguitur à spirante, seu spiratore. Hoc modo nomen spiritus, ut attribuitur Spiritui sancto, est nomen relatiuum apud Græcos, & Latinos, etiam apud Græcos Theodoritanos, & Photianos, cum quibus disputabat Sanctus Anselmus, ut ipse sanctus testatur in libro de processione Spiritus sancti

Spiritus à spiritualitate, à spiratione.

S. Ans.

cap. 2. in quo capite posuit ea, in quibus Theodoritani, & Photiani consentiunt, vel dissentiunt à nobis. *Nomen*, inquit Anselmus, *Spiritus sancti, ideò quia Spiritus sanctus alicuius intelligitur spiritus, pro relativo nomine ponitur. Nam quamvis Pater sit spiritus, & sanctus: & Filius sit spiritus, & sanctus: non tamen Pater alicuius spiritus, nec Filius alicuius spiritus, sicut Spiritus sanctus alicuius est spiritus. Est enim spiritus Dei, & spiritus Patris, & Filij. Quamvis enim Græci negent de Filio illum procedere; non tamen negant eum esse spiritum Filij.*

Nunc quæ sacris litteris de spiritu revelata sunt, proponamus.

40. Primò. Spiritus *Patris* asseritur esse a Christo. Matth. 10 *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri,* *Matt. 10.*

stri, qui loquitur in vobis. Ita quoque Apostolus Rom. 8. *Si spiritus eius, qui suscitauit Iesum, &c. eius*, scilicet Patris, ut exponit Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 22. Et 1. Ioan. 2. *Si quis dilexerit mundum, non est spiritus Patris in eo*.

Rom. 8

Bellar. 3. Io. 2.

Secundò. Spiritus *Filii* etiam dicitur. Similiter spiritus *Christi*, spiritus *Iesu*, spiritus *veritatis*, spiritus *sapientiæ*, spiritus *virtutis*, spiritus *gratiæ*.

Gala. 4. Spiritus *Filij* ad Galat. 4. *Misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra*.

1. Pet. 1 Tertiò. Spiritus *Christi*. 1. Pet. 1. *Scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi*. Et ad Rom. 8. *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius*.

Rom. 8.

41. Quartò. Spiritus *Iesu*. Act. 16. *Non permisit eos spiritus Iesu*.

Act. 16

Quintò. Spiritus *veritatis*.

Io. 14. Ioan. 14. *Vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis*.

Cyrill. Alex. Cyr. Alex. lib. 9. in Ioan. cap. 44. *Veritatis* id est, *Filii spiritum* exponit. Item, Ioan.

Io. 15. 15. *Mittam vobis à Patre spiritũ veritatis, qui à Patre procedit*. Cyrillus lib. 10. in Ioan. cap. 33. ait. *Nam cùm spiritum veritatis, id est, suum, ipse enim veritas est, appellavit*. Ita etiam in synodica, *Cùm Saluator* approbata in concilio Ephesino tomo primo illius concilii cap. 14. Similiter in libro de Recta fide ad Theodosium, & sæpè alibi declarat.

Concil. Ephes.

Sextò. Spiritus *sapientiæ*. Sapient. 1. *Benignus est enim spiritus sapientiæ*. Ephes. 1. *Deus Domini nostri Iesu Christi Pater, det vobis spiritum sapientiæ*.

Sap. 1. Ephes. 1.

Septimò. Spiritus *virtutis*. Sapient. 11. 21. *Dispersi per spiritum virtutis tuæ*. Quia verò in prima ad Corinthios cap. 1. Christus asseritur *Dei virtus, & Dei sapientia*, eo quod sapientia, & virtus appropriãtur Filio: idcirco cùm dicitur spiritus sapientiæ, & virtutis, dicitur esse spiritus Filii.

Sap. 11.

1. Cor. 1

Octavò. Spiritus *gratiæ*. Heb. 9. 29. *Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui &c. Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Gratia verò appropriata est Filio in secunda Corinth. ult. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti spiritus sit cum omnibus vobis*. Proinde cùm dicitur, spiritus

Hebr. 9

2. Cor. ult.

gratiæ,

gratiæ, & veritatis, intelligitur spiritus Filii dici, quia *gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.*

Ioan. 1.

42. Ex his patet, sæpiùs in scriptura spiritum appellari Spiritum Filii, quàm spiritũ Patris; Imò quando spiritus dicitur esse spiritus Filii, tunc Filius comparatur ad Patrem ratione Deitatis; quando autem vocatur spiritus Patris, Pater non comparatur ad Filium, sed ad nos. Quod intelliges exactè notando differentiam dictorum Christi, Io. 20. 17. *Ascendo ad Patrem meũ, & Patrem vestrum, Deum meũ, & Deum vestrum.* Qua differentia notata, Christum audiamus Matth. 10. dicentem: Sed spiritus *Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et secundũ istam glossam à Christo datã, exponentur cætera loca: Non est spiritus *Patris vestri* in eo, 1. Ioan. 2. ut sicut etiam loquitur Apostolus in 1. Cor. 7. *Sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.* Vt Spiritus sanctus dicatur esse spiritus Patris in *ordine ad nos*, sed quando dicitur esse *spiritus Filii*, non dicitur esse comparatio *ad nos*, sed *ad Patrem*, Galath. 4. *Misit Deus spiritum Filii sui*, non nostri. Sic spiritus veritatis, spiritus sapientiæ, spiritus Christi, non expressa relatione ad nos.

Spiritus dicitur Patris ad extra, Filij autē ad intra.

Io. 20.

1. Io. 2.

1. Cor. 7.

Gal. 4.

His adde loca illa 2. Thess. 2. *Quem interficiet Dominus Iesus spiritu oris sui*; & Isai. 11. *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Vt quemadmodum spiritus, seu flatus exterior est ex ore hominis spirantis, & ab ipso homine spirante procedens: sic spiritus Filii ad intra sit Filii spirantis, & à Filio spirante, etiam non habita comparatione ad nos.

2. Thes. 2.

Isa. 11.

43. Nonò. Spiritus sanctus insuper nuncupatus est Spiritus Dei, ut Rom. 8. *Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei*; & Matth. 21. *Si in spiritu Dei eiicio dæmonia.* 2. Mach. b. 3. *Sed spiritus omnipotentis Dei.* 1. Cor. 2. *Nemo novit, quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei.*

Rom. 8.

Matt. 21.

Mach. 3.

1. Cor. 2.

Decimò. Spiritus *Domini*, Isai. 61. & Luc. 4. *Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me.* Act. 5. *Quid convenit vobis tentare spiritum Domini?* 2. Cor. 3. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.*

Isa. 61.

Luc. 4.

Act. 5.

2. Cor. 3.

44. Ex hisce authoritatibus observo, spiritum construi in casu genitivo respectu duorũ nominum personalium, Pa-

tris,

Spiritus cũ nomine duplici personali, et duplici essentiali cõstruitur.

tris, & Filii, non respectu Filii tantùm, vel Patris tantùm. Construi præterea in genitivo cum duplici nomine essentiali, videlicet *Dei*, & *Domini*.

Possem addere alia essentialia quędam, ut sapientiæ, veritatis, virtutis, gratiæ; sed hæc manifestè accipiuntur pro Filio appropriatè. Quòd si contendas accipi pro prædicato essentiali, ut commune est ad Patrem, & ad Filium, non admodum reluctabor. Maneat igitur ex divinis litteris, Spiritum sanctum esse spiritũ Patris, & Filii, spiritum Dei, & Domini, quemadmodum de spiritu Patris, & Filii clarissimè notavit S. Cyrillus libro nono, decimo, undecimo in Ioannem. Sed singillatim afferamus authoritates aliquas.

S. Cyr.

Libro nono in Ioan. cap. 44 *Quomodo ergo si alienus à substãtia Patris Filius est, ut isti dicunt, Pater veritatis, id est, Filij spiritum, non ut alienum, sed ut proprium largitur? Nullus enim ambigit, quin Filij spiritus sit. Quomodo rursus, si alienus à substãtia Patris Filius est, Patris spiritum, ut suum præbet? Scribitur enim, quia sufflavit discipulos dicens, Accipite Spiritum sanctum. Non ne igitur dicendum est, imo autem omnino credendum, quia unà cum Patre naturalibus deitatis bonis substantialiter Filius communicet, eodem modo spiritum habet, quo Pater habere intelligitur, non aduentitium, neque deforis. Stultum enim, atque furiosum est ita sentire: Sed quemadmodum unusquisque nostrum proprium in se ipso spiritum continet, & ab intimis visceribus ad exteriora profundit; propterea corporaliter Christus sufflavit, ostendens hoc signo, quia quemadmodum ab ore humano corporaliter humanus spiritus procedit, sic ex divina substantia deitati congruenter, spiritus, qui ab ea est, profunditur. Quando igitur ipse spiritus Patris, & Filij est, quomodo Pater, atque Filius unam potestatem distinctè simul, atque cõiunctim non habebunt?* &c.

45. Et in decimo in Ioannem cap. 3. car. 278. *Cùm enim in nobis Christus per Spiritum sanctum habitaverit, ibi & ipse Pater necessariò erit: Spiritus enim Christi, etiam spiritus Patris est. Quapropter Paulus nunc Patris, nunc Filii spiritũ proprium appellat: nec sibi repugnat, cùm utrumque verissimũ sit. Qui enim, inquit, Iesum Christum è mortuis suscitavit, is morta-*

mortalia etiam corpora vestra per spiritum suum, qui habitat in vobis, vivificabit. Et rursus, Misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem, Abba Pater. Vides quia idem est spiritus Patris, ac Filii.

Vndecimo in Ioannem cap. 25. *Spiritus enim Dei Patris proprius est, sed non minus etiã Filij proprius est, non ut alius, atque alius ut divisim in utroque. Sed quoniam ex Patre, & in Patre Filius est, cùm sit fructus substantiæ eius, proprium Patris spiritum secundum naturam possidet: qui profunditur quidem ex Patre, per Filium autem creaturis donatur, non ministerij modo, sed sicut mox dixi, ex ipsa quidem substantia Dei Patris prodiens, profusus autem ad sanctos per consubstantiale Verbum, à quo est secundum emissionem ad esse, atque subsistere, manetque in ipso, & est semper coniunctim simul, atque divisim. Subsistere enim Filium dicimus, & in spiritu suo eum esse, & spiritum rursus in eo confitemur. Quod autem spiritus Patris, Filii quoque spiritus est: quodque cùm à Patre sanctis distribuatur, à Filio quoque per identitatẽ substantiæ cum Patre distribuitur, & quòd omnia, quæ Pater agit,* Nota.

per Filium agit, apertissimè ipse declaravit, dicens. Conducit vobis, ut ego abeam: Nisi enim ego abiero, paracletus non veniet ad vos: cùm verò abiero, mittam illum ad vos. Hic enim se missurum liquidò pollicitus est. Et alibi, & ego, inquit, rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis. Quoniam igitur, inquit, ad imitationem missionis meæ in mundum, discipuli mei, qui meis verbis inhærent, mittuntur: serva eos Pater sancte in veritate, id est, in verbo tuo, in quo, & per quod sanctificans spiritus & est, & procedit.

46. His locus est valdè insignis tùm ad ostendendum, quòd tertia persona est spiritus Patris, & Filij: tùm ad ostendendum, quòd idem spiritus est à Filio quo ad esse, & subsistere, & quòd est in Filio, atque procedit ab eo. Placet adiicere ad propositum authoritatem Divi Basilii libro quinto in Eunomium cap. 7. S. Bas. *Quomodo igitur spiritus testimonium confert spiritui tuo, vel ut Apostolus ait, quòd Filius Dei es, si ipse à gloria Filii alienus est? Quomodo in te clamabit Abba Pater, si non revera est participatio ex Filio, non possessio eius, quæ ab ipso emittatur velut spiritus* Nota.

tus humanus, aut spiritus venti, velut dicere solent hi, qui spiritum separant à deitate: sed Dei, & Filii spiritus sempiternus, qui in divina gloria est, & cognoscitur. &c. Vide etiam cap. 12. illa verba: *Dum Filii spiritum, sicut Dei, ipsum nominavit.* Nunc incipiamus phrasim istam ponderare, spiritum Dei, & Domini, spiritum Patris, & Filii, proponendo singillatim assertiones oportunas.

Spiritus Filij sempiternus dicitur.

CAP. VIII.

Assertiones quatuor de relatione spiritus ad Filium, vel Patrem.

47. PRima assertio. *Nomen hoc, spiritus, ut est relatiuum significans tertiã personam divinam, construitur cũ suo correlativo in genitivo casu.* Quoniam relativa considerantur in essendo, & in loquendo: in essendo habent esse ad alterum, in loquendo explicantur in ordine ad alterum. Vnde antiqui Philosophi ex modo loquendi volentes declarare modum essendi relativorũ, descripserunt illa hoc pacto ex capite de his, quæ ad aliquid in prædicamentis. *Ad aliquid talia dicuntur, quæcunque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum.* Hoc est, Relativa quandoque construuntur cum suo correlativo in casu genitivo, & propterea dicuntur esse *aliorum*: ut Filius est Filius Patris, & Pater Filii: dominus est serui dominus, & seruus domini: dimidium est dupli dimidium; & duplum dimidii. Quandoque construuntur in casu dativo, ut æqualis est æqualis æquali, similis simili, vicinus vicino: Quandoque in ablativo, ut maius minore maius, & minus maiore minus est. Et ita quomodolibet ad alterum dicuntur, hoc est, construuntur in quocunque casu.

Relativa secundũ esse, & dici.

48. Nunc autem Deus revelavit nobis *spiritum* ut nomẽ relatiuum, sed constructum in genitivo: dicitur enim esse *spiritus Dei, & Domini, Patris, & Filii.* Quare assertio nostra est vera. Nec alio pacto invenimus hoc nomen *spiritus* construi, dum Spiritum sanctum indicat. Quod ergo con-

construitur cum voce spiritus in casu genitivo, ex vi constructionis est correlatiuum ipsius spiritus.

Constructio casu correlativi est correlativum.

Si ergo à parte rei constructũ in genitivo sit correlatiuũ, oratio erit vera: si nõ sit correlatiuum tale constructum, oratio erit falsa. Vt si dixeris, Salomon est filius Davidis, vel hominis, vel regis, vera est oratio. Si dixeris, Salomon est filius lapidis, vel servi, vel Saulis, falsa est oratio. Ex eo enim quòd res est, vel non est, oratio erit vera, vel falsa.

Ex eo quod res est, vel non est oratio, est vera, vel falsa.

49 Observãdũ verò est, in divinis personis reperiri aliquas relationes communes tribus, ut sunt identitas, similitudo, æqualitas; aliquas verò esse relationes proprias personarum, quæ sunt relationes originis, ut Latini loquuntur, vel relationes causæ, & causati, ut loquuntur Græci. Relationes communes non construuntur in genitivo, sed in dativo, vel ablativo, ut Pater est æqualis Filio, & Filius Patri: Pater est in Filio, & Filius in Patre. Relationes originantis, & originati, vel causæ, & causati nominantur, & construuntur in genitivo, ut causa causati causa; & causatum causæ causatum: Sic Filius Patris, Pater Filii: creatura creatoris, creator creaturæ.

Relationes divinæ, communes & propriæ, earũq. constructio.

50. Quoniam autem Spiritus sanctus est passivè productus, seù spiratus, habet relationem causati, vel originati propriam sibi, atque cum genitivo construitur, tanquã cùm causa. Verùm quòd nomen spiritus significet relationem propriam unius personæ soliùs, nempe tertiæ: non significet autem aliquod absolutum, vel relatiuum commune duabus, vel tribus personis, probatur. Quod dicitur de una sola persona divina, est nomen relatiuum propriũ illius personæ, non commune aliis. Sed spiritum Patris, & Filii, & Dei esse, est dictũ de sola persona Spiritus sancti: non est dictum de Patre, qui non est spiritus sui ipsius, vel spiritus Filii, vel spiritus ipsius Spiritus sancti; Neque est dictum de Filio, nam neq; Filius est spiritus Patris, neq; spiritus sui ipsius, neque spiritus Spiritus sancti. Sed neque Deus est spiritus Spiritus sancti. Quare *spiritus*, seu *spiratus* significat relationem propriam Spiritus sancti solius, non significat aliquod prædicatum commune.

Spiritus est nomen relatiuum, & propriũ.

51 Secunda assertio. *Relatiuum istud, quod est spiritus, non dicitur ad convertentiam cũ Patre, vel Filio: cum Deo, vel Domino: sed cum spiratore. Et correlationes mutuæ sunt spiratio passiva, à qua denominativè dicitur spiritus, & spiratio activa, à qua denominativè appellatur spirator.* Ad assertionis claritatem, & probationem, noto, quòd omnia relativa dicuntur ad convertentiam cum suo correlativo, si correlatiuum rectè assignetur: ut Pater Filii Pater, Filius Patris Filius. Si autem non rectè assignetur, non fit convertentia. Potest verò esse defectus vel ex parte intellectus non benè assignantis, vel ex parte vocabuli, quod non est impositum. Ex parte intellectus quidem, ut si alæ correlatiuum assignetur avis, non est facta recta assignatio, sed assignari debet alatum pro correlativo directo: tumq; fit convertentia vel in eodem, vel in alio casu, non refert, ut ala alati ala, & alatum ala alatum. Si verò nomen non sit impositum, à relativo nominato formari debet correlatiuum innominatum, ut temo non est correlatiuum navigii, sed temonati, quamvis hoc vocabulum non sit in usu. Servire autẽ debent voces rebus, non res vocibus. Quòd si Grammatici nolint, contemnendi sunt, qui plus amant ignorantiam rerum, & vocũ, quàm scientiam rerum cum impositione vocum. Relinquantur ergo inter ignaros. De his legatur Aristoteles in capite eorum, quæ sunt ad aliquid.

Defectus in convertentia relativorum.

Voces rebus, non res vocibus serviãt. Grammaticorũ quorundã imperitia.

52. Ad rem nostram. Si assignes pro correlativo directo ipsius spiritus, Deum, vel Dominum, Patrem, vel Filium, aberras, neque fit convertentia. Siquidem Pater non est Spiritus sancti Pater, neque Filius Spiritus sancti Filius: neque Deus, vel Dominus est Spiritus sancti Deus, vel Dominus. Probatur autem, quòd Deus, & Dominus non sit correlatiuum directum, & proprium ipsius spiritus; quia duo correlativè opposita directè, realiter distinguuntur: si ipsi spiritui, ut relativo, directè opponitur tanquam correlatiuum, Deus, vel Dominus; ergo spiritus realiter distinguitur à Deo, & à Domino, quare non esset Deus, vel Dominus, quod est hæreticũ. Sed neque Pater, vel Filius sunt proprium directè correlatiuum

Deus, Dominus, Pater, Filius non sunt correlativa spiritus directè.

Directè opposita relative, re diversa

tiuum Spiritus sancti; quia Pater, ut Pater, est correlatiuum adæquatum Filii, sicut & Filius est adæquatum correlatiuum Patris: spiritus autem nec est Pater, nec Filius; ergo non habet pro correlativo directo, & adæquato vel Patrem, vel Filium.

Quocirca cùm spiratio activa, & spiratio passiva sint correlationes mutuæ, passiva quidem est relatio causati, activa verò est relatio causæ; à spiratione passiva denominatur spiritus, vel spiratus. Quo nomine relativi habito, formemus nomen correlativi, *spirator*, quòd à spiratione activa denominativè dicitur; statimquè fiet cõvertentia relatiui ad correlatiuum: spiritus enim spiratoris est spiritus, & spirator spiritus spirator. Spirator ergo est proprium, & directum correlatiuum ipsius spiritus, non Pater vel, Filius, Deus, vel Dominus.

Spirator, & spiratus directè correlatiua.

53. Noluit autem Deus nomen spiratoris poni in sacra scriptura, quoniam voluit docere unitatem essentiæ, ac Trinitatem personarum. Si autẽ præter tres personas adiunxisset nomen spiratoris, gravem occasionem dedisset suspicandi quartam personam. Accedit quòd voluit Deus personas indicare per proprietates constitutivas personarum in esse personali: sed spirator, & spiratio activa nullam personã constituit; unde & nominari non debuit. Reliquit ergo Deus, ut nos, scrutando scripturas, id explicaremus, quod virtute continetur in scripturis.

Spirator non nominatur in scriptura, & cur.

54. Tertia assertio. *Relatiuum hoc, spiritus, vel spiratus, habet pro correlativo Patrẽ, & Filium: atque etiam prædicatum commune Patri, & Filio, ut Deum vel Dominum*. Pro qua re duæ distinctiones nobis afferendæ erunt. Prior est: Quando alicui relativo assignatur correlatiuum, tripliciter assignari potest, primò assignando correlatiuum directum, vel directè oppositum, ut Patri assignatur pro correlativo, Filius: domino seruus. Secundo assignando aliquid disparatũ, & disiunctũ à correlativo directo, ut si Patri assignes pro correlativo lapidem, vel angelum. Tertio si assignetur aliquid coniunctũ cum correlativo directo, ut si Patri æterno assignes pro correlativo Deum; quia est Pater Dei, nam in eadem persona Filii coniunguntur & Dei-

Relatiuo triplex correlatiuũ assignabile.

Io. 19.

Matt. 29. Ioan. 3.

Regula de correlatiuis dignoscendis.

Christus cuius sit filius.

tas, & filiatio. Ista cernere possumus in sacratissima Christi matre, & eius filio. Si Iesus est filius, possumus primò illi assignare matrē, ut assignavit Ioãnes cap. 19. *Sabat iuxta crucem Iesu mater eius*. Possumus secundò assignare pro matre Martham, vel Magdalenam, vel lapidem, aut Angelum, & hæ assignationes sunt falsæ. Possumus tertiò assignare aliqua coniuncta cum matre in eadem hypostasi Mariæ Deiparæ, ut cùm Matth. 16. & Ioan. 3. Christus appellatur *Filius hominis*, quia scilicet in Maria concurrunt & maternitas, & humanitas. Regula est universalis; Quando in aliqua hypostasi plures rationes coniunguntur, illæ rationes de se invicem prædicantur in concreto per communicationem idiomatum; ut quia in Verbo sunt Deitas, & humanitas, propterea in concreto concernendo suppositum dicitur, Deus est homo, & homo est Deus. Ita, quoniam in hypostasi Mariæ, cum maternitate concurrit virginitas, Iesus dicitur filius virginis; Quia concurrit Iudaismus, dicitur Filius Iudeæ, & ita de aliis.

Correlatiuū cōmune, et hypostaticum.

Concretum supponi simpliciter, vel personaliter.

Christus, quo pacto Filius hominis.

55. Posterior distinctio est, quòd correlatiuum potest assignari duplex, vel hypostaticum, vel commune, ut quando Christus assignatur filius Mariæ, assignatur filio pro correlativo ipsa hypostasis, quæ nominatur Maria. Quando dicitur filius hominis, assignatur commune inclusum in ipsa hypostasi. In qua re animaduerto, nomen commune concretum secundum Logicos, posse accipi vel pro natura communi, & hanc appellant suppositionem simplicē: posse item accipi illud nomen commune pro inferioribus, in quibus est, & hanc vocant suppositionem personalem. Cùm dicitur, Iesus est filius hominis, non accipitur, homo, pro natura communi, quia sic non coniungitur cum correlativo directo, id est, cum matre: neque accipitur, homo, suppositione personali pro quacūquè persona hominis, vel pro homine, ut est in quacūq; persona sua, quia tunc Christus esset Filius omnium hominum, ut Nicodemi, vel Marthæ: sed accipitur nomen *homo*, suppositione personali, pro illa persona, in qua coniunguntur ratio hominis, & ratio matris, id est, pro illa homine, quæ est

Christus quo pacto Filius Dei.

mater Christi. Idipsum evenit respectu æterni Patris, nã Christus dicitur in genitivo Filius Patris, ut correlativi hypostatici; dicitur Filius Dei, ut correlativi communis, accepti in suppositione personali pro persona Patris. Nam respectu disparati, ut archangeli Michaelis, vel personæ disparatę, ut Spiritus sancti, non dicitur Filius, sicut neque dicetur Filius Dei, ut Deus dicitur supponere pro Filio, vel pro Spiritu sancto.

56. Accedamus nunc ad rem nostram. Spiritus est nomen relatiuum, & construitur cum suo correlatiuo in casu genitiuo ex prima assertione. Si solus Pater est correlatiuum, siue directum, vt spirator, siue coniunctum cum directo, vt pater cum spiratore coniungitur in eadem hypostasi primæ personæ: tunc spiritus rectè dicitur esse spiritus patris, ut correlatiui hypostatici, & rectè dicitur spiritus Dei, vt correlatiui communis supponentis pro patre suppositione personali. Verùm stante hac hypothesi, quòd solus Pater sit spirator, falsò, & cum hęresi dicetur Spiritus Filii, vel spiritus veritatis, sapientiæ, virtutis, quatenus appropriantur Filio, vel

Spiritus qua ratione est Patris vel Dei uel Filii.

supponunt pro Filio suppositione personali.

Pariter, si solus Filius est correlatiuum hypostaticum, in quo cum Filio coniungitur spirator, vt scilicet Filius sit correlatiuum coniunctũ cum correlatiuo directo: tunc rectè dicemus, Spiritum Filii, vt correlatiui hypostatici, Spiritũ Dei, ut correlatiui communis suppo nentis suppositione personali pro Filio. Rectè dicemus, spiritum veritatis, sapientiæ, virtutis, prout Filio appropriãtur. Falsò autem, & cum hæresi dicetur esse spiritus respectu hypostasis disparatæ, vt *Spiritus patris*, vel *Dei*, vt stat pro patre: falsò dicetur spiritus charitatis, prout charitas Patri appropriatur. Sicut falsò dicitur spiritus sanctus esse spiritus plantæ, vel angeli.

Cæterùm quia in scriptura traduntur veritates catholicę, non falsitates hęreticę; & in scriptura dicitur spiritus Patris, & spiritus Filii: necesse est, ut in illis duabus personis Patre, & Filio, coniungatur hypostaticè correlatiuum directum ipsius spirati spiritus, videlicet, spirator. Spiritus etiam dicetur esse Dei, & Domini: non accipiendo hæc nomina concretta suppositione sim-

Spirator est communis Patri, & Filio.

ſimplici, quia ſic non ſtant pro perſonis. Neque ſuppoſitione perſonali, ut Deus, & Dominus ſunt quid commune tribus perſonis, quia tunc Spiritus ſanctus, qui aſſignatur ut correlatiuum Dei, & Domini, eſſet correlatiuum ſui ipſius: tunc etiam duæ relationes oppoſitę ſpirati, & ſpiratoris eſſent in eodem Spiritu ſancto, quod eſt impoſſibile. Reſtat ut Deus, & Dominus ſtent pro illis perſonis, in quibus coniungitur cum Deo ratio ſpiratoris.

Probatur aſſertio tertia.

Regula de conſtructione correlatiui Quicquid conſtruitur cum aliquo nomine relatiuo in caſu ſui correlatiui; illud eſt vel directum correlatiuum, vel coniunctum cum correlatiuo directo; alioqui ex vi conſtructionis loquutio eſt falſa. Propter hoc non conceditur iſta; Chriſtus eſt filius Nicodemi, vel Michaelis archangeli. Atqui Deus reuelans docet iſtud nomen relatiuum, quod eſt *Spiritus*, conſtrui cum ſuo correlatiuo in caſu genitiuo ex prima aſſertione; item Pater, & Filius conſtruuntur in caſu genitiuo cum relatiuo *Spiritus*, dum dicitur, ſpiritus Patris, & ſpiritus Filii, ergo ex ui conſtructionis, Pater, & Filius aut ſunt correlatiuum directum ipſius ſpiritus, aut ſunt correlatiuum coniunctum cum ipſo correlatiuo directo; alioqui ſacræ propoſitiones eſſent falſæ, quod eſt abſurdum. Sed Pater non eſt directum correlatiuum ipſius ſpiritus, ſicut neque Filius: ergo Pater, & Filius ſunt coniuncti cum correlatiuo directo, ſcilicet cum ſpiratore. *Pater, et Filius sũt correlatiuũ ſpiratio.*

Corollarium. In Patre, & in Filio eſt correlatio directè oppoſita illi relationi, quæ eſt ſpiritus, ſcilicet relatio ſpirationis actiuæ. *Spiratio actiua eſt in, Patre, et Filio.*

57. Quarta aſſertio. *Relatio Spiritus, qua ſpiritus dicitur eſſe Patris, & Filii, eſt relatio originis paſſiua, ſeu cauſati paſſiuè.* Declaro. Quoniam relatiua, quæ conſtruuntur in genitiuo, ſunt multarum rationũ, utputa, originis, veluti pater filii, & filius patris: vel poteſtatis, ut dominus ſerui, & ſeruus domini: vel proportionis vt duplum dimidii, & dimidiũ dupli; Quando Spiritus ſanctus declaratùr eſſe ſpiritus Patris, & Filii, exquirendum eſt, quam rationem habeat iſta relatio ſpiritus. Sed abſque cõtroverſia eſt, quòd Spiritus ſanctus non eſt producens, vel cauſans ad intra, ergo relatio ſpiritus, eſt relatio producti, & cauſati: quare dicitur ſpiritus *Relatiua originis, poteſtatis, proportionis.* *Relatio ſpiritus eſt relatio producti.*

tus à spiratione passiva. Sed relationi, quæ est productio passiva, directè opponitur correlatio, quæ est productio activa, & è converso. Cùm ergo Spiritus sanctus habeat relationem spiritus tanquam propriam, & personalem, illa relatio significata per nomen *spiritus*, vel *spiratus* est relatio producti passivè, & eius opposita correlatio, est relatio producentis activè, scilicet spirantis.

CAP. IX.

Spiritum dici Patris & Filij ad intra, non ad extra.

58 QVanquam comparatio Spiritus sancti ad Patrem, & ad Filium sit comparatio ad intra: siquidem tres personæ sunt intra unam, & candem essentiam divinā; & per consequens cùm dicitur Spiritus Patris, & Spiritus Filii significetur habitudo, sive relatio spirationis passivæ ad intra, cùm utrumque extremum relationis sit ad intra, nẽpe & fundamentum, & terminus. Quia tamen processio Spiritus sancti duplex est, ad intra, & ad extra: posset aliquis ex aduersariis asserere, quòd Spiritus sanctus est, & dicitur esse Filii in processione ad extra: quatenus à Filio datur, mittitur, & procedit ad creaturas: sicut in hoc respectu dici, & esse ipsius Patris potest: quoniam à Patre quoque datur, mittitur, procedit ad creaturas sanctificandas. Sed præterea dicitur spiritus esse Patris ad intra, & ab æterno: eo quòd à Patre procedat secundum esse, & subsistere: non sic dicitur esse Filii ad intra, & ab æterno: quoniam non procedit quo ad esse, & subsistere à Filio.

Verùm enim vero aduersus ita respondentes, Sanctus Basilius est in libro quinto contra Eunomium, cap. 7. dum scribit, quòd Spiritus sanctus est *Spiritus Filii sempiternus*. Profectò spiritus potest esse Filii sempiternus ad intra, quia procedat à Filio & ab æterno, & in æternum.

Sed esse spiritum sempiternum ad extra ipsius Filii, est impossibile, quoniā nulla creatura fuit ab æterno, nullum opus Dei ad extra fuit ab æterno; ergo non potuit actu denominari Spiritus sanctus sempiternus Filii ab aliqua actuali ope-

operatione ad extra, cùm nulla talis fuerit.

59. S. Cyrillus 12. Thesauri cap. 12. probare volens, quòd Filius non sit creatura, sic argumentatur. *Manifestè Spiritus sanctus spiritus Iesu dicitur: est autem etiam spiritus Patris: quomodo ergo Filius non erit natura Deus, si Spiritus sanctus ita suus est, quemadmodum Patris? Nam si cuiusdam unquam creaturæ Spiritus sanctus appellatus in scriptura est, credatur etiam Filius creatura esse. Sin autem Patris solummodo, & Filii spiritus scribitur: quomodo erit creatura, qui adeò creaturas excedit, ut solus cum Patre Spiritum sanctum possideat?* Audimus Spiritum sanctum *ita esse Filii, sicut est Patris*, sic in libro nono in Ioannem cap. 4. car. 290. dixit Cyrillus, quòd spiritus *eodem modo* est spiritus Patris, & spiritus Filii. Sed spiritus est Patris, ut causatum est causantis, seu producentis non modò ad extra procedendo, sed etiam procedendo ad intra; ergo spiritus est etiam Filii, ut causatum causantis, & producentis non solum procedendo ad extra, sed etiam ad intra. Consideretur vis argumenti ipsius Cyrilli. Nulla creatura potest causare Spiritum sanctum ad intra; Filius potest, ergo Filius non est creatura. Hæc est vis argumenti. Minor probata est, quia spiritus est similiter & Filii, & Patris, scilicet ut causatum suæ causæ dantis esse, & subsistere ipsi spiritui; ut patet ex simili loquutione scripturarum.

Item, in hac authoritate, Pater, & Filius dicuntur possidere Spiritum sanctum, quia Spiritus sanctus est ipsorum. Sed Pater, & Filius non possident Spiritum sanctum ex eo, quòd spiritus est missus, vel procedens ad extra: sed è contra, quia possident ipsum, ideò rem ab ipsismet possessam, possunt donare, & dare aliis ad extra. Sanè ex processu spiritus ad extra nulla possessio acquiritur Patri, vel Filio, sive illa processio ad extra intelligatur actualis, sive possibilis. Nec enim, quia spiritus potest mitti, ideò possidetur: sed quia possidetur, potest mitti, & dari. At spiritus dicitur esse Patris, & Filii, ut possidentium ex authoritate citata: igitur non dicitur esse spiritus Filii ex processione ad extra, sicut neque Patris dicitur esse spiritus propter illam processionem.

Cæterùm in hac authoritate Sancti Cyrilli illud est animaduer-

maduerfione dignissimum, quod ait, Spiritum sanctum esse spiritum Patris, & Filii dictum in scriptura: non spiritum alicuius creaturæ. Sed omnis comparatio ad extra, est ad creaturam; ergo apertissimè in ista cōparatione spiritus ad Patrem, & Filium, excluditur comparatio ad creaturam; ergo excluditur processio ad extra.

Præsertim verò id est animaduertendum, quoniam in 4. Reg. 2. scriptum est, *requieuit spiritus Eliæ super Elisæum.* & Daniel. 13. *Suscitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel.* Ergo in scriptura Spiritus sanctus dicitur esse alicuius creaturæ, ut Eliæ, vel Danielis, in quibus requiescebat, & operabatur. Quid iam Sanctus Cyrillus ait, quòd spiritus non est appellatus spiritus creaturæ alicuius? an Cyrillus oblitus erat istarum scripturarum?

4. reg. 2.

Dan. 13

Sed respondetur, quòd Spiritus sanctus potest comparari in ratione causati, & in ratione causæ. Si comparetur ad creaturam in ratione causæ, sic dicitur esse spiritus alicuius creaturæ, & hoc ex tempore, ut Isaiæ 11. spiritus sapientiæ, & intellectus appellatur, quæ sunt dona causata à Spiritu sancto. Ita quoque potest nuncupari spiritus Petri, vel Pauli, in quibus erat, & operabatur, & per quos dabatur Spiritus sanctus. Sed in ratione causati, & possessi, non est Spiritus sanctus comparatus ad creaturam, neque dictus spiritus alicuius creaturæ: sed præcisè dictus est spiritus Patris, & spiritus Filii: unde & cùm Pater, & Filius causent spiritum communiter, cōmuniter possident spiritum ut proprium peculium possessum ab eis.

Isai. 11.

Dicitur insuper spiritus alicuius creaturæ, sed ex tempore, secundum citata sacræ scripturæ loca, Sancto Cyrillo optimè nota: sed est spiritus Patris, & Filii ex æternitate; quo modo nullius creaturæ est spiritus. Tandem est spiritus Eliæ, & Danielis quo ad effectū ad extra: sed spiritus Patris, & Filii est quo ad esse, & subsistere ad intra.

Suffragatur nostræ assertioni modus loquendi sacræ scripturæ. Nam Christus Matth. 10. ait. *Spiritus Patris vestri.* Quando spiritus dicitur esse *Patris*, additur *vestri*: nempe in comparatione ad extra. Quā glossam semel à summo Magistro datam, dabimus ad omnes

Matt. 10.

scripturas, in quibus spiritus, esse patris affirmatur. Non enim sine causa Christus ad Patrem adiecit, *vestri*, scilicet spiritus est *Patris*, cum addito *vestri*. Et Petrus 1. Cor. 6. *Spiritus Dei* cum addito *nostri*. Quando autem spiritus dicitur esse Filii, præcisè statur in comparatione ad intra, & in ipso Deo, Galat. 4. *Misit Deus spiritum Filii sui*. Comparat spiritum ad Filium, Filiũ ad Patrem: & ibi terminat respectum, neque addit, spiritum Filii, qui vester est vel Deus, vel redemptor, vel mediator. Ergo multò magis affirmare debemus, quòd spiritus est Filii ad intra, quàm quòd Patris.

Gala. 4.

Itidem, quando dicitur *Spiritus esse veritatis*, veritas est prædicatum absolutum ad intra, & appropriatur Filio. Nec Filius est veritas propter comparationem ad extra, sed quia procedit à Patre per modum intellectus, cuius obiectum est veritas, & cuius actus est cognitio veritatis. Ergo spiritus dicitur esse spiritus veritatis ad intra, atque propter rationem ad intra; eodemque pacto dicitur esse spiritus Filii, scilicet ad intra.

Denique S. Leo in tractatu contra Eutycheten c. rr. 183. ait. *Sempiternum est Patri, coæterni sibi Filii esse genitorem. Sempiternum est Filio intemporaliter à Patre esse progenitum. Sempiternum quoque est Spiritui sancto, spiritum esse Patris, & Filii*. Non igitur Spiritus sanctus est spiritus Filii, aut Patris propter processionem temporariam, & ad extra.

CAP. X.

De Vnitate principii spirativi summariè agitur.

POnamus nunc assertiones aliquas de spiratione activa, & passiva quantum ad unitatem: sed summatim, quon ã res non est in controversia: siquidem cùm Eunomius dixit, spiritum à solo Filio productũ, non ponit in spiritu immediatè, & proximè, nisi unicam relationem producti passivè ad Filium. Cùm Theodoritus statuit, spiritum à solo Patre produci, non ponit in spiritu, nisi unicam relationem producti passivè à patre. Cùm autem catholici affirmant spiritum Patris, & Filii esse spiratum, vel productum à Patre, & à Filio: hoc

Relatio spirati unica.

hoc dicunt ponendo unicam spirationem passivam in spiritu, & unicam spirationem activam in Patre, & Filio, atque etiam unicum principium formale spiratiuum commune Patri, & Filio. Non ergo est in controversia hæc unitas. Sed sicut creatura per unicam relationem refertur ad Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, ut ad unum creatorem ratione unius principii creativi existentis in tribus. Ita spiritus per unam spirationem passivam refertur ad unum spiratorem existentem in Patre, & Filio ratione unius principii spirativi, quod est vel Deitas, vel aliqua proprietas essentialis deitatis. Sit tamen,

Creatura unica relatione ad tres personas refertur: spiritus unica ad duos

61. Prima assertio. *Vna est spiratio passiva, & omnino una, qua Spiritus sanctus dicitur esse spiritus Patris, & Filii, ut correlativi*. Probatur. Vnus est Spiritus sanctus, dicente Sancto Athanasio in symbolo. *Vnus Pater, non tres patres: unus filius, nō tres filii: unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti*. Ergo unica omnino est productio passiva, per quam spiritus constituitur in esse spiritus. Probatur consequentia, quia persona divina constat in esse ex essentia communi, qua constituitur in esse Dei, & ex relatione propria personali, qua constituitur in esse personæ. Hinc argumentor. Vnius per se constituti in aliquo esse, est unum per se constitutiuum proprium, & adæquatum in illo esse. At Spiritus sanctus est unum per se cōstitutum in esse spiritus relativi; ergo una tantummodò erit relatio propria, & adæquata constituens spiritum in esse spiritus. Iam verò ipse Spiritus sanctus constituitur in esse spiritus per spirationem passivā; ergo unica omnino est relatio spirationis passivæ, per quam dicitur spiritus Patris, & Filii.

S. Ath.

Spiritus unus.

Spiratio una

62. Secunda assertio. *In Patre & in Filio est unica spiratio activa, & unica ratio formalis terminandi spirationem passivam ipsius spiritus*.

Probatur prima pars, quia uni relationi, unica præcisè correspondet correlatio directè opposita. Sed spiratio passiva est unica in Spiritu sancto, ex præcedente assertione; ergo unica est spiratio activa directè opposita spirationi passivæ ipsius spiritus, & unicus est spirator correspondens ipsi spiritui, ut sicut est unicus creator in tribus personis, sic unicus sit spirator in duabus uni-

Vnius relationis una est correlatio.

formiter. Hoc indicavit S. Cyrillus Alexandrinus libro nono in Ioannem cap. 44. superius citato. *Nonne igitur dicendum est, imo autem omnino credendum, quia unà cum patre naturalibus Deitatis bonis substantialiter Filius communicet, eodem modo spiritum habet, quo Pater habere intelligitur: non aduentitium, neque deforis? Stultum enim, atque furiosum est ita sentire. Sed quemadmodū unusquisque nostrum proprium in seipso spiritum continet, & ab intimis visceribus ad exteriora profundit: propterea corporaliter Christus sufflavit, ostendens hoc signo, quia quemadmodum ab ore humano corporaliter humanus spiritus procedit: sic ex divina substantia Deitati congruenter spiritus, qui ab ea est, profunditur. Quando igitur ipse spiritus Patris, & Filii est, quomodo Pater, atque Filius unam potestatem distinctè simul, atque cōiunctim non habebunt?* In hac authoritate primò constat, quòd Pater, & Filius habent Spiritum sanctum eodem modo, quare secundum eandem rationem activæ spirationis. Secundò, quòd Pater ex intimis visceribus suis, hoc est, ex sua substantia, emittit spiritū: similiter & Filius non deforis, & aduentitium spiritum emittit, sed ex intimis visceribus, & intima substantia spiritum effundit. Tertiò quòd eadem est substantia intima Patris, & Filii, à qua spiritus profunditur: atque adeò Pater, & Filius habent unam potestatem respectu Spiritus sancti: habēt distinctè quantum ad personas, coniunctim quantum ad essentiam. Ex hac authoritate, nostra assertio tota constat, & prima pars ratione probata est.

S. Cyr. Alex.

Pater & Filius habent spiritū eodem modo.

Spiritus ab intimis Filii exit, & ex ore Filii.

Eadem potestas spirativa in Patre, & Filio.

63. Ad probandam secundam partem declaro. Duplex est terminus relationis, alter est terminus ut *quis*, vel *quod* terminat, sicut Abraham terminat relationem Filii sui Isaaci, nimirum terminat filiationem. Alter est terminus *ut quo*, & est ratio formalis terminandi relationem: atque in Abrahamo ipsum principium naturale generatiuum, est ratio terminandi filiationem: sed hoc principium non terminat filiationem, nisi præcedente ipsa productione activa, tanquā conditione prævia. Sic in Beatissima Deipara. Maria est terminus *ut quod*, vel *quæ* terminat: principium naturale generatiuum cum actuali generatione ipsius Christi prævia, est

Terminum ut quod, et ut quo relationis.

ratio

ratio formalis terminandi relationem filii ad matrem.

Probo assertionem. Si spiratio passiva, qua Spiritus sanctus est, & dicitur spiritus Patris, & Filii, habet pro termino formali *ut quo*, aliud in Patre, aliud in Filio alietate formali: ergo in spiritu erunt duæ relationes spirati, & ambæ propriè, quod est absurdum. Consequentia probatur. Multiplicatis fundamentis formalibus, aut terminis formalibus relationum, aut utrisque: necessariò multiplicantur relationes formaliter; Nam relationes consequuntur rationes formales suorum extremorum. Sed per aduersarium, alia est ratio formalis terminandi spirationem passivã in Patre, alia in Filio: ergo duæ rursus erunt spirationes passivæ in ipso spiritu, & duæ activæ correlationes, una in Patre, una in Filio.

Vnde multiplicetur formaliter relatio.

63. Confirmatur. Si Spiritus sanctus est spiritus Patris, tanquam correlativi, aut Pater terminat relationem ut Deus, aut ut Pater, aut ut spirator. Non Pater, ut Pater, quia sic præcisè, & adæquatè terminat relationem Filii: & Filius, ut Filius terminat relationem Patris. Nec enim Pater est Pater Spiritus sancti, neque Filius est Filius Spiritus sancti, nec Spiritus sanctus est Filius Patris, aut Pater Filii, sed est spiritus utriusquè. Si Pater terminat ut Deus, cùm ratio Deitatis in solis Patre, & Filio habeat primitatem ad spirandum, sive ad actum spirandi activè: tunc Pater, & Filius erunt terminus ut *quod*, vel *quis*, sed unus Deus cum cõditione primitatis ad spirandum, erit terminus formalis *ut quo* spirationis passivæ. Sed hic Deus in Patre, & Filio est eiusdem rationis formalis; ergo unus est terminus formalis *ut quo* in Patre, & Filio.

Quaratione Pater, vel Filius terminant spirationem passivam.

Si Pater terminat, ut spirator, iam vel eadem est ratio formalis spiratoris in Patre, & Filio: vel alia, & alia. Si eadem est ratio formalis spiratoris constituti per spirationem activam, tunc quærendum est fundamentum formale spirationis activę, seu principium *quo* elicitur spiratio activa. Melius autem est reddere rationem de ipso actu spirandi per principium formale *quo* spiratiuum, quàm per actum elicitum secũdum principium formale, nam reddendo actum per actum, est petere principium, vel reddere rationem à posteriori. Si itaq; est una spiratio activa in Patre,

Melius redditur ratio de principiato, per principium quàm è converso.

Eadem ratio formalis in Patre, & Filio qua terminant relationem spiratis.

tre, & Filio, erit unum principium spiratiuum *ut quo* in utroque: & idem principium *quo* spiratiuum, est ratio formalis terminandi spirationem passivam, sicut dicebamus in Abrahamo, quòd principium *quo* generatiuū, est etiā terminus formalis, ut *quo* terminatur generatio passiva, vel filiatio Isaaci. Eædem rationes secundū proportionem fiant de Filio, quia terminat vel ut Deus, vel ut Filius, vel ut spirator: atq; idem concludetur, sicut conclusum est de Patre.

65. Tertia assertio. *Deus, non ut quid commune tribus, est ratio formalis in Patre, & Filio, qua spirant, vel qua terminant relationem ipsius spiritus: sed Deus cum conditione primitatis ad actum spirandi.* Ad hoc declaro conditionem principii productivi, seu causativi, ut superius repetitum est. Nam si principium intelligitur ante productionem adæquatam, iā habet primitatem, seu prioritatem ad actum adæquatum, & consequenter est fæcundū, & potest elicere actum. Cùm autem principium productiuū *ut quo* cum primitate sua repetitur in hypostasi, quæ est principium *ut quod*: in illa hypostasi principium potest habere

Principiū ante, vel post productionem.

actum adæquatum, & in divinis necessariò habet, quia idē sunt esse, & posse in divinis ad intra. Cùm autem principiū functum iam est suo munere, & exercuit actum adæquatū, tunc non potest amplius producere. Nullum enim principium potest excedere vim adæquatam, actum adequatum; productum adæquatum.

Maxima.

66. Nunc autem in divina hypostasi sunt essentia, & relatio (& relationes sunt steriles, nec sunt ratio formalis agēdi) sed divina hypostasis non erit agens, vel producens ratione relationis, sed ratione essentiæ, & naturæ communis, tanquam principii *quo*. Quocirca si *hic Deus* est prius natura ratio generandi Filium, quàm spirandi Spiritum sanctum; Deus est in duabus personis Patre, & Filio, ut prioribus natura Spiritu sancto, atque adeò cum primitate ad actum spirandi, & ad hypostasim spiratam. Et hypostasis spirata refertur ad spirantes, ut ad terminum, qui spirat, & ad rationem Dei cum primitate, *ut qua* spirat. Hinc est, quòd spiritus non est spiritus Dei, ut est in tertia persona, quia Deus in ea non est cum primitate ad actum spirandi: sed spiritus est

Hypostasis agit ratione essentiæ, non relationis.

Hic Deus cū primitate est ratio spirādi.

spiritus

spiritus Dei, ut est cum primitate scilicet in Patre, & Filio solis. Ideò S. Basilius quinto in Eunomiũ cap. 14. car. 359. exponit authoritatem Apostoli 1. Cor. 2. quòd quando spiritus dicitur esse spiritus Dei, ibi Deus non accipitur pro Spiritu sancto. *Neque pro spiritu Dei accipere quis possit Deũ, cùm clarè audiat Apostolum de eo, qui in nobis habitat, dicentẽ: Nobis enim revelavit Deus per spiritum suum, spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. Quis enim hominum novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Sic etiam ea, quæ Dei sunt, nemo novit, nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, quo sciamus ea, quæ à Deo nobis donata sunt. Si itaque nemo in his poterit spiritum Dei Deum accipere, etiam si ita unitum ipsum Dei gloriæ videat, veluti homini est hominis spiritus: ne vim faciat, ut spiritum Dei ipsum Deũ esse dicat.* Hæc Basilius. In quibus apparet, quòd licet spiritus sit Deus, tamen in hac authoritate, spiritus accipitur ut distinctus à Deo, cuius est spiritus: ut distinctus à Deo, cuius profunda scrutatur.

S. Bas.

Quãdo Deus nõ accipitur pro Spiritu.

1. Cor. 2

67. Hinc accipitur ratio ad probandam assertionem. Apostolus in 1. Cor. 2. scribit: *Nemo novit, quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritũ huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est.* Ecce, in prima clausula scribit spiritum Dei in genitivo constructi: & in secunda clausula explicat in ablativo, spiritum ex Deo. Si ergo Deus in prima clausula accipitur, ut quid cõmune tribus, etiam in secunda correspondente, accipitur ut quid commune tribus, & per consequens spiritus erit ex seipso, ut Deo. At impossibile est, ut *qui est* ex aliquo causatus, sit idem illi, *ex quo* est: ergo impossibile est, ut spiritus dicatur, & sit Dei, & ex Deo, quatenus vox *Deus* significat quid commune tribus: sed accipitur Deus cum conditione primitatis, nam sic spiritus & est Dei spirantis, & ex Deo spirante.

1. Cor. 2.

Qui ex aliquo, non est is, ex quo.

Spiritus est Dei spirãtis & ex Deo spirante.

Adhæc, omne posterius productum, præsupponit in principio productivo *ut quo* primitatem ad actum producendi adæquatum. Sed spiritus est spiratus, atque productus, eiusque relatio terminatur ad spirantem præcisè; ergo Spiritus sanctus præsupponit in hypostasi correlativa Deum cum pri-

primitate ad spirandum: sed Deus, ut in tribus, non habet primitatem ad spirandum; ergo Deus ut in tribus non est principiũ formale ut *quo*, neq; terminus formalis *ut quo* spirationis, sed ut est in Patre, & Filio solis.

CAP. XI.

De modo loquendi in exponenda relatione spiritus ad Filium.

68. Postquam de re discussum est ex divina authoritate, discutiamus de modo loquendi. Certum est ex divina scriptura, Spiritum sanctum esse spiritum Patris, & spiritum Filii; quare in Spiritu sancto, ex revelatione certũ est, adesse relationem ipsius spiritus ad Filium. Sed scriptura loquuta est in genitivo respectu Filii, *Misit Deus spiritũ Filii sui*, Galat. 4. Qua ratione, & fronte ausi sunt Latini conuertere genitiuum in ablatiuum, & dicere, spiritum ex Filio, cùm Deus dixerit, spiritũ Filii, spiritum veritatis.

Gal. 4.

Ex hac instantia patentissimum est inter Græcos, & Latinos catholicos non posse reperiri controversiam in re, sed in modo loquendi tantùm. Concedunt Græci relationem spiritus respectu Patris, & Filii: eãdem relationem concedunt Latini. Quando verò Latini asserunt, spiritum ex Filio esse, vel procedere, vel produci: nihil aliud revera significare volunt, quàm illam habitudinẽ, seu relationem toties indicatam à Deo in genitivo, dicendo: spiritum Filii, spiritum veritatis, spiritum Iesu, spiritũ Christi, spiritum sapientiæ, virtutis, gratiæ; spiritum Dei, spiritum Domini.

Relatio, qua spiritus est Patris & Filij, conceditur à Græcis, et Latinis.

69. Si de re quæritur, cùm Græci, & Latini catholici, & amatores veritatis communiter recipiant istas scripturas de spiritu in genitivo respectu Patris, & Filii: res est in concordia. Disputare de voce, cùm de re constat, supervacaneum est, & controversia facilè sedatur. Sicuti olim Græci utentes nomine *hypostasis* in tribus personis, à Latinis utentibus nomine *persona*, discordabant. At S. Gregorius Nazianzenus aduertens, quòd idem significarent Latini per vocabulum personæ, quod Græci per vocabulum hypostasis; monuit esse dissensum in voce, non in re. Vnde contro-

Controversia in re, an voce

Hypostasis, et persona idem. Greg. Naz.

versia sublata est. Sic in proposito, cùm relationem spiritus & ad Patrem, & ad Filium in genitivo explicatam & Græci, & Latini concedant, si Græci respectu Filii eam explicare volunt in accusativo cum Per, & Latini in ablativo cum A, vel Ex: dissidium est de modo loquendi, non de modo essendi. Quare concordia est ineũda, sicut in concilio Florentino hac animaduersione habita, inita fuit unio, & concordia Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis.

70. De voce tamen dicimus, Latinos, & Græcos Patres, qui loquuti sunt per particulam, Ex, vel Ab, Deo magistro explicavisse genitiuum per ablatiuum cum Ab, vel Ex Latinè, & Grçcè cum genitivo æquivalente huic ablativo. Ratum enim est, non posse in Spiritu sancto esse nisi unam relationem propriam personalem, per quam est spiritus Patris, & spiritus Filii, eodem casu genitivo explicatam. Sed Latini videntes Salvatorem primò dicentem Matthæi 10. *Spiritus Patris* vestri: deinde Ioann. 15. *Spiritus à Patre*, vel *ex Patre* procedit, animaduerterunt habitudinem explicatã in genitivo prius, fuisse posterium explicatam in ablativo cum A, vel Ex. Videntes itẽ Apostolum in 1. Cor. 2. scribentem primò *Spiritum Dei*, mox *Spiritum ex Deo*: iterum observaverunt relationem explicatam in genitivo, fuisse divinitus explicatam in ablativo cum Ex, vel Ab. Quapropter sicuti Deus exposuit genitiuũ in ablativo, spiritus *Patris*, & *ex Patre*: Spiritus *Dei*, & *ex Deo*. Sic Latini humiles discipuli sequuti summum magistrum, exposuerunt genitiuum cum ablativo dicentes, spiritũ *Filii*, & *ex Filio*, audierunt enim Apostolum dicentem, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*.

Deo magistro genitiuus in ablatiuum cum Ex vertitur.

Matt. 10. Isa. 15. Spiritus Patris, & ex Patre.

1. Cor. 2 Spiritus Dei, et ex Deo

Spiritus Filii, & ex Filio. 1. Cor. 11.

71. Secunda ratio istius explicationis accipitur ex prima ad Corinthios secundo dicente Apostolo. *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suũ: spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis*. Potest quidem hic locus explicari de Deo Patre, ut scilicet nomen

1. Cor. 2.

Dei supponat, & accipiatur pro Patre. Commodius tamē exponetur de Filio: licet enim Pater revelet secreta per spiritum; tamen actus revelandi appropriatur Filio, qui venit ad *dandam scientiam salutis*, Luc. 1. Hinc Matthæi 11. *Nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Hinc Ioann. 16. *Cùm venerit spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet* (supple à me) *loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis*. Si ergo actus revelandi per spiritum appropriatur Filio: magis consentaneè locus exponetur de Filio, ut Filius intelligatur per nomen Dei, quando dicitur. *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum*.

Revelare Filio appropriatum.

Luc. 1. Matt. 11.

72. S. Cyrillus 10. in Ioānnem cap. 6. exponens illa verba, *Quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, scribit. *In nomine autem suo, id est, per se ipsum. Spiritus enim Filii est. Ideò ait, quia ille vos docebit omnia, in memoriamquè reducet, quæcunque ego vobis dixi. Spiritus enim, & mens eius cùm sit, ut scribitur, non est aliud secundum naturā, quamvis in propria persona subsistat: propterea omnia scit, quæ Filii sunt. Nullus enim, ait, ea, quæ sunt Dei novit, nisi spiritus Dei. Omnia igitur, quæ unigeniti sunt, novit: non disciplina quadam, ne minister Filii esse intelligatur, sed ut spiritus eius, sicuti modò dictum est. Sine disciplina igitur omnia sciens quæ sunt eius, ex quo, & in quo est, sāctis revelat sicuti vult. Quemadmodum mens omnia cognoscit, quæ in animo sunt, & prolatione sermonis ad exterius, quæcunq; vult profundit: nec est aliud natura, quàm anima sit, sed pars quædam eius, ex ipsa, & in ipsa*. Ex qua authoritate patet, sanctum Cyrillum exponere istum locum Apostoli de Filio.

S. Cyr.

Spiritus scit quæ Filii, id est Dei.

Spiritus ex Filio et in Filio Nota.

Quinimo & Sanctus Athanasius nobis suffragatur in exponendo isto loco primæ ad Corinthios secundo. Etenim in epistola ad Serapionem probaturus istam conclusionem causalem, quia Spiritus sāctus est ex Deo Filio, ideò Spiritus sanctus est Deus; probat à simili contra Semiarianos, sicut quia Filius est ex Deo Patre, ideò Filius est idem Deus cum Patre: ita quia Spiritus sanctus est ex Deo, scilicet, Filio, ideò spiritus est idem Deus cū Filio. Verba Sancti Athanasii

S. Ath.

sii proferantur. *Quod si Filius, quia ex Deo, & Patre est, proprius ipsius substantia est: necesse est, spiritum, qui ex Deo esse dicitur, proprium esse Filii secundum substantiam.* Profectò dum ait, spiritum esse ex Deo, intelligit Athanasius ex Deo Filio: quoniam id seminatum est in præmissis, quod colligitur in conclusione. Sed in cõclusione colligit spiritum esse proprium Filii secundum substantiam, ergo debuit ponere in præmissa, spiritum esse ex Deo Filio, sic arguendo. Quicunque est ex aliqua persona Dei, est proprius illius personæ secundum substantiam: sed spiritus est ex Deo Filio, ergo spiritus est proprius Filii secundum substantiam. Probatur maior inductione. Filius, quia est ex Deo Patre, ideò est proprius Patris secundum substantiam: ergo ita dicendum est de quocunque existente ex aliqua persona Dei. Hanc rationem tanti fecit Gregorius de Valentia, ut censuerit aliquem ex schismaticis delevisse vocẽ *ex Filio* in epistola Athanasii. Nam sine illa particula in minori, ratio Sancti Athanasii inepta, & captiosa est. Nobis sufficit, quòd non potest intelligi conclusio de Filio, nisi in aliqua propositione ponatur Filius: Non ponitur in maiore, atque ideo cùm dicitur, spiritus est ex Deo, intelligitur, spiritus est ex Filio.

Seminatur in præmissis, quod colligitur in conclusione.

Qui ex Deo, est Deus.

Greg. de Valen.

73. Cæterùm hæc authoritas Apostoli in prima ad Corinthios secundo, commodissimè exponetur de Deo, ut stat pro Patre, & pro Filio simul, prout contradistinguitur à Spiritu sancto. Ad cuius rei explicationem animaduerto, nomen *Dei* sexies reperiri in hac authoritate, quater ante particulam, *ex Deo*, semel post particulam.

Deus pro Patre & Filio.

1. Prima clausula est; *Deus revelavit per spiritum.* Atqui & Pater, & Filius operantur ad extra per spiritum. Spiritus nanque non à se loquitur, sed à Filio, à quo audit, Ioan. 16. Sic & à Patre, quia Filii operatio non est separata ab operatione Patris.

Exponitur locus in 1 cor. 2.

Io. 16.

2. Clausula: *Spiritus scrutatur profunda Dei.* Dei utiq; & Patris, & Filii illorumque essentialia, & notionalia Spiritus sanctus scrutatur: nec enim ignorat vel Patrem, vel Filium.

3. Et quarta clausula: *Quæ Dei sunt, nemo novit, nisi spiritus*

Deus Pater et Deus Filius noti spiritui. *tus Dei*. Distingue Deum cognitum à spiritu cognoscente. Planè spiritus cognoscit; & Deus cognitus est tùm Pater, tùm Filius, atque omnia sive communia, sive propria Patri, & Filio spiritus novit. Et certè Cyrillus hoc explicavit de Filio cognito.

5. Clausula est: *Sed spiritum, qui ex Deo est*.

6. Clausula. *Vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis*. Exponi hoc potest de Filio, de *Eph. 4.* quo ait Apostolus Ephes. 4. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. Veruntamen & Spiritus sanctus ut primum donum: & effectus Spiritus sancti ut posteriora dona, verè à Deo Patre, & Filio donantur. Cùm igitur in quinque clausulis Deus accipiatur non pro Spiritu sancto, sed pro communi ad Patrem, & Filium: quam ob causam in quinta clausula, cùm dicitur spiritus esse ex Deo, non intelligemus Deum *Spiritus ex Deo Patre, & ex Deo Filio.* in communi ad Patrem, & Filium? Imò ex antecedentibus, & consequentibus omnino recipiendus est sensus interpositæ clausulæ, atque ideo dicemus spiritum esse ex Deo Patre, & ex Deo Filio.

S. Bas. 74. Sanctus Basilius 5. in Eunomium cap. 14. car. 359. hanc Apostoli sententiam in prima ad Corinthios secundo declarat quo ad duas partes; prima est, ut per nomen Dei non intelligatur spiritus: secunda est, ut per nomen Dei & Pater, & Filius intelligantur. Prior pars ex istis, continetur in hisce Basilii dictis, superius quoque citatis. *Neque pro spiritu Dei accipere quis possit Deum; cum clare audiat Apostolum de eo, qui in nobis habitat, dicentem, Nobis enim revelavit Deus per spiritum suum: spiritus enim omnia scrutatur etiã profunditates Dei. Quis enim hominum novit, quæ hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Sic etiam ea, quę Dei sunt, nemo novit, nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, quo sciamus ea, quæ à Deo nobis donata sunt. Si itaq; nemo in his poterit spiritum Dei Deum accipere, etiam si ita unitum ipsum Dei gloriæ videat, velut homini est hominis spiritus: ne vim faciat, ut spiritum Dei ipsum Deum esse dicat*. Ex qua Basilii doctrina manifestum est, quòd alius intelligitur per nomen spiritus, alius per nomen Deus, & spiritus ibi non intelligitur nomine Dei.

Po-

Posterior pars à Basilio inferius adiungitur, cùm Basilius ostendit, nominata una persona, intelligi alteram quo ad prædicata, in quibus personæ conveniunt. *Nam* (inquit Basilius) *& cùm Paulus dixit, quicunque in Christum baptizati estis, Christum induistis: non sanè absque Patre sanctificationem induxit, sed in Filio etiam Patrem significavit. Cùm verò dicit, nobis enim revelavit Deus per spiritum suum, non subtraxit Filium dicentem, neque Patrem quisquam cognovit, nisi Filius, & cui Filius revelarit.* Quocirca cùm in hac authoritate Apostoli, Dei nomen auditur, ex Divo Basilio Pater, & Filius intelliguntur, spiritus non intelligitur, qui a Deo contra distinguitur. Si verò Dei nomine in hac Apostoli authoritate Pater, & Filius intelliguntur, quis non videt, Apostolo dicente spiritũ, *qui ex Deo est*, esse spiritum & ex Patre, & ex Filio?

Ita Cyril. 4. thesauri cap. ult. optimè.

74. Quam ob rem si per vocabulum Dei sexies repetitũ, intelligamus Filium cum Cyrillo: iam spiritus est ex Deo Filio, & est Dei Filii: atque uterque modus loquendi habetur in scriptura. Si autem cũ Basilio in Dei nomine non solùm Pater, sed etiam Filius revelans intelligitur, cùm dicitur, spiritus est ex Deo revelante, spiritus dicitur esse ex Patre, & ex Filio: atque adeò hæc phrasis cum præpositione, *ex* habetur in scriptura, ut spiritus sit Patris, & ex Patre, Filii, & ex Filio.

Cyril.

Basil.

75. Tertia ratio. Quoniã in relationibus causæ, & causati, seu producentis, & producti, vel loquimur per nomen, vel per verbum, aut participiũ. Si loquamur per nomen, relatio exponitur in genitivo casu, ut Filius Patris, genitor geniti, spiritus spiratoris, creatura creatoris. Sic relatio ipsius spiritus nobis revelatur in scripturis constructa cum genitivo: spiritus Patris, spiritus Filii, spiritus Domini, spiritus Dei.

Relatio causæ, et causati quomodo Latinè exprimantur

Per nomen.

Si autem loquamur per verbum, aut loquimur per verbũ actiuum, aut per verbum passiuum. Si per verbum actiuũ, persona agens ponitur in nominativo, patiens in accusativo, ut pater generat filium, spirator spirat Spiritum sanctum. Si per verbum passiuum, tunc ipsum productum ponitur in nominativo; correlatiuũ eius, quod est producens, & agens, in ablativo cum à, vel ab, de, e,

Per verbum actiuum

Per verbum passiuum.

vel

vel ex. Nec est possibile aliter loqui in lingua Latina.

Si igitur Latinè loqui volumus de Spiritu sancto passivè producto, vel causato in respectu ad eius correlatiuum producens, seu causans, necessarium est ponere spiritum passivè productum in nominativo, & correlatiuum eius, nempe spiratorem, in ablativo cum à, vel ex, ut spiritus est ex spiratore, vel à spiratore. Sed Deus ipse revelavit, tanquam correlatiuum ipsius spiritus, Patrē, & Filium dicendo, spiritum Filii, spiritum Patris: ergo non possumus aliter loqui in Latino passivè, nisi dicendo spiritū ex Filio, & ex Patre, vel à Filio, & à Patre.

Spiritus ex vel à spiratore producitur

76. Qua in re, redit in mentem id, quod Laban, & Iacob fecerunt nominando cumulū lapidum erectum in attestationem pacti initi *inter* eos. *Quē* (cumulum) *vocavit Laban, Tumulum testis: & Iacob, Acervū testimonij, uterque iuxta proprietatem linguæ suæ.* Si Græcè relatio spiritus ad Filium commodius explicatur in accusativo cum *Per*, dicendo, spiritus est à Patre per Filium: Si Latinè commodius in ablativo cū à, vel ex: concedatur utrique

Gen. 31.

Spiritus Per Filium & ex Filio.

proprietas linguæ suæ, dummodò seruetur concors intelligentia, ut nihil aliud explicetur, nisi relatio spiritus ad Filium in eo sensu, quo Deus illam revelavit. Qui autem negat relationem spiritus ad Patrem, vel spiritus ad Filium, is repugnat sacræ scripturę, & Deo dicenti spiritum Patris, & spiritum Filii. Illique dicemus cum Divo Paulo, *Si quis aliud euangelizaverit, præter quam quod accepistis, anathema sit.* Galat. 1. *Galat. 1.*

77. Confirmatur hoc totū, nimirum quòd relatiuum originatum costructum cum genitivo in Latina lingua per verbum passiuum constru tur cum ablativo habente præpositionem à, vel ab, è, vel ex, Lucæ 3. *Vt putabatur Filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Matath &c. Seth qui fuit Adā, qui fuit Dei.* Isti casus genitivi significāt cor relatiuū ipsius Iosephi, qui fuit causatus ab Heli, & Heli causatus à Matath: & Seth causatus ab Adamo, & Adam causatus à Deo. Profectò isti casus genitivi Latinè exponi debent cum verbo passivo, & ablativo constructo cum præpositione à, vel ex, ut Adam est productus à Deo, vel ex Deo: Seth est productus ab Adamo, *Luc. 3.*

In causatis genitiuus per ablatiuum exponitur.

vel

vel ex Adamo, & sic de aliis. Cùm ergo relatiuum originatum non habeat pro correlativo, nisi principium originans, seu causale, respectu cuius correlativi, construitur in genitivo, & etiam in ablativo cum dictis præpositionibus; ergo propriè in Latino talis expositio data est illius relationis, *spiritus Filii*, qualem ipse Deus dedit respectu Patris, & Dei, dicens, ex Patre, & ex Deo. Qualis danda est etiam in tota genealogia Christi, & in omnibus similibus.

78. Item, prout Scotus notat in 1. dist. 11. quæst. 1. quia multis modis dicitur in genitivo *Hoc esse illius*, ut pater filii, dominus servi, magister discipuli. Specificatio modi propositi loquendi in scriptura dicēte, spiritus Patris, spiritus Filii, specificatio modi propositi, inquam, est sumenda ex ipsa ratione relationis existentis in solo spiritu, ut relationis personalis. Relatio personalis propria Spiritui sancto, est relatio producti passivè, puta spirati, vel procedentis ad producentem activè. Ergo cùm dicitur spiritus esse alicuius, dicitur esse spiratus passivè ipsius producentis activè, à quo spiratur in esse personali. Nam productum passivè non habet pro correlativo cuius est, nisi producens activè. Atqui dicere, est spiritus producentis, & à producente, in Latino eloquio omnino idem est; ergo omnino idem est dicere spiritum Patris, & à Patre: spiritum Filii, & à Filio: spiritum Dei, & à Deo, vel ex Deo.

Scotus.

Modus loquendi in relatione specificatur à modo essendi.

Quare latio propria piritui.

Correlatiuū producti est producens.

79. Per hæc refutatur responsio Theophilacti in tertiū Ioannis data ad hoc nostrum quartum argumentum, dicentis, aliud est *esse cuiusdam*, aliud est *esse ex aliquo*. Refutatur nanque, quoniam in productis passivè, idem est esse alicuius, & esse ex aliquo. Spiritus sanctus autem in esse personali non est nisi passivè productus secunda productione divina. Ergo spiritus est illius, ex quo est: idemquè sunt in Spiritu sancto esse cuiusdā, & ex aliquo. Sunt itaque ista duo, *esse cuiusdam*, *esse ex aliquo*, sicut superius, & inferius. Nam esse cuiusdam potest dici de relatione producentis, ut Pater est Filii, sed non est ex Filio: dimidium est dupli, sed non ex duplo. Sed in relationibus causati coincidunt, nam causatum est ipsius causæ, & etiam ex causa, ut duplum dimidii, & ex dimidio; Filius Patris,

Theophylactus reijcitur.

Esse cuiusdā et ex aliquo qua ratione idē vel diversa

tris,& ex Patre. At in Spiritu ſancto, reſpectu primæ, & ſecundæ perſonæ divinæ, non poteſt eſſe alia relatio propria, niſi relatio cauſati, ſeu producti. Quam rem Theophilactus vel non animaduertit, vel animaduertere noluit.

Itaque ex divina ſcriptura oſtendimus, relationem *ſpiritus*, prius revelatam in genitivo, poſterius explicatam fuiſſe in ablativo cum præpoſitione *ex* tùm reſpectu Patris, tùm reſpectu Dei communis ad Patrem,& Filium. Vnde eandẽ explicationem adhibere debemus eiuſdem relationis ad Filium. Voces enim ſunt ſigna rerum.

80. Aequa iam detur nobis licentia. Cùm Photiani affirmant, ſpiritum eſſe per Filium, vel per Deum. Oſtendant nobis ex ſcriptura, relationem *ſpiritus Patris*, vel *ſpiritus Filii*, vel *ſpiritus Dei*, exponi in accuſativo cum *Per*. Iniquum namque eſt, eos à nobis poſtulare, quod ipſi non præſtant. Oſtendant nobis, ſpiritum aliter eſſe Patris, aliter eſſe Filii: cùm ſcriptura omninò uniformiter relationem ſpiritus conſtructam cum correlativo in caſu genitivo revelet. Illi autem alietatem prætensã

Photiani non probant primò.

Non ſecundo.

neque authoritate, neque ratione probant.

Itidem, quãdo proferimus Patrum authoritates dicentiũ, ſpiritum eſſe ex Filio, vel à Filio, aut per Filium: reſpondẽt illas phraſes explicandas eſſe per particulam *cum*, quia Spiritus ſanctus à Patre procedit cum Filio. Accipiant ſacra Biblia, & hanc ſuam expoſitionẽ comprobent, ut quando Spiritus ſanctus aſſeritur eſſe ex Patre, ſenſus ſit eſſe cum Patre: cùm aſſeritur procedere ex Patre, ſit ſenſus procedere cum Patre: quando aſſeritur ſpiritus eſſe ex Filio, ſenſus ſit eſſe cum Filio. Ita, ſi dicitur ſpiritus eſſe Patris, vel Filii, vel Dei: indicent unde eruãt hoc ſignificatum eſſe cum Patre, cum Deo, cum Filio. Nonnè ſecundum hanc expoſitionẽ, quia Filius eſt cum Spiritu ſancto, dicemus quòd Filius eſt ex Spiritu ſancto, & procedit ex ſpiritu? Et rurſus, quia Pater eſt cum Filio, & cum Spiritu ſancto, dicemus Patrem eſſe, & procedere ex Filio, & ex Spiritu ſancto; quæ loquutiones ſunt abſurdiſſimæ.

Nõ tertio.

Non quartò.

81. Beſſarion vir græcus, at Latinè peritiſſimus ad calcẽ concilii Florentini aſſeverat, Græcos ex quodam poeta probare

Beſſar.

bare talem significationem ipsius *cum*, ut æquivaleat particulæ *per*, vel *ex*. At prophanum est ex poetis solis, quorũ calamus in re est mendacissimus, in dictionibus licentissimus (ut ita loquar) velle nos dogmata revelata vel stabilire, ut corde credantur, vel declarare, ut ore per confessionẽ promãtur, nisi res, & loquutio aliunde constet. Quam ob rem nec Bessarion scivit nomen illius poetę, aut non est dignatus ipsum nominare.

Nec fides, nec fidei confessio ex poetis.

Concil. Floren. sess. 7. Citabant Latini in concilio Florentino historicum, sed Græci eum non admittebant. Citabunt Theodoritani poetam, & nos admittemus? Illud ratum est, hæreticos ad placitũ proprium assentiri, atque ideò etiam ad placitum proprium loqui cum poetis, & sine poetis,

82. Fortè adducent Theodoritani ad hoc locum in epistola ad Romanos cap. 11. *Ex ipso, per ipsum, in ipso sũt omnia.* *Rom. 11* Et rursus Ioan. 1. *Omnia per Verbum facta sunt.* *Ioan. 1.* Ergo ipsi Verbo appropriatur modus loquendi cum Per: atquè ideo spiritus procedit per Filium sive ad intra, sive ad extra.

Sed legant Sanctum Cyrillum lib. 13. Thesauri cap. 1. *S. Cyr.* (cui consonant S. Basil. 3. in Eunom. circa finem. & S. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 2. & S. Greg. Nazian. lib. 5. de Theol.) & videbunt Spiritum sanctum non contineri inter facta per Verbum, sicut neque continetur inter omnia, quæ sunt significata in capite ad Romanos vndecimo, quia illa sunt essentialiter distincta à Deo, & sunt facta: spiritus non est factus, nec essentialiter est distinctus. Non est igitur par ratio de facturis, & de spiritu; ut, si creaturæ sunt per Verbum, ergo & spiritus sit per Verbum. Veruntamẽ de hac phrasi, per Filium, aut ex Filio, rursus loquemur cùm Patrum authoritates afferemus. Nam quod Latini spirium Filii, dixerint ex Filio, id factum accipiunt à Gręcis, & Latinis Patribus multis: quẽadmodum etiam recipiunt hãc phrasim, per Filium, ut loco suo erit ostendendum.

Spiritus sanctus nõ inter omnia, sed super omnia Deus.

CAP. XII.

Responsiones Photii ad hoc quartum argumentum afferuntur, & reiiciuntur.

83. HOc argumentum ex relatione, qua spiritus est Patris, & Filii, antiquum est. Photius Patriarcha Constantinopolitanus, intrusus tamen, pro hæresi Theodoriti, suppresso tamen Theodoriti nomine, (quod nomen odiosum esse sciebat certissimè) respondet ad hoc argumentū in epistola, quam direxit ad Patriarcham Aquileiensem schismaticum. Epistolam lege apud Baronium anno 883. & ad numerum xv. hæc habet.

Photij.

Responsio prima Photij.

Est enim Spiritus sanctus Filii spiritus, quandoquidem nec est ab eo alienus, neque ipsi contraria loquitur, neque contraria illi sancire visus est unquam: sed quemadmodum eiusdem est substantiæ, & potentiæ, ita eiusdē est consilii, & sententiæ. Et similiter ad unum Deum Patrem se habet, ex quo alter quidem, scilicet Filius, genitus est: alter verò Spiritus sanctus processit. Et ita dixit Paulus, Spiritum sanctum esse Filii spiritum. Ita quoque illi dicant, & nullus ipsos hæreseos accusabit. Non enim dixit Paulus, procedit à Filio spiritus.

Rursus secundò respondet. *Sin autem quoniam Spiritus sanctus Filii dicitur spiritus, opinātur etiam hac de causa illum procedere à Filio: utique Patrem quoque hoc pacto à Filio procedere affirmabunt; dicitur enim Pater ubique Filii.*

Responsio secūda Photii.

Tertiò etiam respondet. *Multos præterea productores, & causas Spiritus sancti statuent isti. Dicitur siquidem Spiritus sanctus sapientiæ spiritus, & cognitionis, & scientiæ, & fortitudinis, & aliarum huiusmodi rerum, quæ non conveniunt. Si igitur, cùm istarum rerum dicatur Spiritus sanctus: non propterea sequitur, ut ab illis itidem procedat: licet itaque illis apertè videre suæ mentis insipientiam, ad quod erroris barathrum illos præcipites agat.* Ita Photius.

Responsio tertia.

84. Prima respōsio nititur identitate substantiæ existentis in Filio, & Spiritu: atque identitate doctrinæ à Filio, & Spiritu creaturis traditæ. Item, nititur similitudine ad Patrem, nam à Patre sunt & Filius, & Spiritus sanctus, Filius nascendo, Spiritus procedēdo. Tunc arguo.

Prima responsio refellitur.

arguo. Si propter iſtas rationes Paulus dixit, Spiritum ſanctum eſſe Spiritum Filii: cùm hæ rationes ſint etiam Filio communes, certè Filius erit ſpiritus ipſius Spiritus ſancti. Nam ratio identitatis ſubſtantiæ, & doctrinæ: ratio quoq; ſimilitudinis in ratione producti à Patre, eſt ratio communis Filio, & Spiritui. Atqui hæreticum eſt dicere, quòd Filius ſit ſpiritus ipſius Spiritus ſancti, vel quod ſit ipſius Spiritus ſancti Filius. Ergo hæc ratio identitatis, vel ſimilitudinis nullius eſt momenti.

2. Deinde, ſi ſpiritus in genitivo dicitur eſſe Filii propter ſimilitudinem in productione paſſiva: eo quòd tùm Filius, tùm Spiritus ſanctus producũtur paſſivè à Patre; eadem ratione, quia ſpiritus in genitivo dicitur eſſe Patris, oportebit invenire ſimilitudinem in productione paſſiva: nempe quia tàm Spiritus, quàm Pater paſſivè producuntur ab aliquo. At hæreticum eſt aſſerere, quòd Pater ſit ſimilis alicui in productione paſſiva, cùm Pater ſit ſimpliciter improductus. Ergo ſpiritus non dicitur eſſe ſpiritus alicuius propter hanc ſimilitudinem.

3. Adhæc. Vnius, & eiuſdẽ ſecundum rem, & ſecundum vocem, ratio eſt una, & eadẽ. Spiritus ſanctus habet unam tantùm relationem propriam ſecundum rem: & ſecundum vocem uno, & eodem modo exprimitur illa relatio in genitivo reſpectu Patris, & Filii. ergo una, & eadem ratio eſt in Patre, & in Filio, propter quam dicitur ſpiritus eſſe Patris, & eſſe Filii. Atqui productio paſſiva non eſt in Patre, ergo productio paſſiva non eſt ratio, quare dicatur eſſe Patris, vel Filii.

85. Quartò. Nomen ſpiritus Patris, & ſpiritus filii eſt proprium Spiritus ſancti in Deo. Photius reſpondet de identitate eſſentiæ, & ſcientiæ revelatæ, quæ ſunt communes tribus: ergo non reſpondet ad propoſitum. Nam ratio proprii, eſt propria; ratio rei communis eſt communis, ex primo poſter.

Quintò. Nomen ſpiritus eſt relatiuum originis, vel cauſati. Reſponſio data eſt de eſſentia, potentia, conſilio, ſententia, & de relationibus communibus fundatis in iſtis abſolutis communibus. Quare non eſt bona reſpõſio. *Primo poſter.*

Sextò. Quo ad conſilium, & ſententiam, & revelationẽ,

in quibus spiritus non dissentit à Filio, est comparatio ad extra,& temporalis. Sed spiritus est Patris,& Filii comparando ad personas, quæ sunt ad intra, & est comparatio æterna.

86. Septimò. Eadem ratione David erit spiritus Salomonis, vel Salomon Davidis. Neque enim alienus est alter ab altero, neque docent dissentanea: sunt etiam eiusdem essētiæ humanæ, & potentiæ regiæ, sunt eiusdem consilii, & sententiæ. Atque ambo ad Abraham similiter se habent, ut ab eo producti. Fortè dicet Photius, Davidem immediatius esse ab Abrahamo, Salomonem esse mediante Davide: Spiritum sanctum autem, & Filium esse à Patre æquè immediate.

Verùm hæc responsio manifestè repugnat S. Gregorio Nysseno in epistola ad Ablabium, quam citavimus in prima quæstione. *S. Greg. Nyssen.* Item, hæc responsio petit principium. Nos enim tenemus Spiritum sanctum esse à Patre per Filium, & ex Filio tanquam supposito medio prius producto secūdū ordinem vel naturæ, vel originis, vel rationis: cui in illo priori, quo productum est, communicatur essentia cum primitate ad productionem spiritus, qui est posterior productus iuxta eiusdem Nysseni doctrinam loco citato.

Octavò. Filius, & Spiritus sanctus se habent similiter ad Patrem, ut ait. Sed contra est, quia si similiter, ergo etiam Filius est spiritus Patris, & Spiritus sanctus est Filius Patris, quæ sunt duæ hæreses. Si autem dissimiliter se habeant, frustra respondet per similitudinem inter Filium & Spiritum.

87. Pro refutatione secundæ ac tertiæ responsionis, notamus discrimen inter productionem activam, ac passivam. *Secunda & tertia responsio refutatur* Producens activè dicitur esse ipsius producti, non ex producto; ut Pater est Filii, non ex Filio: Deus est creator creaturæ, non ex creatura. *Locutio diversa & casus de Producente & Producto.* Productū passivè dicitur, & producentis, & ex producente; ut Filius est Patris, & ex Patre: spiritus Patris, & ex Patre: creatura Dei, & ex Deo. Lege Christi genealogiam in Lucam tertio & *Luc. 3.* omnes productos, constructos in genitivo, construes in ablativo cum ex, vel ab, quemadmodum antea notavimus adversus Theophilactum. *Quæst. præcēti n. 79.* Photius versipellis in secunda responsione loquitur de Patre, qui

Astutia Photii in secunda responsione qui est productor Filii, non ex Filio, & instantia ipsius Photii non est ad propositum, eo quod loquatur de producente activè, nos de producto passivè.

88. In tertia respõsione loquitur de donis Spiritus sancti ad extra, nam Spiritus sanctus est appropriatè *spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, spiritus timoris Domini*, Isa. 11. Spiritus autem est producens illa dona, propterea dicitur esse illorum donorum, sed non ex illis donis. Dona verò sunt Spiritus sancti, & à Spiritu sancto; causata quippe sunt, atque producta. Et rursus loquitur Photius extra propositum de producente, cùm arguendum esset de producto. Quoniam Spiritus sanctus appellatur spiritus relatione producti passivè: Nulla etenim alia excogitari potest relatio propria Spiritus sancti, nisi spiratio passiva, qua & est, & appellatur spiritus Patris, & ex Patre; spiritus Dei, & ex Deo, qui Deus est communis Patri, & Filio cum primitate vel naturæ, vel originis, vel rationis ad spirandum, non tamen primitate durationis. Ideò etiam per eandem relationem spirationis passivæ (cùm nulla alia in spiritu sit) appellatur spiritus Filii, & ex Filio.

Tertia responsio.

Isai. 11.

Sola spiratio passiva est propria relatio spiritus.

89. Per eam quoque relationẽ dicatur ex Patre, ut singulari persona; dicatur ex Deo, ut communi principio spirativo ad Patrem, & ad Filium: à quo communi principio descende ad Filium contẽtum sub communi, ut ad singularem personam, diciroquè spiritum ex Filio. Habebis hinc nouum argumentum. Quæ dicuntur de communi, dicuntur de contentis sub illo in prædicatis per se. Sed de Deo communi cum primitate dicimus, spiritus est Dei, & ex Deo: Igitur & de Filio dicemus spiritum Filii, & ex Filio. Sed vice versa si loquamur de producente activè, nõ loquemur utroque modo, scilicet in genitivo, & ablativo: spirator etenim est, & dicitur spirati, & non est ex spiritu, vel spirato. Ita facile labascũt responsiones frivolę Photii, & sophismata eius

90. Postremo loco authoritatem Apocalypsis capite ultimo considerandam propono. *Et ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei,*

Apoc. 22.

Dei,& agni. Per aquam vitæ intelligo ſpiritum vivificantē, nam Ioan. 6. *Spiritus eſt, qui vivificat*. Hic ſpiritus procedit de ſede Dei, & agni, hoc eſt, de eſſentia Patris, & Filii, ut ex iſto loco etiam veritas catholica valeat confirmari. Vita eſt prædicatum abſolutum, & ad intra, non comparatum ad extra: proinde fluuius procedens comparatur ad Patrē, & Filium ad intra. Nihil autem ad intra poteſt procedere de ſede Patris, & Filii, niſi Spiritus ſanctus. Cernis in hoc oraculo divino Vnitatem virtutis ſpiratiuæ, de qua ſpiritus procedit, cùm dicitur, *de ſede*. Cernis dualitatem hypoſtaſū ſpirantiū, à quibus procedit, cū ſcribitur, *Dei & Agni*. Cernis Vnitatē ſpirtus procedētis, cū legis, *Fluuium aquæ vitæ procedentem*. Itaque à Patre, & Filio, ut ab uno fonte una emanatione procedit unus Spiritus ſanctus. Denique S. Ambroſius in libro tertio de Spiritu ſancto cap. 21. hunc fluuiū intelligit eſſe Spiritum ſanctū.

Io. 6.

S. Ambros.

CAP. XIII.

In quo affertur primum argumentum ex ſcriptura propoſitum à Theodorito, & Photio.

91 PRotuli loca ex divinis litteris, quæ ſūt à me annotata pro catholica veritate. Nunc ad argumenta ex ſcripturis per aduerſarios deprompta, conuerto animum. S. Cyrillus Alexandrinus in epiſtola concordiæ ad Ioannem Patriarcham Antiochenum, in primo tomo concil. cart. 1131. col. 1. ſapienter ſcribit. *Quod autem nonnulli ex eis, qui recta pervertere ſolent, meas voces perversè ad ſuam libidinem detorquent, iſtuc ſanctitas tua non miretur; cùm facilè intelligat, cuiuſuis hæreſeos ſectatores ex divina ſcriptura ſui erroris cauſas colligere: eaquè, quæ à Spiritu ſancto rectè expoſita ſunt, pravis opinionibus pervertere*. Hæc Cyrillus, qui probè noverat fraudes Neſtorianorum, atque Theodoriti Neſtorianorum ſigniferi. Theodoritus autem duas protulit ſcripturas, ut ſuam contra Spiritū ſanctum blaſphemiam coloraret.

S. Cyr.

Mos hæreticorum.

92. Prima eſt ita propoſita. *Si Spiritum ſanctum tanquam ex Filio, aut per Filium eſſentiā habere dicas, blaſphemum hoc eſt, & tanquam impium aſpernabimur.*

Prima Theodoriti.

bimur. Credimus enim Domino dicenti: Spiritus, qui ex Patre procedit. Hæc Theodoritus, quibus concinit Photius in citata epistola.

Respondetur. Theodoritus hæreticus, hæreticorum more, Domini authoritatem mutilat, & peruertit.

Mutilat: etenim Dominus Ioan. 15. dixit: *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*. Mutilat primam partem, *spiritum veritatis*. Ex hac particula S. Cyrillus cum concilio Alexandrino, & Ephesino ad Nestorium habet. *Spiritus appellatus est veritatis: & veritas Christus est; Vnde & ab isto similiter, sicut ex Patre procedit*. Epistola est in primo tomo côcil. in Ephesino tom. 1. cap. 14 & fuit approbata ab ipso concilio Ephesino, à quarta, quinta, sexta, & septima synodis, ut supra diximus.

Io. 15.

Concil. Alex. et Eph.

93. Mutilat insuper illa verba, *Quem ego mittam vobis*; ex quibus apparet Filius esse author Spiritus sancti quo ad substantiam, virtutem, & operationem. Neque enim (ut ait S. Bonaventura 1. dist. 11. quæst. 1.) Filius ideò habet authoritatem, quia mittit: sed ideò mittit, quia habet authoritatem. Mittit quidem temporaliter Filius, sed ab æterno habet authoritatem, & est author ipsius Spiritus. Constat ex his duabus particulis suppressis quo ad primam, quòd Filius est correlatiuum Spiritus sancti ad intra: spiritus enim appellatur *spiritus veritatis* id est, Filii. Quo ad secundam, quòd Filius est author Spiritus sancti, quoniam habet authoritatem mittendi spiritum ad extra; eamque authoritatem Filius habet à Patre communicatam. Mutilavit ergo & respectum ad intra, & authoritatem ad extra.

S. Bon.

Filius est author ipsius Spiritus.

94. Tertiò. Mutilat illud: *Ille testimonium perhibebit de me*. In quo dicto exploratum est, Spiritum sanctum procedere à Patre ad officium testificandi; quare hic non esse sermonem de ipso procedere in esse essentiæ, vel subsistêtiæ ad intra, sed in esse testificâtis ad extra. Ex quo fit, ut supra diximus, spiritum egredi ad extra, eiusquè egressum dicimus declarari in respectu ad Filiû per vocabulum mittêdi, in respectu ad Patrem per vocabulum procedendi. Nulli tamen est dubium, quòd spiritus ad

Testificare est opus Spiritus sâcti ad extra.

extra

Spiritus mittitur à Patre, et Filio & si dicatur mitti ab uno.

extra mittitur à Patre, & Filio, etiamsi solus Filius nominetur in vocabulo missionis. Nulli quoque dubium est, quòd spiritus procedat ad extra à Patre, & à Filio, etiam si alter ex eis nominetur tãtùm. Si ergo in vocabulo missionis, solus Filius nominatur in authoritate relata, neque ob id à missione excluditur Pater. Nec à vocabulo processionis excludetur Filius, tametsi solus Pater nominatus fuerit.

Spiritus procedit à duobus ad extra, etiā si taceatur unus.

95. Pervertit sensum Theodoritus. Christus quippe loquitur primò, & ex vi verborũ de processione Spiritus sancti ad extra, eamque processionẽ esse à Patre dicit. Quæ tamen processio, omnibus consentientibus, est à Patre, & Filio. Theodoritus accipit primò processionem ad intra, & pervertit sensum. Verum est tamen, quòd Cyrillus, & Catholici per necessariam consequẽtiam ex hac authoritate inferunt processionem ad intra sic. A quocunque aliqua persona divina procedit ad extra, ab eodem procedit ad intra: quia procedens, seu missus recipit aliquid à mittente, & illud receptum, propter diuinam simplicitatem, est ipsum esse, & subsistere. Sed Spiritus sanctus procedit ad extra, nempe ad testimonium perhibendũ à Patre: ergo Spiritus sanctus ad intra procedit à Patre.

Cyrillus & catholici probant processionē Spiritus ad intra

96. Vt autem clariùs illucescat fallacia consequentis in argumento Theodoriti, noto duas esse clausulas, unam de missione, quam Filius sibi attribuit, dicens: *Ego mittam*, non dicens, Pater mittet: alteram de processione, quam Filius Patri attribuit, dicens, *A Patre procedit*, non dicens, A Filio procedit. Quare Theodoritus in prima parte intelligit etiam *Pater mittit*; in secunda non intelligit *à Filio procedit?* Cur in secunda parte arguit cum fallacia consequentis ab authoritate negatiuè sic, Christus non dixit, A Filio procedit, ergo spiritus à Filio non procedit? Et in prima parte non similiter argumentatur cũ fallacia consequentis inferendo, quòd Pater non mittit, quia Christus non dixit, Pater mittet? Nimirum argumentatur ad placitum, quia hæresis sentit ad placitum humanum: sed fides credit ad placitum divinum.

Ostensis defectibus mutilationis, & perversionis in argumento Theodoriti, respondeamus ad illud argumentum imitando

tando sanctos Patres.

Responsio prima cũ S. Cyrillo. 98. Primò cum S. Cyrillo in defensione noni capituli ad reprehensiones Theodoriti. Respondet Cyrillus in hanc sententiam. Et si Spiritus sanctus in hoc scripturæ loco dicitur procedere à Patre, ex aliis scripturæ locis constat ipsum etiam procedere à Filio. Quemadmodum missio in loco citato ex Ioanne 15. tribuitur expressè soli Filio, sed aliis in locis etiam Patri est attributa respectu Spiritus sancti. Affert Cyrillus duas authoritates; prior ex epistola ad Romanos 8. educitur, quia Spiritus dicitur esse Filii, ut dicitur esse Patris. Atqui productum est producentis, & spiratum ipsius spirantis, ut correlativi: sicut ipsum spiratum est spiratum à producente, & spirante; ergo spiritus habet à Filio producente, & spirante ipsam essentiam, sicut habet à Patre. Quare Spiritus etiam à Filio procedit ad intra. *Io. 15.* *Rom. 8.*

Posterior est ex Ioanne 15. Si enim Spiritus sanctus procedit ex Patre, non est alienus à Filio, dicente, *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet*. Si autem Pater habet in se spirationem activam, per quam communicat essentiam Spiritui sancto: ergo & Filius habet spirationem activam in se, & communicat essentiam Spiritui: atque Spiritus accipit essentiam communem & à Patre, & à Filio. Quam ob rem sicut Spiritus accipit non Patrem, sed de eo, quod est res Patris: ita accipit non Filiũ, sed de eo, quod est res Filii: qui dicebat, Ioann. 17. *Omnia mea, tua sunt; & tua mea*. *Io. 17.*

Secũda responsio cũ August. 99. Secundò respondetur ex Divo Augustino lib. 3. cõtra Maximinum cap. 14. nominari solum Patrem, non ad exclusionem Filii, sed ad ostendendam authoritatem, sive principalitatem in spirando. Nam Pater spirat à se, atque ideò principaliter: Filius spirat à Patre, & propterea non principaliter. Talis est scripturæ stilus. Vt Matth. 16. *Caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus?* solius Patris meminit, sed tamen & Filius, & Spiritus sanctus revelarũt: meminit soliùs Patris propter principalitatem. Similiter Ephes. 3. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur*. Sane omnis paternitas creata est à tribus: sed Pater est author, *Filius non spirat principaliter, sed Pater.* *Matt. 16.* *Eph. 3.*

& à se confert paternitatem creaturis. Ita quoque Filius omnia sua refert ad Patrem. Ioan. 7. *Mea doctrina non est mea*. Mea est utique formaliter, sed non à me, imo à Patre originaliter, & propterea dico, doctrinam esse eius, qui misit me, Pater. Ad eundem modum, spiritus procedit & ex Patre, & ex Filio: tribuitur tamen à Filio Patri, quia Pater producit spiritum, sed à se, Filius non à se.

Io. 7.

Doctrina Filij quomodo non sit Filij

100. Tertiam responsionē S. Anselmi Bellarminus meritò laudat. Nam etiamsi dictū esset: Nemo, nisi solus Pater, producit Spiritum sanctum, adhuc non excluderetur Filius, propter similes phrases scripturarū. Matth. 11. *Nemo novit Filiū, nisi Pater: neque Patrē quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Nemo novit Filiū, nisi Pater? quid ergo, Filius non cognoscit se? Spiritus sanctus non cognoscit Filium? Quid item? Nemo nisi Filius novit Patrem? an Pater ignorat se ipsum? an Spiritus sanctus ignorat Patrem? Quinimo nec solus Filius vult revelare, aut revelat: sed ex necessitate ad revelationem concurrunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

3. resp. ex Ansel. S. Cyr. 4. thes. cap. ult. cum Pater dicitur solus sapiens, inuisibilis immortalis: exponit, quia à nullo sapits, etc. Matt. 11.

Per istas ergo exclusivas, vel exceptivas loquutiones, non excluduntur illa, quæ habent idem principium ipsius actus cognoscendi, & revelandi; sed excluduntur, quæ non habent idem principium. At in Patre, & Filio, & Spiritu sancto est idem principium cognoscendi ad intra divinas personas, & idem principium revelandi eas ad extra.

Insuper, in 1. Cor. 2. *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*. Profectò & Pater, & Filius cognoscunt, quæ Dei sunt: cognoscunt autem non per revelationem Spiritus sancti, nec enim accipiunt aliquid à Spiritu sancto, sed spiritus accipit ab eis sapientiam, potentiam, essentiam. Est igitur exclusio illorum, quæ non habent idem principium cognoscendi.

1 Cor. 2.

Amplius, Marc. 13. 32. *De die autē illo, vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater*. Et Matth. 24. 36. *De die autem illa, & hora, nemo scit, neque angeli cælorū, nisi solus Pater*; Cùm tamen indubitatum sit, illum diem, & horam cognosci à Filio, & à Spiritu sācto, propterea quòd habent idem principium cognoscendi, quod habet Pater.

Marc. 13.

Matt. 24.

Filius, et Spiritus sciūt diem iudicii.

Exclu-

Excluduntur creaturæ, quæ non habent idem principium essentialiter. Itaque etiam si diceret Euangelium, spiritus ex solo Patre procedit, adhuc non excluderetur Filius, quia eadem omnia, quæ sunt in Patre, sunt in Filio, excepta paternitate. Sed principium spiratiuum non est paternitas, imo est essentia communis, aut essentiale aliquod: paternitatis enim terminus adæquatus est Filius, unde paternitas non potest extẽdi ad Sp. sãctũ.

101. Ratio esse potest ex Diuo Augustino 1. de Trinitate. & Cyril. 4. thesauri cap. ult. quia in prædicatis communibus, cũm nominatur una persona, intelliguntur & aliæ, quibus prædicata illa communia conveniunt: & excluditur illud, cui prædicata non sunt communia. Sic in prædicatis ad extra, excluditur alia essentia, non alia persona eiusdem essentiæ divinæ. Vt solus Pater scit diem iudicii: sic intelligitur, Nihil essentialiter distinctum a Patre scit diem iudicii; Nam Filius, & Spiritus sanctus eadem scientia essentiali sciũt ea, quæ scit Pater. Sic, quoniam essentia cum primitate, vel voluntas cum primitate ad spirandum est prædicatum commune Patri, & Filio ut bonum commune habitum ab utroque perfectè, & in solidum; Spiritus sanctus accipiet de meo, dicet Pater: Spiritus sanctus accipiet de meo, dicet Filius. Itidem, Io. 16. *Spiritus non loquetur à semetipsõ*, sed à me, dicit Filius, & tacet de Patre: sed tamen etiam Pater iure dicet, Spiritus sanctus non loquetur à semetipso, sed à me: quoniã omnia, quæ habet Filius, mea sunt: sicut omnia, quæ habet Pater, Filii sunt. In quo signo simul natura intelliguntur Pater, & Filius, in eodem signo essentia, & essentialia omnia sunt perfectissimè in Patre, & in Filio. Quia verò spiritus nec est prius natura Patre, & Filio, nec simul natura, cùm non sit correlatiuũ Patris, & Filii ut sic; restat, ut sit posterior natura ipse spiritus. Quare essentia, & essentialia omnia cum primitate ad spirandum sunt prædicatum commune Patri, & Filio. Si ergo dicatur solus Filius spirat, vel solus Pater spirat, excluduntur illa, quæ non habent idem principium cum primitate, non excluduntur Pater, & Filius. Itaque cùm dicitur, *Spiritus ex Patre procedit*,

S. Aug. S. Cyr.

Io. 16.

Spiritus non est prior Filio ex Cyril. 6. ad Hermiam cap. 128 fac. 1.

cedit, taceetur Filius (falsum est taceri, quia dicitur *Spiritus veritatis*, id est, Filii) sed tamē Filius non excluditur propter identitatem principii spiratiui cum primitate existentis in Patre, & Filio. Hæc omnia ex Patribus respondentibus grauissimè sunt dicta.

102. Sed ad hunc locum Evangelii, & Patrum crebrò hunc locum repetentium, dicito. Affirmativam scripturæ esse omnino recipiendam, istam scilicet, spiritus ex Patre procedit. Negativam, spiritus non procedit ex Filio, non esse ex scriptura, sed esse additam à Theodorito, & ab eius præceptore Theodoro Mopsuesteno: atque adeò tanquam ab hæreticis proditam, & ut hæreticalem, esse reiiciendam.

Affirmativa est scriptura: negativa hæreticorum.

CAP. XIV.

Secundum Theodoriti argumentum ex scriptura, proponitur, atque dissoluitur.

Secūdū Theodoriti.

103. SEcundò Theodoritus in reprehensione noni capituli à Sancto Cyrillo editi, & à sacra Ephesina synodo comprobati, sic obiicit. *Credimus &c. Sacratissimo Paulo dicenti, Nos autem autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est*. Ergo spiritus non accipit essentiam ex Filio, vel per Filium.

Responsio aptissima est. Quia vocabulum Deus ibi accipitur ab Apostolo vel pro Filio solo, ex quo est Spiritus sanctus: vel pro *hoc Deo* communi ad Patrem, & Filium, ex quo Deo est Spiritus sanctus; ut supra à num. 71. ad 74. Si Deus stet pro Filio, uti S. Epiphan. in Ancor. col. 986. & cōtra Pneumatomachos col. 746 (cū Paulus ait. Nobis revelavit Deus) exponit, Nobis revelavit Christus per spiritum suum; concluditur spiritus ex Filio contra Theodoritum.

Si stet pro Deo Patre, & Filio cum fœcunditate, & primitate unius Deitatis ad spirandum: concluditur, quòd spiritus est ex Patre, & Filio, ut catholici dicunt. Si autem Theodoritus vult vocabulū, *Deus*, pro solo Patre accipi, petit principium.

104. Interea fraus hæretica est accuratius aperienda: mutilat enim, atque pervertit scripturam, quæ integra est nunc proponenda. *Deus nobis revelavit per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur,* 1. cor. 2.

etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Planè loquitur Apostolus de processione Spiritus sancti ad extra: quod probatur ex effectu, & ex fine. Effectus est ipse actus revelationis, *Deus revelavit per spiritum suum*, & revelatio est actus ad extra. Ex fine, quia spiritus ex Deo est, *ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis*. Ipsa scientia nostra est effectus ad extra: donata sunt nobis ipsa persona Spiritus sãcti subsistens, & dona inhęrentia Spiritus sancti. Immediatè igitur loquitur Apostolus de spiritu per nos accepto, qui ex Deo est, & nobis datus, ut sciamus. Ergo sermo est de processione ad extra; quæ quidem est a Patre, & Filio, etiam Græcis assentientibus. De processione ad intra non est sermo, nisi mediatè, quatenus catholici concedunt istã propositionem: Ab illo persona divina procedit ad extra, à quo procedit ad intra: quia enim aliquid habet authoritatem super persona ad intra, ideò mittit eam ad extra. Quã propositionem si Theodoritani non recipiant, nullo modo possunt hanc authoritatem applicare ad productionem spiritus ad intra, sed scripturam peruertunt, ut loquatur ad intra, quãdo loquitur ad extra.

Donatur, & persona & effectus Spiritus sãctus.

105. Secundò mutilat illud, *Quæ Dei sunt, nemo novit, nisi spiritus Dei*. Dei vocabulum ut cogniti, est commune Patri, & Filio: & Spiritus sanctus cognoscit, quæ sunt profunda tùm Patris, tùm Filii. Si ergo in hac parte authoritatis Deus ut cognitus, atque distinctus à spiritu, stat pro Patre, & Filio: consequens est, ut in clausula immediatè sequenti, *spiritum, qui ex Deo est*, vox *Deus*, stet pro utroque, scilicet Patre, & Filio. Quod fortassè animaduertens Theodoritus, particulam illam suppressit. Sed nos iam superius capite undecimo ad num. 73. ostendimus, cùm sex sint clausulæ in hac authoritate, in quibus continetur nomen Dei, & quinque verę omnino sint de Deo Patre, & Filio: omninò voluntarium esse accipere unã de Patre solo, quod vellet Theodoritus: qui propter hoc illam solam clausulam accepit.

Scriptura mutilata à Theodorito.

pit, reliquas omisit sibi contrarias, si ponderentur.

106. Tertiò. Alia fraus potest afferri, propter quàm clausula dicta sit suppressa, illa scilicet, *Nemo novit, quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei*. Quoniã phrasis scripturarum est, ut particula negativa cum exceptione posita, non neget prædicatum à subiectis, quibus est commune, sed à subiectis, quibus non est commune. Spiritus cognoscit, quæ Dei sunt, & nemo nisi spiritus. Quid dicemus, Pater nè, aut Filius ignorant, quæ Dei sunt? minime, quia scientia eadem est commune prædicatum tribus subiectis, Patri, Filio, Spiritui. Ita, si diceretur; Spiritus ex nemine est, nisi ex Deo Patre, Filius non excluderetur, quia essentia cum primitate ad spirandum, est prædicatum commune duobus subiectis, videlicet Patri, ac Filio.

Fraus alia Theodoriti.

Quartò. Phrasis, *Spiritum mundi*, est opposita phrasi, *spiritum ex Deo*. Idem nanque significatur per ambas istas phrases in authoritate Pauli, ut seruetur antithesis: spiritum mundi, id est, qui ex mundo oritur, & est: spiritum ex Deo, id est, qui Dei est. Sed spiritus non dicitur esse solius Dei Patris, sed etiam Dei Filii, ad Galathas 4. *Misit Deus spiritum Filij sui*: Ergo spiritus ex Filio est, siue ex Deo Filio.

Spiritus mũdi, qui ex mũdo.
Spiritus ex Deo, qui Dei.

107. Quintò. Theodoritus duo suscepit probanda. Primum, spiritus non est ex Filio: secundum, spiritus non est per Filium. Aut hæ duæ phrases, ex Filio, & per Filium idem significant, & malè Theodoritani sequuntur suũ magistrum: concedunt nanq; illam *Per Filium*, negant alteram, scilicet *Ex Filio*. Aut significant duo diuersa, Theodoritusq; nihil attulit ad refellendam secundam, quare defecit in probando.

Theodoritus deficit in probando.

Sextò, & ultimò. Istud argumentum est ab authoritate negativè, quare est cum fallacia consequentis. Dicat scriptura, *spiritus est ex Deo*, id est, ex Patre. Dato, non concesso hoc, clarissimum est, quòd hanc affirmativam *spiritus est ex Patre* dicunt catholici omnes. Sed nos quærimus à Theodorito probationem illius negativæ, *Spiritus non est ex Filio*: Quam negativam scriptura non dicit, sed hæretici dicunt, hoc est, Nestoriani, & Iconoclastæ. At hæreticorum dicta, sunt diabolica, non

Hæreticorũ dicta diabolica, non divina.

non divina.

in 1. d. 11. q. 1. Optimè igitur S. Bonaventura dixit, Græcos (illos scilicet, qui sunt sequaces Theodoriti) non arguere per authoritates positivè, quæ dicant spiritum non esse à Filio: sed arguere ab authoritate destructivè tantùm, quæ est manifesta fallacia consequentis.

Arg. Theodoritanorum. 108. Sequaces Theodoriti similiter ex authoritate negativè arguunt ex scriptura sic. In supernaturalibus non debemus asserere, quod non est supernaturaliter revelatũ; *Diony. Dama.* prout docuere SS. Dionysius Areopagita de divinis nominibus cap. 1. ac Damascenus 1. de fide cap. 1. De Spiritu sancto autem revelatum est, quòd spiritus procedit ex Patre: non est revelatum, quòd spiritus procedat ex Filio. Ergo ex Patre est dicendus, ex Filio non est dicendus procedere Spiritus sanctus.

Retorquetur argumentum. Contra quos ita possumus argumentari. Nulla propositio negativa, vel affirmativa ponenda est in supernaturalibus, nisi fuerit revelata supernaturaliter. Sed hæc negativa, spiritus non est ex Filio, vel per Filium, nusquam reperitur revelata in scriptura; ergo non est ponenda tanquam revelata. Quam tamen Theodoritani, & Photiani ponunt tanquam revelatam, & de fide. Cur, quęso, eis licet dicere, quòd negativa sit revelata, & nobis nõ licet dicere, quòd affirmativa sit revelata? At illi dicunt sine ulla authoritate, nos autem plures ex divina scriptura produximus authoritates positivas.

109. Tunc respondetur ad argumentum. Quædam in scriptura sunt explicitè, & formaliter: quædam implicitè, & virtualiter: quædam verò sunt, quæ neutro modo cõtinentur in scriptura. Quæ neutro modo sunt in scriptura, non sunt de fide tenenda, nisi fortasse sint traditiones non scriptę, de quibus Basilius in libro de Spiritu sancto cap. 27. Quæ formaliter, & explicitè sunt in scriptura, sẽper sunt de fide tenenda. Quæ virtualiter, & implicitè continentur, cùm fuerint recepta, atque determinata ab Ecclesia, tunc sunt de fide tenenda. *Bifariã aliquid in scriptura.*

Assentitur S. Gregorius Nazianzenus in lib. 5. de Theologia car. 172. col. 2. Cùm enim docuisset quædam non esse in scriptura, dici tamen: quia colliguntur necessariò ex ea; in pauca se con-

trahens,

trahens ait. *Ita, si quid aliud, quod quamvis in scriptura manifestè expreßum non sit, tamen inde re intelligatur, invenirē: utique nomine illud donatum enuntiarem.* Igitur quæ colliguntur necessariò ex scriptura, perinde habenda sunt ac si scripta essent: saltem postquā collectio necessaria est ab Ecclesia recognita, & definita. Vnde & paulò post Nazianzenus docet, profectum fieri in Theologia, quoniam in veteri testamento expresse est prædicatus Pater, parum subindicatus est Filius: in novo testamento, apertè est prædicatus Filius, sed in ultima cæna vix indicatus est Spiritus sanctus. Nunc autem Spiritu sancto nobiscum existente, multò plura de Spiritu sancto discimus.

Sancti Dionysius, & Damascenus intelliguntur tertio modo. Sed spiritum esse à Filio, vel ex Filio, vel per Filiū, secundo modo credēdum est: receptum quippe fuit in concilio generali Ephesino, & in quatuor sequentibus, ac denique in concilio Florentino. Quin etiam in quinta synodo anathemati tradita sunt scripta Theodoriti contra duodecim capitula Cyrilli. Sed unum ex Theodoriti scriptis contra nonum capitulum est: quòd spiritus non est ex Filio, neque per Filium; ergo hoc assertum Theodoriti est damnatum.

Spiritū à Filio esse credendū est.

Theodoriti scripta damnata.

110. Veruntamen aduersarii concedunt spiritum per Filium esse. At hoc in scriptura non est. Respondeant ergo pro se, & respondebunt sibi pro nobis. Imò in scriptura Spiritus sanctus videtur missus ad creaturas in Filio, vel in Filii nomine, ut Ioan. 14 *Quem mittet Pater in nomine meo.* & Ioan. 17. *Sanctifica eos in veritate. Verbum tuum veritas est.* In quem locum legatur Cyrillus lib. 11. in Ioānem cap. 24 exponens *in veritate* id est in Filii nomine. Sed per Filium esse spiritum, non est in scriptura.

Postremò, ex duabus contradictoriis, *Procedit ex Filio: Non procedit ex Filio*; neutra est expresse, & formaliter in scriptura. Quare Theodoritani secundam exprimūt? Si verò eis absq; scripturæ, & Patrum authoritate placet secundam asserere: nobis ex authoritate scripturæ, & Patrū, & ex ratione super istis fundata, placere debet asserere primam, scilicet spiritum ex Filio

lio procedere. Et hæc dicta sint quo ad ea, quæ possunt à me ex divina scriptura elici. Reliquum est, experiri, quid ex Patribus haurire valeamus.



QVAESTIO QVARTA.

An ex Patribus Ecclesiæ ostendi valeat, Spiritus sanctus esse ex Filio, & per Filium.

CAP. I.

Apparatus ad disputationem.

1. IOannes Scotus Doctor subtilis in primo dist. 11. quæst. 1. adstruit, Patres antiquos Græcos, & Latinos in præsenti disputatione, non dissidere in sensu, sed in modo loquendi, esseque controversiam inter ipsos vocalem, non realem. Nisi enim ita dicatur, vel Græci Patres, vel Patres Latini essent verè hæretici. *Sed quis audet hunc authorem, Ioannem scilicet Damascenum, & beatos scilicet Basilium, Gregorium Theologum, Gregorium NazianZenum, Cyrillum, & similes Patres Græcos arguere hæreseos? quis iterum argue*-llig-*reseos beatum Hieronym*- d spiritu -*stinum, & Ambrosi*- Filio, vel p- *& consimiles L*- modo credẽ- *ile igitur est, q*- n quippe fuit i- *-ctie* -tali Ephesino, & in *verbis con*- -quentibus, ac deni- *sanctorum* -oncilio Florentino. *tiplicit*- Quin etiam in quinta sy- *-o illo:* anathemati tradita s- *-te fortè intelle*- pta Theodor- *-ba, pateret contra*- cim capit- *riorum verborum non discors sententia.* Hoc argumento ex unanimi consensu Patrum Orientalium, & Occidentaliũ feliciter usus est Bessarion in concilio Florentino ad conciliandam pacem inter Græcã, & Latinam Ecclesiam, ut ex eiusdem Bessarionis oratione constat, & habetur in tomo quarto conciliorum post acta concilii Florentini.

Scotus.

Theodoriti scripta damnata.

Patres Orientales, & Occidẽtales eodem & uno spiritu unanimes sũt sẽsu, etsi voce diuersi. Bessar.

2. Veruntamen respondente Marco Ephesio ad hoc argumentum (sess. ult. Florentini car. 871. col. 2. in quarto tomo conciliorum) & ore impudentissimo proferente, hæreticos esse, qui dicunt Spiritũ sanctum ex Filioq; procedere.

Ephesius impudẽs.

Concil.

Bessarion intulit: *Deus misereatur. Ergo Sancti, qui hanc sententiam tradidere, hæretici* Si-*ere? Muta fiant labia dolosa,* P-*quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem. Nonnè clarè videtis, Occidentales, & Orientales Doctores Sanctos in hoc neutiquam discrepare? quandoquidem*

Bessarionis pietas, & Zelus.

dem idem sanctus Spiritus omnibus Sanctis aequaliter fuerat loquutus?

Scotus. Quapropter, inquit Scotus, *Si duo sapientes, unus Graecus, alter Latinus, uterque amator veritatis, & non amator propriae dictionis* (scilicet propriorum vocabulorum) *disquirerent de hac apparenti controversia, pateret utique, controversiam non esse realem sed vocalem.*

Scotus emachulatus. Digrediar paulisper. Scotus citat Gregorium Theologum, & Gregorium Nazianzenum tanquam duos Doctores. Verùm idem Gregorius Nazianzenus, cognomento Theologus est dictus, putoque esse mendum, ut Nyssenus pro Nazianzeno sit legendum.

Secundò citat Cyrillum, quasi aduersarium Latinis: cùm ipse sit unus ex primis, & praecipuis asserentibus, spiritũ esse ex Filio, & à Filio. Basilius quoque loquitur pro Cyrillo, & si ante Cyrillum. Imo nullus ex Patribus Graecis, qui ante controuersiam exortam inter Iconoclastas, & Latinos, fuerunt, protulit hanc negativam, Spiritus sanctus non est, vel non procedit à Filio: plures autem protulerunt affirmativam.

3. Regredior ad controversiam in vocibus. Eam notat Lynconiensis super epistolam Damasceni de Trisagio. Qua in re secerno sequentes propositiones.

Prima est. Spiritus sanctus est, & dicitur spiritus Patris, & spiritus Filii. Hęc propositio nullam habet discrepantiam inter Latinos, & Graecos.

Secunda. Spiritus sanctus procedit à Patre per Filium. Haec propositio à Graecis conceditur, & à Latinis recipitur contra Theodorum Mopsuestenum, & contra Theodoritum illius discipulum.

Tertia. Spiritus sanctus procedit à Patre productione ęterna, & ad intra. Haec est communis Graecorum, & Latinorum assertio aduersus Eunomium, & Semiarianos.

Quarta. Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio processione temporali, & ad extra. Haec propositio itidem est communis utriusquè Ecclesiae Graecae, & Latinae.

Quinta. Spiritus sanctus procedit à Filio, vel ex Filio productione aeterna, & ad intra.

Haec propositio est Sancti Cyrilli, & catholicorum. Contradictoria, Spiritus non pro-

cedit ex Filio, Nestorianorũ est, ut Theodoriti; Iconoclastarum est, ut Constantini Copronymi; Photii schismatici est, & sequacium.

Bargius Paul. scriptor Atque ut notavit Bargius post Paulum scriptorem in primum sententiarum dist. 11. quæst. prima: inter Latinos, & Græcos modernos est controversia realis, non vocalis tantùm. Intelligo autẽ Græcos modernos post concilium Florentinum, eos, qui conciliũ illud generale non recepere, sed assertionem Theodoriti damnatam in quinta synodo generali tenere maluerunt.

Duplex igitur nobis est labor subeundus, primus est probare Patrum authoritatibus, Spiritum sanctum ex Patre per Filium procedere: secundus est probare, Spiritum sanctum ex Filio, vel à Filio procedere. Quot, & quæ probanda.

CAP. II.

Spiritum procedere per Filium, ostenditur.

4. Prior pars non habet multam difficultatem, & brevibus absolvi poterit. Duobus ergo Patribus Græcis, duobusq; Latinis ostendamus illam propositionem, *Spiritus sanctus procedit à Patre per Filium*, esse recipiendam.

S. Ath. Primò. Sanctus Athanasius in libro, cui titulus est; Redargutio hypocrisis Meletii, circa finem. *Atqui*, inquit, *impossibile est in Trinitatis gloria, Spiritum sanctum numerari, si non emanasset ex Deo per Filiũ, sed per modum creaturæ à Deo factus, ut putant.* Hæc emanatio non est ad extra, quoniam per emanationem ad extra nõ fit, ut spiritus in Trinitate numeretur: sed per emanationẽ ad intra. Item, quoniam modus emanationis ex Deo per Filium, opponitur modo creationis a Deo. Modus creationis est temporarius, & ad extra, ergo modus emanationis oppositus, est æternus, & ad intra.

Secundò. S. Basilius lib. 5. contra Eunomium cap. 14. cart. 357. *Quomodo igitur separari possint, quæ sunt inseparabilia? Verbum Dei, & spiritus ex Deo per Filium.* Qui plures volet, adeat Bessarionem in oratione pro concordia in concilio Florentino: adeat Gennadium Scholarium de processione Spiritus sancti. S. Bas.

Primò.

Tertul. Primò. Ex Latinis, alter sit Tertullianus libro contra Praxeam. *Spiritum sanctum à Patre per Filium deduco.*

Adrianus Papa. 2. Alter verò Adrianus Papa in tertio tomo concilior. cart. 606. quo loci Adrianus defendit Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum, qui in septima synodo, quæ est secunda Nicæna, Actione tertia cart. 487. dixerat, *Et in Spiritũ sãctũ Dominũ vivificantem, qui ex Patre per Filiũ processit.* Adrianus Papa approbat hãc phrasim, *Per Filiũ*, & pluribus Patrum sentẽtijs eã cõfirmat. *Tharasius.*

5. Nunc quærere oportet, quidnam præpositio *Per*, apud Patres Græcos significet. An significet causam, an viam, an ministrum, an aliquid aliud.

S. Basil. Sic S. Ambr. lib 2 de Spiritu sancto cap. 10. Sanctus Basilius in magna parte libri de Spiritu sancto, quærit è scripturis usum istarum prepositionum, *ex quo*, *per quem*, *in quo*; Et in capite quinto potissimum ostendit, phrasim *Per quem*, significare idem cum phrasi, *ex quo*, id est, significare principium causale, siue originale. *Veluti, possedi hominem per Deum, inquit Adam: idem dicens, quasi dixisset, ex Deo. Et alibi. Quæ præcepit Moyses Israeli per mandatum Domini. Et rursus. Nõne per Deum horum manifestatio est? Ita Ioseph loquens de insomniis, quæ viderat in carcere. Palam est & hunc pro eo, quod erat ex Deo, dixisse, per Deum. Et contra, hęc particula, Ex quo, usurpatur pro, Per quem; velut cùm ait Paulus: Factus ex muliere, pro eo quod erat per mulierem.*

S. Io. Chrysost. homil. 60. in Matt. in id. *Væ homini illi, per quẽ scandalũ.* Noli, inquit, *admirari si, Per quẽ, scriptũ est. Cõsuevit quippe scriptura, Per quẽ, nõnũquã pro, A quo, dicere: sicut quãdo dicitur. Possedi hominẽ per Deũ, nõ enim secũdam quãdã causã, sed primã, omnino posuit. Et rursus, Nõne per Deũ manifestatio eorum est. Et, Fidelis est Deus, per quẽ vocati estis.* *Chrys. to. 2. car. 110 Matt. 18. Gen. 4.*

Sed & S. Hieroymus in primum caput epistolæ ad Ephesios, in illa verba: *Paulus Apostolus Iesu Christi per volũtatẽ Dei:* in tertia expositione observat, Paulũ promiscuè uti particulis hisce, *Per*, & *Ex*. *S. Hieronym.*

6. Sic in aliis scripturis constat, particulam *Per*, significare causam. Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Coloss. 1. *Omnia per ipsum creata sunt.* Heb. 1. *Per quem fecit & secula.* In quibus loqutionibus, particula, *Per*, significat principium *Ioan. 1 Colos. 1 Hebr. 1*

cipium

cipium productiuum, siue, ut Græci loquuntur, principium causale. Neque solùm significat secundam causam, seu secundum principium: verùm etiam significat primam causam, quæ absolutè dicitur causa, Gal. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem; sed per Iesum Christũ, & Deum Patrem*. Deus Pater, & Deus Filius sunt eadem prima causa in esse essentiali: sed in esse hypostatico prima causa est Pater, secunda est Filius more Græcorum loquendo. Cùm ergo ex diuina scriptura, & Beato Basilio, qui de industria scrutatus est significata præpositionum *Per*, & *Ex*, constet has voculas idem frequentissimè significare: Patres Græci dicentes, spiritum procedere, vel esse *per Filium*, idem significant, quod Latini dicentes, spiritum esse *per Filium, vel ex Filio*: Latini enim intendunt significare idem originale principium per utrãq.

Gal. 1. Cyrill. 1. in Io. c. 5. ad Patrē refert vocem Per ex 1. cor. 1. Ephes. 1 & Gal. 4.

7. Respondent Theodoretani, sed afferendo sensus valde extraneos, & contortos. Obruuntur quippe Patrum authoritatibus, dicentibus spiritum esse per Filium: sed emergunt emendicatis responsionibus, iisq; tribus.

Responsa Theodoritanorum.

Prima. *Per*, idem significat, quod præpositio *Cum*, ex quodam poeta. Sensus est igitur, Spiritus procedit per Filium à Patre, id est, procedit cum Filio a Patre.

Secunda. Dicitur *per Filium*, ad significandam consubstantialitatem Filii, & Spiritus sancti.

Tertia. Spiritus dicitur esse *per Filium*, ad denotandã relationem ipsius spiritus esse ad Patrem, sicut relatio Filii est ad Patrem.

Cæterùm aduersus primã responsionem dicendũ, quòd catholici desumunt è scriptura diuina, & Patribus significata vocum sacrarum. Et S. Basilius libro de Spiritu sancto cap. 2. ac 3. docet, esse fraudem hæreticorum, quòd accipiunt significata phrasium *ex quo*, & *per quem* à Philosophis. Quid vero diceret aduersus Theodoritum, & sequaces, si audiret, eos, neglecta scriptura, & Patribus, quærere ab uno poeta, & eo ignoto significationes suarum loquutionũ? Quanta cum indignatione, sed sacra, & pia, reprehenderet istos accipientes significata ex poetis græcis, quibus nulla cura veritatis, quibus nihil est licentiæ denegatum?

Reijcitur, responsũ 1.

S. Basil.

Nos

Nos igitur Sanctos Basilium, Chrysost. Cyril. Hieronymũ, & alios tenebimus: poetam Theodoritani teneant.

Si autem *Per* idem significat, quod præpositio *Cum*, iam Spiritus sanctus erit per Patrem, quia cum Patre est ab æterno, & in æternum. Pater erit per Filium, & per Spiritũ sanctum, quia cum eis est. Filius per spiritum erit, quia cum spiritu est.

Imò omnes creaturæ essent creatæ cum Filio, quia omnes per Filium. Erunt igitur coæternæ cum creatore, quod est hæreticum. Responsio valde frivola, & voluntaria, ut hæreticos decet, reperitur.

Responsum secundũ reijcitur.

Contra secundam responsionem.

8. Si præpositio *Per* denotat consubstantialitatem; quia Pater est consubstantialis Filio, & Spiritui sancto: Pater erit per Filium, & Spiritum sanctum. Filius procedet per Spiritum sanctum, nam est cõsubstantialis spiritui. At hęc sunt absurdissima. Non igitur prępositio *Per* consubstantialitatem significat. Quia verò omne prædicatum divinum vel significat quid consubstantiale, vel quid causale, ut loquuntur Græci: sive es-

Consubstantiale, & causale.

sẽtiale, & notionale ut Latini exprimunt. Cũ prępositio *Per* nõ significet quid cõsubstãtiale, ergo significat causale. Quare Filius erit causa hypostatica Spiritus sancti secũda.

Essentiale, et notionale.

Quin etiam quia omnia creata sunt per Verbum, si *Per*, significat consubstantialitatẽ, ergo omnis creatura erit consubstantialis Verbo. Revera tamen causata est, consubstantialis non est. Ergo *Per*, significat causam, non consubstantialitatem.

Contra tertiam.

9. Si loquutio, *Per Filium*, significat relationem ad Patrem, ergo eadem ratione Filius à Patre per spiritum procederet: sic enim notaretur relatio utriusquè personæ ad Patrem. At hoc est falsum.

Tertiũ respõsũ reijcitur.

Secundò. Frustratoria esset hæc additio, quia per vocem, procedit *ex Patre*, significatur exactè relatio spiritus ad Patrem. Per nomen Filii significatur relatio Filii ad Patrem, ergo frustra adhibetur præpositio. Quæ quidem nec significat filiationem, nec habitudinem filiationis exercet. Sed ex harum vanitate responsionum, vanitas aduersariorũ apparet luculenter.

10. Ab hac expositione

exci-

Dama. excipio Sanctum Ioannem Damascenum, qui non accipit, ut *Per* sit idem, quod *Ex*. Nam in epistola de Trisagio scribit. *Spiritus item per se subsistens est processio, atque emanatio, ex Patre quidem, Filii autem, ac non ex Filio, ut pote spiritus oris Dei, verbum enuncians*. Negat ergo spiritum ex Filio, sicut negavit in primo de F. de cap. 11. dici ex Filio. Concessit tamen spiritũ esse per Filium. Qua de re legatur Dionysius Carthusianus in 1. dist. 11. quæst. 1. *Diony. Carth.*

Thom. Aquin. Responderi posset cum Divo Thoma in quæst. decima de potentia art. 4. Damascenum cecidisse in sententiam, quæ Theodoriti est. Quod saltem verum esset, quo ad particulam *ex Filio*, nam quo ad particulam, *per Filium*, est cõtra Theodoritum. Eodem spectat Diuus Thomas in 1. dist. 11. q. 1. ad 3. dicens, Damasceno non credi, quia fuit tempore incæptæ controversiæ inter Græcos, & Latinos. Cũ Divo Thoma consonat S. Bonaventura in 1. d. 11. quæst. 1. ad ult. atque Durandus ibidem. *D. Th.* *D Bon.*

11. Verè affirmant de tempore. Vixit enim Ioannes Damascenus imperante Leone Isaurico, qui cum undecimo imperii anno cæpisset publicè impugnare cultum sanctorum, & cultum sanctarum imaginum: Ioannes adhuc iuvenis, & in sæculo degens, epistolas euulgavit contra hæresim Isaurici, teste Ioanne Ierosolimitano in vita Damasceni. Vixit imperante Constantino Copronymo Isaurici filio, & hæresum hærede. Cõtra hunc Ioannes iam Monachus factus, orationes tres, ut sagittas potentis acutas, intorsit. Quamob rem à Copronymo per contumeliam *mansur* est, & *manseron* appellatus, atque anno 754. ad numerum 47. in Baronio, hoc est, Copronymi 14. fuit Ioannes in synodo pseudoseptima notatus anathemate à Copronymo. Rursus epistolam de Trisagio scripsit idem Damascenus anno Copronymi nono ex Baronio. Cùm igitur Copronymus Latinos, propter dictionem, ex Filio, & propter cultũ imaginum insequeretur: atq; legatos, & dona in Gallias ad hoc misisset, celebratum est concilium Gentiliacense contra Iconoclastas, & eorum errores de Spiritu sancto, & imaginibus. Vixit ergo Damascenus in exortu dissidii de par- *Leo Isaurico.* *Const. Copro.* *Io. Damasc. cur mãsur.* *Vide supra q. 2. n. 35. & 36.*

ticu-

ticula ex Filio. Imo Stephanus Burlifer in primo dist. 11. quæst. 1. refert ex aliis, Damascenum venisse ad concilium, sed occultè. Nec videtur aliud concilium celebratum circa processionem Spiritus sancti, nisi Gentiliacense in ortu cõtroversiæ, & septima synodus in decisione cõtroversiæ. Hoc si verum esset, magis augeret suspicionem contra Damascenum. Verùm de itinere Damasceni in Gallias, nil habeo præterea. Certum est Damascenum non venisse tanquam missum Copronymi, erat enim Copronymo infensissimus.

Burlifer.

12. Damascenum contra opinionem sanctorum Thomæ, & Bonaventuræ, defendit Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 23. Eo quòd Damascenus obierit ante septimam synodum: propter quòd non potuit scire definitionem synodi, quæ in symbolo habet particulam, Filioque. Vel si vixit tempore septimæ synodi (est enim annus mortis Damasceni incertus) certè libros de Fide, & epistolam de Trisagio scripsit ante septimam synodum, hoc est, ante Ecclesiæ definitionem. Durandus quoque olim in 1. dist. 11 q. 1. sic excusavit Damascenum: & nuper Iodocus Chlychtoveus in Commentario super primum Damasceni de fide cap. 11.

Bellar.

Durãd.

Iodocus

13. Ego quoque nitar in defensionem Damasceni. Nã Damascenus scripsit & ante commotam tempestatem à Copronymo circa particulam Filioque: & post illam. Ante scripsit libros de Fide, & epistolam de Trisagio, quibus dixit, spiritum esse Filii, non ex Filio, sed ex Patre per Filium. Verùm rectè sapiens ait, *Da occasionem sapienti, & addetur ei sapientia*. Ex occasione data ab Iconomachis, Damascenus vigilantior exploravit Patres. Vnde in historia Iosaphati translata in Latinum à Trapezuntio, impressa Basileę anno 1535. ad cartam 61. lego. *Et unum scias, Spiritum sanctum ex Patre, Filioque procedentem, Deum perfectum, & vivificantem*, &c. Nam Gentiliacensis concilii convocationem notam fuisse Damasceno crediderim, eo quod semper invigilaret, & maximè tunc ad omnes Copronymi conatus.

Prou. 9.

Secundò, ad eandem Damasceni authoritatem respondetur, expendendo significata

præpositionis, *Ex*. Aliquando enim significat primam causam: aliquando verò promiscuè significat causam in communi ad primam, vel secundã. Sed ex usu linguæ græcæ apud Patres, prior significatio est longè vulgatior.

S. Basil. Ita S. Basilius in libro de Spiritu sancto cap. 4. ait. *Sed usitatissimum est scripturæ hoc vocabulum ad supremam illam causam accommodare. Quod genus est illud, Vnus Deus ex quo omnia, & rursum omnia ex Deo.* Accipi verò eandem particulam *ex* etiam pro secundo principio, idem Basilius capite quinto ostendit, Ephes. 4. *Christus, ex quo totum corpus.* Et ad Coloss. 2. Item illud, *ex cuius plenitudine nos omnes accepimus* Ioan. 1. & illic apud Basilium plura testimonia congesta sunt, probantia de Filio, & de Spiritu sancto dici, *ex*. *Ephes. 4. Colos. 2. Ioan. 1.*

S. Cyr. 14. S. Cyrillus quoque in libro de Cultu in spiritu, & veritate ad Palladium cart. 151. scribit. *Quandoquidem spiritus, qui substantialiter ex utroque, hoc est, ex Patre per Filium procedit, est Dei, ac Patris, & Filij*. In hac sanctissimi, atque doctissimi viri authoritate utrunque significatum præpositionis *ex* aduerte. Cũ ait, *ex utroque* ostendit particulam *ex* communem ad causam primam, & secundam, scilicet ad Patrem, & Filium. Cùm subdit, *ex Patre per Filium*, appropriat dictionem *ex* ad causam principalem, scilicet ad Patrem, & particulã, *Per*, ad causam mediam, videlicet ad Filium. Igitur ex Divo Cyrillo, Spiritus sanctus est & ex Filio, & per Filium, quorum utrunque negavit Theodoritus, & ideò utrumq; affirmat Cyrillus. Et priori loco ponit uniformitatem vocis *ex*, nimirum propter essentiam uniformem in Patre, & Filio, quæ essentia est vis spirativa, sive principium productiuum *ut quo*; posteriori loco ponit difformitatem *ex*, & *per*, propter difformem modũ hypostasium producentium, quia Pater à se producit, Filius à Patre habet, ut producat Spiritum sanctum. *Ex uniformiter & difformiter in Patre, & Filio.*

S. Aug. 15. Propter hoc & S. Augustinus in 15. de Trinit. cap. 17. principalitatem in producendo Spiritum sanctum Patri attribuit, scribens. *Et tamen non frustra in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei, nisi Filius, nec donum Dei, nisi Spiritus sanctus, nec de quo genitum.*

est

est Verbum, & de quo procedit principaliter spiritus, nisi Deus Pater. Ideò autem addidi principaliter, quia & de Filio spiritus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non iã existenti, & nondum habenti, sed quicquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit.

Cùm igitur duplex sit usus istius præpositionis *ex*, primus ut significat principium primum, secundus ut significat principium in communi ad primum, & secundum; S. Ioannes Damascenus volens nos docere utrunque usum præpositionis *ex*, in primo de Fide, & in epistola de Trisagio, loquutus est in primo sensu, accipiendo particulam *ex*, ut significat causam primam, seù principium primum. *Dama.*

Qui autem legerit attentè locum de Trisagio in fine epistolæ, cognoscet unitatem Patri, binarium Filio, ternarium Spiritui sancto accommodari, & Patrem dici causam Filii, ac Spiritus sancti ad modum, quo unitas est principium, scilicet primum: Filium autem non primum, sed medium, & per quod, unde ait. Pater *Pater est, ac non Filius: non enim ex quoquam est. Filius, Filius est, (ex Patre enim) ac non Pater: ut unus tantumodo sit Pater. Spiritus sanctus, Spiritus sanctus est (ex Patre siquidem per Filium, & Verbum progressus) non tamen Filiationis modo*. Vides quomodo Pater dicatur *non esse ex quoquam*, quæ est conditio principii primi, scilicet principii, non de principio. Et in primo de Fide cap, 15. ex impressione Parisiensi, comparat Damascenus Patrem ut causam ad producta tùm ad intra, tùm ad extra, & concludit. *Quocirca ea omnia, quæ causæ, parenti, fonti, genitori conveniunt ea Patri soli accommodari debent*. Indubitatum autem est, Filium, & Spiritum sanctum esse causã ad extra: sed tamen Damascenus solum Patrem dicit esse causam. Quia loquitur de causa simpliciter, quæ est sola causa prima: ut etiam adnotavit Gennadius de processu Spiritus sancti sect. 10. cap. 40 & Bessarion apud Bellarminũ lib. 2. de Christo cap. 27. col. 364. *Gẽnad. Bessar. Bellar.*

Ita contra Eunomium, & Macedonium dicentes, quòd Filius esset prima, & sola causa Spiritus sancti, Damascenus verò contradicens, docuit spiritum esse ex Patre, & non esse ex Filio, scilicet, ut ex pri- *Eunomii, & Macedonij error.*

ma causa. Verùm in historia Iosaphati loquutus est cum Sancto Cyrillo contra Theodoritum, & Copronymum, qui nolebant Filium esse aliquo modo causam Spiritus sancti; & ideò Damascenus dixit, esse ex Patre, & ex Filio, ut particula *ex* dicit causam in communi ad primam, & secundam.

Damascenus defenditur. Hac animaduersione accepta, neque Damascenus erit contra tertiam, quartam, quintam, sextam, septimam synodos, neque contra Florentinā, neque sibi contradicet: neq; erit suspectus de Fide in articulo de Spiritu sancto.

16. Ex his dignoscitur, quòd modus loquendi Patrū Græcorum nullā habeat maiorem difficultatem loquendo de tribus personis respectu unius creaturę productæ ex Patre per Filium in Spiritu sancto: quàm loquendo de duabus personis respectu unius Spiritus sancti, qui est ex Patre per Filium. Hinc S. Augustinus 5. de Trinitate cap. 14. *S. Aug.* *Fatendum est*, inquit, *Patrem, & Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia. Sed sicut Pater, & Filius unus Deus, & ad creaturam relatiuè unus Creator, & unus Dominus: sic relatiuè ad Spiritum sanctum unum principium. Ad creaturam, verò Pater, & Filius, & Spiritus sanctus unum principium, sicut unus Creator, & unus Dominus.* Hæc non solum declarant usum vocis *Per*, quando Spiritus per Filium procedit ad intra, & omnia per Filium creantur ad extra: sed etiam utilia sunt ad explicandum quomodo particula *ex Patre*, & *ex Filio*, accipitur à Græcis, atque Latinis eam usurpantibus.

Tres personæ unum principium creaturæ, duæ unum Spiritus sancti.

Denique, sicut particula *ex*, aliquando accipitur pro sola prima causa, aliquando pro causa in communi ad primam, & secundam: sic particula *Per*, usitatiùs accipitur pro causa secunda, seu principio secundo: accipitur tamen quandoquè in communi pro principio primo, & secundo. Ideoque Basilius quinto in Eunomium cap. 14. ait, Spiritum dici *Verbum Filij per Deum*. Et cap. 15. *Ex Deo per Filium*.

Vi. quæst. hac nu. 5.

Spiritus est per Patrem et per Filium.

17. Peturile fore arbitror considerare, quare Patres Græci frequentiùs dixerint, spiritū sāctū esse per Filiū, quā ex Filio; quamvis nonnulli utrunque dixerint, ut Sancti Epiphanius, Athanasius, Cyril-

Cyrillus, Chrysostomus, & alii.

Respondeo. Postquam dissolutum est concilium Ephesinum, Theodoritus contra Cyrilli capitula scribens aduersus Cyrillum, & synodum Ephesinam, ad capitulum nonum dixit, Spiritum non habere esse ex Filio, vel per Filium. Quorum duorum Nestoriani (inter quos præcipuus erat Theodoritus) in suo symbolo dixerant, Spiritum non esse per Filium, tacuerant, ex Filio. Idcirco S. Cyrillus scribens aduersus Theodoritum, variis locis dixit Spiritum esse & ex Filio, & per Filium: quoniam de industria aduersus hunc hæresiarcham scribebat, & utranque partē eius, tùm explicatam cum præpositione *Per*, tùm explicatā cum præpositione *ex*, euertere satagebat. Quod planè factum est, cū in quinta synodo generali Cōstātinopoli celebrata, fuerint scripta Cyrilli approbata: scripta verò Theodoriti contra Cyrillum, & eius capitula fuerint reprobata, atq; damnata cum multis aliis Theodoriti scriptis eadem damnatione comprehensis. Cæteri verò Patres ad id, quod publicè hæretici Nestoriani dicebant, respexerunt; & more catholico, loquutionem hæreticis aduersam protulerunt. Dicebant Nestoriani in suo publico symbolo, spiritum *non habere esse per Filium*. Patres catholici è contra proclamabant frequentissimè, Spiritum sanctum esse ex Deo Patre per Filium. Et hanc arbitror esse iustam causam, ut funditus euellerent hæresim Nestorianam, & symbolum eius.

Intentio, & scriptio Cyrilli.

Scripta Cyrilli.

Greci Patres zelo Sãcto moti dixerũt Spiritum Per Filium.

18. Accedit etiam alia causa, quæ Spiritu sancto docente fidei defensores, eos mouit. Nam cùm dicimus, spiritus est ex Patre, spiritus est ex Filio, ostendimus relationem producti in spiritu ad Patrem, & ad Filium, sed uniformiter, & hoc propter unitatem principii *quo*, nā illud est omnino unū ī Patre, et Filio; et ad hoc in primis respexerunt Latini; Quando autem dicitur, Spiritus est ex Patre per Filium, significatur utiq; unitas principii (cùm nihil, exceptis proprietatibus personalibus, sit difforme in Patre, & Filio) sed quæ spectant ad principium *quod*, commodius explicantur cum præpositione *Per*.

Ad quid in primis Latini aut Græci Patres aspiciũt

Primo quidem significatur relatio Spiritus producti ad Patrem, & Filium, scilicet

ad unum principium.

Secundò significatur modus peculiaris, quo spiritus est ex Patre, scilicet ut ex causa prima, & principali, quæ causat à se; qui usus particulæ *ex* est communis in lingua Græca, prout annotarunt Bessarion, & Gennadius locis citatis aliàs. Significatur quoque modus peculiaris, quo Spiritus est ex Filio, nempe non ut ex prima causa producente à se, sed ut ex secunda producente ab alia.

Tertiò significatur modus sive ordo producentium, scilicet primitas in Patre, mediatio in Filio, ut per Filium medium producatur Spiritus sanctus, velut Nyssenus scripsit.

Quartò significatur modus, habendi principium *quo*, quia Pater habet à se, id est, authoritatiuè, Filius ab alio, & subauthoritativè voluntatem fœcundam.

Quintò. Quoniam hic modus loquẽdi imitatur Apostolum, qui attribuit præpositionem *ex* Patri, præpositionẽ *Per*, Filio in agendo. Vnde ad loquendum contra hæreticos secundum phrasim scripturarum, videtur modus valde cautus.

19. Accedit sextò, quod ita vitatur æquivocatio. Nam si loquuti essent per vocem *ex* de Filio: potuisset loquutio intelligi, sicut volebant Eunomiani, quòd Filius esset prima causa Spiritus sancti, & Pater non esset causa (ut Græci loquuntur) & hoc quoniam particula *ex* significat causam principalem, & primam, ut diximus. Potuisset etiam intelligi, quòd Filius esset causa non prima ipsius Spiritus sancti, quia non à se, sed a Patre spirat, ut catholici tenent, nã particula *ex* quandoque in genere activi principii significat vel primum, vel secundum principium. Quia tamen hic sensus absque declaratione statim adhibita, nõ posset proponi: expeditissimè hæc incommoda declinarunt dicentes, Spiritus est ex Patre per Filium. Prudenter, & piè Patres Latini uniformitatem principii *quo*, imò unitatem attenderunt, audientes Dominum dicentem, *Ego, & Pater unum sumus*. Io. 10. Prudenter, & piè Patres Græci diversitatem in principio *quod* considerarunt scribentes, *Ex Patre per Filium*, & plura simul explicãtes, audientes Christum dicentem, *Non potest à se Filius facere* Io. 5.

re quicquam, sed quod viderit Patrem facientem. Nunquam tamen Patres Græci, aut Latini a fide catholica deviare voluerunt. Atque hæc dicta sint satis de phrasi, *Spiritus à Patre per Filium procedit*. Nunc tempus est dicendi de phrasi, *Spiritus est ex Filio, & ex Patre*.

CAP. III.

Spiritum ex Filio esse, vel produci probatur authoritatibus Patrum Latinorum, & illorum sententia defenditur.

20. SPiritum sanctum esse ex Patre, & ex Filio dicimus: sed ex Patre habere esse essentiale, & personale, iam disputatum est in prima quæstione aduersus Eunomium. Ideò nunc circa productionem spiritus ex Filio laborabimus. Cæterùm Genadius Scholarius in suo libro de processione Spiritus sancti, Bessarion in Oratione habita ad Patres Græcos in concilio Florentino, quæ post Acta concilii est impressa: Iodocus Coccius in Thesauro catholico tomo primo lib. primo cart. 95. multas contulere authoritates Patrum, & eas apertissimas ad res nostrã. Bellarminus lib. 2. de Christo capite 24. quindecim Patres Latinos, & cap. 25. quindecim Patres Græcos adducit, ut sit supervacaneum easdem authoritates transcribere, neque spes sit aliarum inveniendarum.

Scholarius. *Bessarion.* *Coccius* *Bellar.*

Ne tamẽ locus iste vacuus remaneat, aliquot clariores ex Latinis, & Græcis recensebo. Si enim non puduit Coccium, & Bellarminum post alios easdem authoritates proponere, nec me pudere decet, qui eis sum authoritate, & sapientia maximè inferior.

Primus ex latinis sit antiquissimus S. Martialis, qui vixit anno Domini 100 hic in epistola ad Burdegalenses ca. 10. ait *Spiritus sanctus in diuina æqualitate processit ineffabiliter ab eo, qui genuit, & ab eo, qui genitus est. Itaque Spiritus Domini, non genitus, non factus non creatus, sed procedens est à Patre, & Verbo.*

S. Hilarius lib. 2. de Trinitate, de Spiritu Sancto scribit. *Loqui autem de eo, non necesse est, quia de Patre, & Filio authoribus confitendum est; & quidem puto, an sit, non esse tractandum*

dum.

Eodem pacto loquitur in octauo de Trinitate, ut est in Catena aurea super 16. Ioannis apud Aquinatem.

Coceius car. 88. col. 1. S. Damasus Papa in symbolo suæ fidei scribit: *Credimus in Spiritum sanctum, non genitum, neque ingenitum, sed de Patre, Filioque procedentem: Patri, & Filio coæternum, & cõsubstantialem, & cooperatorem.*

Coceius car. 98. col. 1. Et in epistola ad Paulinum Antiochenum. *Credimus Spiritum paracletum, neq; Patrem, neque Filium, sed ex Patre procedentem, & Filio. Est igitur ingenitus Pater genitus Filius, non genitus paracletus, sed ex Patre procedens, & Filio.*

S. Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto cap. 12. *Omnia Patris habet Filius, quia ait: Omnia, quæ habet Pater, mea sunt; & quæ accepit ipse per unitatẽ naturę ex ipso per eandem unitatem accepit spiritus.*

Coceius tom. 1. car. 98. col. 2. S. Eucherius Lugdunensis, circa annum 450. in quæstionibus noui, & veteris testamenti in Genesim. *Spiritus sanctus, inquit, nec genitus, nec ingenitus: ne si ingenitum dixerimus, duos Patres dicere videamur: & si genitum, duos Filios, sed potius qui ex Patre, & Filio procedat, velut quædam Patris, & Filii concordia.*

S. Augustinus tract. 99. in Ioannem. *Cur non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cùm Filii quoque ipse sit Spiritus.* Vide idipsum 5. de Trinitate cap. 12. & 14. Item, 15. de Trinit. cap. 26. & 27.

Placet subnectere duos Patres, qui versibus scripsere: nec enim tàm facile potest per calumniam dici, corruptos esse codices ab aliquo; quoniam in versibus, propter legem metri, non facilè corruptela inducitur.

Prudentius Sancto Ambrosio contemporaneus, & commilito in oppugnando Symmacho: in libro Cathemerinon hymno 7. ad finem.

Per Christum genitum, summe
Pater, tuum,
In quo visibilis stat tibi gloria:
Qui noster Dominus, qui tuus
unicus
Spirat de patrio corde Paraclitum.

Et hymno octavo.

Ades Pater supreme
Quem nemo vidit unquam,
Patrisque sermo, Christe,
Et Spiritus benigne.
O Trinitatis huius
Vis una. Lumen unum,
Deus ex Deo perennis,

Deus

Deus ex utroque missus.

S. Paulinus Episcopus Nolanus Sancto Augustino æqualis, hymno Natali 9.

Coccius tom. 1. car. 98. col. 2. . . . . . . *Seditque Parenti Dexter, & in servos cælestia dona profudit Spiritum ab unigena sanctum, & Patre procedentem.*

S. Leo Papa in epistola ad Turibium cap. 1. *Alius est qui genuit, alius qui genitus est; alius qui de utroq; processit.*

22. Porrò Latini Patres recepti sunt à conciliis Græcis. S. Leo. S. Leo receptus est grandi cum laude à synodo Concil. Chalc. Chalcedonensi tota, à qua item recipitur S. Ambrosius, & S. Hilarius in Actione prima tomo 3. concil. car. 226. Sexta synodus In sexta synodo, ut refert Gennadius Scholarius de processione Spiritus sancti sect. 8. ita dictum est. *Consentit sanè in omnibus Sanctisque Patribus, & Doctoribus sanctæ Dei Ecclesiæ, Athanasio, Hilario Basilio, Augustino, Theophilo, Cyrillo, Ioanni Constantinopolitano, Leoni, Proclo: cunctaquè eorum scripta de recta fide, & ad hereticorum damnationẽ recipimus.*

Septima syn. In septima synodo ita sancitum. *Recipientibus Sanctorum Patrum sententias, pro dogmatibus Dei Ecclesiæ constituẽdis, promulgatas Athanasii, Cyrilli, Ambrosii, Amphilochii, divini Leonis, sanctissimi antiquæ Romæ Archiepiscopi, Augustini, & reliquorum; Præterea & Oecumenicorum acta conciliorum, quartı dico, & sexti non amplectentibus, anathema.* Cernimus utique Sanctos Patres Latinos à conciliis Græcis approbatos, & receptos: quare etiam in hoc dogmate, Spiritus est ex Filio, esse à tota Ecclesia istos Patres retinendos. Ideò autem alias Latinorum authoritates non affero, quoniam Photius author schismatis, non negat hoc esse dictum à Patribus Latinis.

23. Respõdet autẽ Photius ad has, & alias Patrum Latinorum authoritates in epistola ad Patriarcham Aquileiensem, ut est in Baronio ad annum 883. num. 20. Photius ad authoritates Patrum Latinorum. Baron. Nimis longum esset omnia, quæ conscripsit ipse, referre: summatim colligam. Ait.

Primò. *Si aliquot Patres dixerunt, spiritum ex Filio, multò plures, & extra synodum non dixerunt. Non ergo afficit iniuria illos paucos relinquens, ut multos alios teneat. Non est iniurius Ambrosio, Hieronymo,* Lactantia falsa.

Simulata pietas erga Christũ contra Christi discipulos.

Augustino, qui eos deserit, ut Christum: & Patres alios cum Christo teneat.

Secundò. *Non est æquum pudenda Patrum aperire, sicut Cam: ideò tenendi sunt Patres, sed hoc erratum eorum non est prodendum, sicuti Dionysium Alexandrinum, Methodium Martyrem, Irenæum Lugdunẽsem, Papiam inter Patres habemus; quædam tamen ab eis dicta non sequimur.*

Detegit, dũ simulat tegere pudẽda.

Tertiò. *Patres aduersus hæreticos loquentes, dicunt nõnulla, quæ absolutè non dicerent: tempori servierunt. Tale est illud, spiritus ex Filio, quod tamen ab eis melius examinando reiiceretur.*

Propheta falsus.

§ 1. Quartò. Colligit, *dixerunt, non nego. Sed isti quidem pauci numero, longè verò plures hoc dicere non sunt ausi.*

§ 2. *Dixerunt pauci; sed sanctorum synodorum decreta illos, qui aliquid contra huiusmodi vocem protulerunt, respuerunt.*

§ 3. *Dixerunt pauci. Sed quid opus est dicere de numero eorum? Si universa creatura vocem aliquam emitteret: non propterea creatorẽ, & opificem relinques pro creatura.*

Refutatur Photius.

Aduersus istam intolerandam Sanctorum Patrum contemptionem, dicamus qua maiore possumus claritate, & tranquillitate.

24 Primò recolendum est, uni affirmationi unam negationem esse contradictoriam, quæ est simpliciter opposita. Hoc est indubitabile in singularibus enunciationibus ei, qui legerit Logicos in primum de Interpretatione cap. quinto & sexto. Socrates est albus, Socrates nõ est albus, sunt oppositæ. Dixi in singularibus; nam fortè in enunciationibus univer salibus aliquis posset contendere uni plures opponi, licet diversis oppositionibus, ut contrariè, contradictoriè, subalternè. Nostra consideratio futura est de singularibus, in quibus sola oppositio contradictoria reperitur.

Arist. 1. de interpret.

Igitur Spiritus sanctus *procedit ex Patre, Spiritus sanctus non procedit ex Patre*, sunt enunciationes contradictorię, atque oppositę: prior affirmativa, posterior negativa. Cùm autem Deus affirmaverit, spiritum procedere ex Patre: quicunque negativam acceperit, is utique repugnabit creatori, & pro creaturæ opinione

nione creatorem contemnet grandi cum scelere: quali se se obstrinxerunt Macedonius Patriarcha Constantinopolitanus, & Eunomius. Catholici autem nunquam illā negativam, Spiritus non procedit ex Patre, approbaverunt, sive Græci, siue Latini fuerint.

Macedonius, & Eunomius hæretici

25. Rursus affero alias duas enunciationes singulares: *Spiritus sanctus procedit ex Filio: Spiritus sanctus non procedit ex Filio*. Hæ sunt affirmativa, & negativa contradictoriæ, & oppositæ, quarum neutra est opposita duabus prioribus: Nam & hæ duæ posteriores enunciationes sunt diversæ ab utralibet illarum priorum. Quocirca sive dicas istam, spiritus procedit ex Filio, sive illam, spiritus non procedit ex Filio, non dicis oppositum contradictorium illi primæ affirmationi, Spiritus procedit ex Patre. Itaque Photius dicens, quòd huic, *Spiritus ex Patre procedit*, sit opposita, vel contradictoria ista, *Spiritus procedit ex Filio*, ex pura ignorantia Logicæ loquitur, vel ex ignorantia prava. Nā propositiones contradictoriæ, & oppositæ, ex eisdem terminis formari debent subiecto, & prædicato, solùm differunt in affirmatione, & negatione. At duæ priores in prædicato habent Patrem, duæ posteriores Filium, ergo duæ posteriores non possunt esse oppositæ, & contradictoriæ duabus prioribus. Quemadmodum qui diceret, Angelus ex Patre procedit, vel creatur; Angelus ex Filio procedit, vel creatur: non proferret duas oppositas, vel contradictorias, sed duas simul veras, sed ad extra, sicut ille duæ, Spiritus procedit ex Patre, Spiritus procedit ex Filio, veræ sunt, sed ad intra, si intelligantur de processione æterna: sed ad extra, si de temporali. Non ignorabat ista Photius, sed ipse, quatenus coniectari possum, astutè dissimulavit Logicos, ut insimularet Latinos.

Ignorātia pura, vel prava.

Enunciationes contradictoriæ, ex eisdē terminis sunt.

Ex qua notatione constat, falsò responderi ab aduersario, quòd si Patres dixerunt Spiritū ex Filio, id repugnat creatori, aut synodis, aut Patribus asserentibus, Spiritum procedere ex Patre. Nam & Latini utrumque dicunt, Spiritum ex Patre, & ex Filio, nec sibi repugnant. Enun-

Contra responsum primum, cōtra §. primū, secūdū, & tertiū Photii.

ciationes quippe diversæ sunt, repugnantes non sunt.

His perspectis, clarissimè apertum est, quòd prima responsio, & paragraphus tertius quartæ responsionis, est falsus. Nec enim Christo cõtradicit, qui contradictorium non dicit: qui non negat quod Christus affirmat, vel non affirmat, quod Christus negat.

26. Secundò recolendũ, quòd aliud est dicere unam, vel alteram contradictoriam, videlicet affirmativam aliquam, aut negativam enunciationem: aliud est non dicere neque affirmativam, neque negativam. In primo casu actus proferentis affirmatur, sive enunciatio prolata sit affirmatio, sive negatio opposita. Exemplum. Quando Ioan. 8 Iudæi obiecerunt, *dæmonium habes*: respondit Dominus, ego dæmonium non habeo; tunc sanè Iudæi protulerunt affirmativam, Christus protulit negativã, & in utroque est affirmatus actus proferentis: At enunciatio prolata à Iudæis fuit affirmativa, à Christo prolata, fuit negativa. Itaque cùm ambas partes dixerint, sibi invicem contradixerunt, quia dixerunt duo contradictoria. In secundo casu negatur actus proferentis, & enunciatio prolata nulla est, neque affirmatio, neque negatio. Vt obiicientibus Iudæis, *Samaritanus es tu*, Christus tacuit. Et accusantibus eum coram Pilato, nihil respondit, iuxta Isaiam 50. *Ego autem non contradico*. Qui enim nihil dicit, non contradicit, neque affirmando contra negantem, neque negando contra affirmantem: imò quandoque ipse tacens consentit, quandoque dissentit, quandoque est anceps: quandoq; etiam neque cogitat de alterutro contradictorio; ut Iudæi accusantes Christum, nõ cogitabant de hisce contradictoriis, purgatorium est, purgatorium non est.

Aliud est dicere aliquid, aliud nihil dicere.

Ioan. 8.

Matt. 27. 14.

Tacens quãdoque cõsentit, quãdoque dissentit, quãdoque est nenter

27. Hac animaduersione posita liquidò aperitur, quòd ad hoc, ut aliquis dicendo contradicat alteri, non est satis nõ dicere, seu negativè se habere respectu cuiusuis contradictorii; sed necesse est, ut dicat oppositum contradictorium alterius. Quare cõtradictio est in enunciatione prolata; sed in actu proferendi positivo est convenientia, uterque enim profert, uterq; dicit,

Quid necessarium ut alter alteri cõtradicat.

dicit, ſed unus affirmativam, alter negativam.

Ad propoſitum deſcendamus. Patres primæ ſynodi Nicænæ dixerunt in ſymbolo de Spiritu ſãcto, *Credimus &c. Et in Spiritum ſanctum*, nihil præterea de Spiritu ſancto dixerunt, ut conſtat in epiſtola 78. S. Baſilii, in qua ſymbolũ Nicænum integrum recitatur, ſicut etiam uniformiter recitatur à Sancto Cyrillo Alexandrino in libro primo de ſancta Trinitate ad Hermiã.

Concil. Nicæn. 1.

S. Baſil.

S. Cyr.

28. Sed ex duabus hiſce contradictoriis, Spiritus procedit ex Patre, Spiritus non procedit ex Patre, neutram in ſymbolo protulerunt. Iam quiſque conſideret, an iſta cõſequentia valeat; Patres Nicæni non dixerunt, Spiritum procedere ex Patre, ergo negaverunt Spiritum procedere ex Patre, atque anathema dixerunt aſſerentibus, quòd ſpiritus ſit ex Patre. Conſequẽtia eſt omnino nulla, ſi enim non dixerunt affirmativam, neque dixerunt negativam: tacuerunt ergo, ſed tacendo non contradixerunt veritati. Illud argumentum potuit fieri ab Eunomio, & Macedonio ſic. Patres Nicæni non dixerunt, Spiritum ex Patre, ergo Spiritus non eſt ex Patre, ſed ex Filio ſolo, ut cauſa præciſa, & ſola, & prima. Argumẽtum illud eſt fallacia conſequentis ab authoritate negativè, ſcilicet ab authoritate Patrum neutram contradictoriam dicentium.

Eunomij collectio.

Veruntamen S. Epiphan. in heres 74. col. 756. de Fide Nicæna ait. *Non fuit autem tum quæſtio de ſpiritu. Nam ad hoc, quod pro tempore, & tempore accidit, ſynodi cautionem faciunt*. Ideò in prima Nicæna expreſſum eſt de conſubſtantialitate, & origine Filii: de ſpiritu neutra expreſſa eſt. In ſecunda ſynodo generali, cõſubſtãtialitas Spiritus eſt explicata, explicata eſt origo Spiritus à Patre, contra Macedoniũ & Eunomiũ aſſerẽtes duas enunciationes, primam, Spiritus non procedit ex Patre: ſecundam, Spiritus procedit ex Filio. Patres Conſtantinopolitani de ſecunda enunciatione nihil dixerunt, neque affirmando, neque negando, ſed tacuerunt. Tacuerunt non affirmando, ne loquerentur cum hæretico: tacuerunt non negando, quia & hæretici, & catholici conſentiebant in illa, Spiritus procedit ex Filio. Ideò veritatem communiter con-

concessā negare noluerunt, sicut neque affirmare, quia non erat necessarium.

29. At circa primam enunciationem Eunomii, & Macedonii aliter se gesserunt: protulerunt enim positivè, atque dixerunt de Spiritu sancto, *qui ex Patre procedit*, scilicet, illi contradictoriæ negativæ, Spiritus non procedit ex Patre, contradictoriam affirmativam opposuerunt, & positivè dixerunt, qui procedit ex Patre. Vides ergo secundum concilium non contradixisse de Filio, contradixisse de Patre. Primum autem conciliū neque de Patre, neque de Filio contradixit. Quia verò ex dictis in secundo concilio generali, scilicet in Constantinopolitano, colligebant Nestoriani, Spiritum non esse ex Filio, neque per Filium, simili utentes argumento cum argumento Macedonii, & Eunomii sic. In secundo concilio non dicitur Spiritus esse ex Filio, aut per Filium: ergo Spiritus non est, seu non procedit ex Filio, aut per Filium. Idcirco in tertio concilio generali, nempe Ephesino, declarata est hæc veritas in synodica Cyrilli, *quòd spiritus ex Filio, sicut ex Patre procedit*. Quæ synodica deinde recepta est in quarto, quinto, sexto, & septimo conciliis generalibus. Cyrillus quoque in libro de Recta Fide ad Theodosium, & ad Reginas, atque in declaratione noni anathematismi, disertè idem asseruit: atque idipsum ab omnibus Cyrilli sequacibus dictū est. Non fuit sanè in tertia synodo reposita in symbolo particula, *Filioque*, sed in septima synodo fuit imposita, ut quæstione secunda probavimus. Et in quinta synodo nominatim scripta Theodoriti contra Cyrillum, & contra capitula duodecim sunt damnata. Propter hoc Photius non voluit se Theodoriti sequacem dicere, fugiens odium, & infamiam nominis, sed non fugiens crimen, & infamiam dicti.

Nestorianorū collectio

3. conc. gener.

Synodica Cyr.

Cyril.

30. Nunc lucidissimè cernitur, quàm falsò loquatur Photius, dum ait, synodos non dixisse, spiritum *ex Filio esse*, cùm fuerit assertū per synodicam Cyrilli in tertia, quarta, quinta, sexta, & septima synodis. Non contradixit prima synodus huic, *Spiritus est ex Patre*, quia non dixit ipsius contradictoriam, Spiritus non est ex Patre. Non

Photii mendacium in § 2. ad num. 28

con-

contradixit prima, & secunda synodus isti enunciationi, *Spiritus est ex Filio*, quia non dixit eius contradictoriam, Spiritus non est ex Filio. Esto tacuerint multi ex Patribus, nihil refert. Aliud est nō dicere, aliud contradicere. Nulli contradixerunt, nisi Nestoriani, & Iconoclastæ, quos Photius imitatur. Solus Damascenus circa tempora initiatæ controversiæ videtur contradixisse, qui tamen potest exponi, ut actum est capite præcedenti.

Contra primã respons. Photii. Neque verum est, quod Photius scripsit, paucos Patres dixisse Spiritum ex Filio. Latini Patres non sunt pauci, Græci Patres in quinque synodis non sunt pauci. Et ex illis Patribus, qui extra synodum scripserunt, multi Græci cum Cyrillo sunt. Bellarminus libro secundo de Christo, capite 24. 15. Patres Latinos, & cap. 26. 15. Græcos citat. An 30. Patres sunt pauci? Sed aduersarii penè omnia exemplaria, vel corruperunt, vel corrumpunt, ut à Græcis, atq; Latinis catholicis notatum est sæpè, velut Gennadio, Bellarmino, & à nobis notatum est de Damasceno, & Athanasio nuper vitiatis. Quapropter non tam authoritates de novo in Patribus sūt quærendæ, quàm olim à maioribus nostris citatæ, sunt referendæ, propter novas hæreticorum corruptelas.

31. Qua in re animaduerto Marcum Ephesium magis pertinacem fuisse, quàm Photium. Photius concessit Latinos Patres dixisse, Spiritum ex Filio. Marcus negare voluit, in suspicionem afferens, quòd Latini corrupissent libros Patrum Latinorum. Quæ accusatio patet in concilio Florentino. Sed quali morbo Ephesius laborabat, tali putabat laborare catholicos. Veruntamen cùm in concilio Florentino plurimi ex Græcis præstantes viri, veritatis amatores, diù, & accuratè sententiam Patrū Græcorum, & Latinorum examinassent: sincerè cognoverunt inter Græcos Patres, & Latinos non esse discordiam in sēsu, sed apparere in verbis. Quibus declaratis, ut idem dicant Latini ex Filio, quod Græci per Filium (sicut olim tempore septimæ synodi Adrianus Papa docuit) omnis evanuit contentio, & unio sacra, utinā perpetua, est subsequuta.

Ephesius Photio deterior.

Concil. Florentin.

Adr. Papa.

Hæc dicta sint ad primum Photii,

Photii, non quia tàm multa essent necessaria ad solutionē, sed quia sunt proficua ad manifestandam illius fallaciam, & ad illustrandam veritatem.

Ad secundum Photii.

Ad secundū Photii ex nu. 23. An pudēs est homo, qui existimat pudendum esse hoc assertum, *Spiritus procedit ex Filio?* Pudenda est eius negativa, Spiritus non procedit ex Filio, quam apud nullum ex antiquis Patribus catholicis, apud nullum ex conciliis catholicis miseri Nestoriani, & Iconoclastæ potuerunt invenire. Solùm sophisticè agunt ab authoritate negativè. Patres non dixerunt affirmativam Latinorum, ergo affirmativa Latinorum est hæretica, & pudenda. Sed antecedens est falsum de Patribus Latinis, ut ostēdimus, de Patribus Græcis, ut proximè ostendemus. Consequentia verò est sophistica, consequens hæreticum. Atqui pallio hæresis, & sophismatum armati demergantur in barathrum.

Ad tertiū Photii. Ad tertium Photii dico, Patres Latinos data opera & cōtra hæreticos disputando, & ex se veritatem quærendo, affirmasse Spiritū ex Filio quoque procedere. Quos Patres si Photius non recipit, sciat à catholicis, Græcis, & Latinis in sexta, & septima synodo, ut à filiis recipi Patrum doctrinas. Sanè probi filii est recipere authoritatem & hereditatem paternam: improbi non recipere, ut vel ex hoc pateat, an inter Filios Patrum SS. sit, an non sit Photius.

33. Interim Photius contra nos affert tres Patres Patrum, nempe tres Romanos Pontifices: Leonem primum, Leonem tertium, Adrianum primum, quos à calumnia singillatim vindicare oportet. Sic enim in epistola præcitata ad Patriarcham Aquileiensē, apud Baronium anno 883. nu. 8. scribit Photius. *Leo siquidem Romanus Pontifex, tùm senior, tùm illum sequutus iunior eadem sentire cum catholica, & Apostolica Ecclesia, & Sanctis Pontificibus, qui eos præcesserūt, & Apostolicis decretis, agnoscūtur.* *Argumenta Photii ex Patribus.* *Photii accusatio contra S. Leonē primū.*

Et prior quidem Leo in quarta generali sancta synodo, multas laudes est assequutus, non solùm pro sacris illis viris, quos nomine suo Legatos misit: verū & pro sua epistola, qua Nestorius, & Eutyches damnati fuerunt; in qua Spiritum sanctum à Patre procedere prædicavit, iuxta præcedentia synodica decreta,

creta, non autem à Filio.

Respondeo. Hæc epistola S. Leonis est numero decima ad cart. 104. col. 2. in libro S. Leonis impresso Lugduni 1633. est item in secundo tomo concilior. ad car. 33. Legi eam utroque in loco, nihilque habet de processione Spiritus sancti, sive à Patre, sive à Filio, sive ab utroque, sive à neutro. Vt Photius in hac re apertissimi mendacii convictus videatur.

Responsio pro S. Leone primo.

Dicam tamen, quod suspicor. Epistola illa, quam S. Leo ad Flavianum Episcopum Cōstantinopolitanum scripsit, & quæ in synodo Chalcedonensi magna cum laude recepta est, fuit à Theodorito ex Latino in Græcum translata, & hæresibus suis à Theodorito vitiata. Fortè inter alias corruptelas in epistolam à Theodorito intrusas, hęc una fuit, quòd Spiritus sanctus à Patre procederet, & non à Filio. Sed beatissimi Leonis mens facilè patet ex epistola 93. ad Turibium Astorigensem Episcopum cart. 164. contra Priscillianistas, capite primo, ubi ait S. Leo. *Primo itaque capitulo demonstratur, quàm impiè sentiant de Trinitate divina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus sancti unam, atque eandem asserunt esse personam: tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur: nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque processit.*

Et in serm. 1. de Pentecoste cart. 73. col. 2. *Siquidem*, inquit, *cum & de Patre sit Filius unigenitus, & Spiritus sanctus Patris, Filiiquè sit Spiritus, non sicut quęcunque creatura quæ Patris, & Filii est; sed sicut cum utroque vivens, & potens, & sempiternus, & ex eo, quod est Pater, Filiusquè subsistens*. Ecce cum Sancto Leone primo Spiritus sanctus de Patre, & Filio procesſit: ex Patre, & Filio est subsistens. Frustraquè Photius Leonem in suam hæresim conatur attrahere.

Secundò. Leonem tertiū citat in eadem epistola num. 9 scribens Photius. *Similiter & iunior Leo, qui non solum nomen, verum etiam fidem illius est æmulatus: hic siquidem Leo iunior pietatis fervens zelator, ut nullo pacto barbara lingua corrumperetur immaculata Fidei nostræ doctrina, Græca lingua, ut initio dictum est, occidētalibus sanctam Trinitatem glorificandam, & celebrandam*

Photius secundo obiicit contra Leonē tertium

tradidit: & non solùm sermone, & mandato id faciendum curavit, verum etiam quibusdam ancilibus, quasi clypeis constructis, & columnis erectis, illam inscripsit, & in conspectu omniũ statuens, ad Ecclesiæ valuas collocavit.

Responsio pro Leone tertio. Resp. Leo tertius utiq; symbolum Constantinopolitanum sine additione, *Filioque,* Græcè, & Latinè conscribi fecit in laminis argenteis, quas ad cõfessionem S. Petri affigendas curavit. Quod magister sentent. in primo dist. 11. commemorat, & Baronius ad annum 809. Sed causam huius facti Photius non narrat, quia contra ipsum est; factum narrat, quod est pro ipso, & pro nobis quantum ad affirmativam, Spiritus procedit ex Patre. Sed est pro nobis, non pro ipso, quantum ad aliam affirmativam, Spiritus procedit à Filio. Etenim Leo tertius concessit facultatem Ecclesiæ Gallicanæ cantandi symbolum Constantinopolitanum. Cantabant illi cum addito, *Filioque,* sicuti Hispani. Cùm autem inter Gallos contentio orta esset circa particulæ additionem in concilio Aquisgranensi, ab eodem concilio missi sunt legati ad Pontificem, per quos ostenderent Spiritum sanctum procedere tùm à Patre, tùm à Filio: & ut postularent licentiam cãtandi symbolum cum addito, *Filioque.* Acta inter legatos, & Pontificem habentur in Baronio ad annum 809. num. 68. tom. 9. ex quibus particulam hanc decerpo, qua Summus Pontifex ostendit alias esse veritates catholicas credendas de Deo, nec tamen in symbolo ponendas, aut positas esse, sicuti & hæc particula, *Filioque* credenda est, sed in symbolo non est posita, neque ponenda. Verba Papæ sunt. *Nunquid magis salutare est credere, periculosumuè non credere: Spiritum sanctum à Filio, sicut à Patre procedere, quã Filium sapientiam Deum à sapientia Deo, veritatem Deum à veritate Deo genitum esse; & tamen utrunque unam sapientiam, unam veritatem essentialiter Deum esse: cùm tamen cõstat, id à Sanctis Patribus eidẽ symbolo inditum non esse? Si ergo hæc duo, sicuti sapientes decet, in tàm familiari disputatione ad hoc valent, ut nobiscum sentiatis, & cognoscatis tot priores catholicos Patres, qui hoc unde agitur vel symbolis nõ inseruerunt, vel inserere, quẽadmodũ*

cætera,

cætera prohibuere, non præsenti ignorantia, non futura negligenti providentia prætermisisse, & prætermissum, ne mitteretur prohibuisse, à coacervandis testimonijs libentissimè quiescimus. Et cætera in actis legantur. Vbi Leo tertius cõstantissimè tenet, & defendit particulam, procedit ex Filio, verã esse, sed non fuisse adiiciendã symbolo, sicut & aliæ veritates multæ de Deo, vel de Christo, sunt credendæ, nec tamen in symbolo positę, aut ponendæ.

Itaque hoc habet Photius, ut Leo tertius noluerit addi, *Filioque*, ad symbolum: crediderit tamen ipsam particulam esse veram, & de Fide tenendam, quod Photius nollet.

Photius tertio, obiicit contra Hadr.

Tertiò. Idem Photius ad numerum 25. subiungit. *Hadrianus quoque, qui eandem etiam Apostolicam tenuit Ecclesiam, in his, quæ ad sanctum, & beatum Tharasium nostrum maiorem patruum rescripsit, apertè videtur sentire, Spiritum sanctum à Patre, & non à Filio procedere.*

Respondeo, hanc epistolã Hadriani ad Tharasium me hactenus non vidisse. Sed tamen in tertio tomo conciliorum, post septimam synodum generalem, est liber compositus ab Hadriano Papa ad Carolum regem pro defensione septimæ synodi, quæ est secunda Nicæna, contra accusationem quorundam aduersus eãdem synodum. Et prima reprehensio est, quòd *Tharasius non rectè sentiat, qui Spiritum sanctum non ex Patre, & Filio, secundum Nicæni symboli Fidẽ, sed ex Patre per Filium procedentem in suæ credulitatis lectione profiteantur.*

Responsio Hadriani Pontificis est. *Hoc dogma Tharasius non per se explanauit, sed per doctrinam sanctorum Patrum confessus est: quorum capitula pro vestro nimio amore, quod erga vestram præerectissimam à Deo protectam regalem excellentiam gerimus, breuiter exaramus.* Deinde Hadrianus affert Patres, qui dixerunt spiritum per filium procedere, aut esse: vel dixerunt, ex Patre, & ex Filio procedere, aut esse; nimirum istos duos modos loquendi, ex Filio, & per Filium, tanquam unum modum iudicãs. Legantur Patres in tertio tomo conciliorum ad cart. 606. 607.

Ego duas inde accipio authoritates, unam Sancti Cy-

rilli de spiritus cultura ex libro primo, talem. *Sicuti est Dei, & Patris simul, & Filii substantialiter, ex utroque, videlicet ex Patre per Filium procedente spiritu.*

Aliquin ex Divo Augustino lib. 4. de Trinitate. *Nec possumus dicere, quòd Spiritus sanctus & à Filio non procedat; neque enim frustra idem spiritus & Patris, & Filii Spiritus dicitur.* Et reliqua. Ex quibus constat, quàm falsò citet Photius, quàm verè Patres concordent in asserẽdo, quòd Spiritus sit ex Filio, & per Filium.

CAP. IV.

Ex Patribus Græcis probatur Spiritus ex Filio esse.

34. Plures iam, & grauissimi viri authoritates Patrum Græcorum collegerunt, nosque fontes vnde haurire possint initio capitis præcedentis ostendimus. Interea aliquot authoritates etiã nos proferemus ex illis hauriẽtes.

Ex Europa tres affero Græcos Patres.

Chrys. S. Ioannes Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus homilia secunda in symbolum. *Istum Spiritum sanctum dicimus Patri, & Filio esse coæqualem, & procedentem de patre, & filio.* & rursus. *Ecce & in spiritum sanctum credimus, qui spiritus sanctus procedens de Patre, & Filio, charitate coniungitur.* *Coccius cart. 96 col. 1. Magist. sent. 1. dist. 11. & est in to. 5. Chryso. car. 95.*

Leo sapiens. Leo Imperator cognomento sapiens, qui Photium Patriarchatus Constantinopolitani occupatorem de sede deiecit, in epistola ad Omarum Regem Saracenorum. *Dixit, ne timeas Moyses. Ego sum Dominus Deus tuus, creator tuus, lumen de lumine, verbum de Patre, ex quibus Spiritus sanctus procedit.* *Cocc. car. 97. col. 1.*

Philo Carpathius vixit circiter annum Domini 420. is in Cantica canticorum propè finem, ait. *Ipse enim dixit, Non relinquam vos orphanos, sed vado, & venio ad vos; Vado corpore, venio spiritu, qui à me semper, patreque procedit, derivatur, & spirat.* *Philo Carpat.* *Cocc. car. 96. col. 1.*

35. Traiiciamus in Asiam. Athanasius Syrus serm. de Imagine Domini in Berítho, qui sermo legitur, & approbatur in septima synodo cart. 505. col. 1. *Vnus spiritus sanctus, & ab utroque procedens,* *Athan. Syrus.* *Oined. Schol.*

per

per quem veraciter nos credimus esse saluandos.

Nyssen. S. Gregorius Nyssenus in libro ad Ablabium, docens per quid personæ distinguantur, ait *Eam, qua circa causam, & causatum consideratur differentiam, non negamus: per quod solùm discerni alterum ab altero deprehendimus. Nimirū eò quod credimus aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa, & ex eo, quod ex causa est.* Nota tres caracteres trium personarum, prima persona est *causa*, ut Pater: secunda est *ex causa*, ut Filius ex Patre: tertia est *Ex eo, quod ex causa est*, ut Spiritus sanctus est ex Filio, qui est ex causa. Quam authoritatem etiam consideravimus quæst. 1. nam immediatè spiritus ex eo, quod est ex causa, id est, ex Filio, mediatè verò ex Patre.

Idem homilia quarta. *Vnigenitus Filius ex Patre à sacra scriptura nominatura, & hucusque Verbum suam constituit proprietatem. Sanctus autem Spiritus & ex Patre dicitur, & ex Filio præterea esse ostenditur. Si quis Spiritum Christi (dicit) non habet, hic non est eius.* Gēnadius Patriarcha Cōstātinopolitanus de proc. Sp. sācti sect. secunda notat, quosdam perversos homines delevisse verba, *ex Filio*; sed tamen adhuc extare codices integros, qui pertinaciam adulterantium libros condemnant. Gēnad. Schol.

Rursus idem Nyssenus homilia tertia super Pater noster. *Filius*, inquit, *spiritus neque est, neque dicitur. Neque hęc relativa consequentia convertitur, sed Spiritus Filii dicitur; quia ab eo accipit, ab eoq; procedit, & ex eo est, quemadmodum ex Patre.* Gēnad. car. 7.

S. Basilius Nysseni frater succedat, qui libro secundo in Eunomium ad finem, reprehēdit hæreticum, quia causam spiritus sancti soli Filio attribuit, cùm debuisset etiam Patri attribuere. Hāc authoritatē, & eius rationes in prima quæstione formavimus, quę illinc, si opus sit, huc transferantur. Basil.

Præterea, in tertio contra Eunomium est locus Diui Basilii de spiritu sancto valde insignis. Eunomius argumentabatur, quia spiritus est ordine, & dignitate tertius, etiam est natura tertius. Contra Basilius scribit. *Cur enim necesse est, si dignitate, ac ordine tertius est spiritus, natura quoque ipsum tertium esse? Dignitate nanque ipsum secundum à Filio,*

lio, cùm ab ipso esse habeat, & ab ipso accipiat, & annunciet nobis, & omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit: Natura verò tertia uti, nec à divinis scripturis docti sumus, nec à dictis possibile est consequenter ratiocinari. Nam quemadmodum Filius ordine quidem à Patre secundus est, quoniam ab illo: & dignitate, quoniam origo atque causa essendi, Pater ipsi est, & quoniam per ipsum accessus, & adductio ad Deum Patrem: natura verò nullo modo secundus, quoniam in utroq; una est Deitas: ita videlicet & Spiritus sanctus etsi dignitate, & ordine secundus à Filio est, non tamen verisimiliter alienæ ipsum esse naturæ inde consequetur. Hæc authoritas sumpta est ex libro Basilii in Eunomium tertio, quæ habetur ad finem concilii Florentini car. 887. interprete Georgio Trapezuntio Cretensi.

Respōsio Ephesii ad Basilii dictū Respondit Marcus Ephesius Theodoritanus in concilio Florentino sess. 20. librum Latinorum esse mendosum, & illa verba ab aliquo nostræ opinionis esse addita, quæ in libro Ephesii non inerant.

Refutatio. Refutatus est, quoniam liber prolatus in publicum erat scriptus Comstantinopoli ante sexcentos annos, hoc est, ante controversiam ortam inter Græcos, & Latinos (orta est anno 1054. liber prolatus est anno 1439) quare nō fuit corruptus à Latinis, qui librū nunquam viderant: nec ab aliquo in gratiam Latinorū, cùm nondum esset orta controversia. Liber etiam fuerat allatus ante paucos dies per hominem Græcum, qui ad Imperatorem Græcum venerat. Liber erat immaculatus sine ullo signo mendi, aut manus diversæ.

Deinde in sessione 21. codex Basilii prolatus est à Præsule Mitylenensi (erat ille unus ex Patribus Græcis) & codex Mitylenensis, atque Latinorum omnino consentiebant.

Tertiò, verba subsequentia in Basilio eiusdem sensus paulò post habebantur, sed tamen adiecta sunt nonnulla in codice Ephesii, quæ demonstrēt Basilium fuisse dubitandum, & concessisse ad hominem.

37. Verba in hac authoritate Basilii. *Cur enim necesse est*, &c. *Et omnino ab illa causa dependeat*. consonant cum verbis Basilii in epistola 43. ad Gregorium Nyssenum fratrem, ubi sic ait. *Quandoquidem* *Basil. ad Gr. Nysse.*

dem

dem igitur spiritus, à quo omnis bonorum contributio in creaturam scaturit, ex Filio dependet, cum quo inseparabiliter comprehenditur: esse verò ex Patris causa appensum habet, unde etiã procedit. &c. Vbi quia Spiritus dependet à Filio, & ex causa Patris habet esse, declarat, quòd Spiritus in essendo dependet à Filio, & à Patre.

Illa etiam similitudo, *Nam quemadmodum Filius ordine quidem à Patre secundus est, quoniam ab illo: & dignitate, quoniam origo, atque causa essendi Pater ipsi est,* &c. *natura verò nullo modo secundus, quoniam in utroque una est Deitas: ita videlicet est Spiritus sanctus, & si dignitate, & ordine secundus à Filio est, non tamen verisimiliter alienæ ipsum esse naturæ inde consequetur.* Est similitudo absoluta, quã tamen Ianus Cornarius Basileæ transferens tertium Basilii, mala fide pervertit illis verbis. *Ita nimirum & Spiritus sanctus, etiamsi sequitur Filium & ordine, & dignitate: (ut omnino etiam concedamus) non tamen verisimiliter* &c. Hãc parethesim adiunxit scilicet mali corvi, malũ ouum. Maluit enim hæreticorum librum sequi, & pro eis loqui, quàm veram lectionem catholicorum adiungere, aut tanquam indifferens translator de utraque lectione monere lectorem.

Ianus Carrarius infidus interpres

Basil. ad Gr. Nyss.

38. Verùm ad refellendã accusationem Ephesii, & ostẽdendum Latinorum librum fuisse incorruptum, potentissima ratio est, quam affert Bessarion in epistola de successu synodi Florentinæ ad Alexiũ Lascarim, quam supra citavimus. Oportunum autem mihi videtur hoc loco, totam hanc rem ex Bessarione transcribere. Non est prolixitas, ubi certa ex prolixitate nascatur utilitas. *In illo*, inquit, *itaque dogmatico sermone ex Orientalibus dumtaxat Doctoribus, volens huius quæstionis veritatem probare, unam quandã authoritatem Beati Basilii, quæ sola omnibus aliis, quo ad propositum ostendendum antecellit, omisi: propterea quòd ab aliquibus dubitabatur, an esset Beati Basilii, non quia ego quoque aliquid dubii de ea habuerim. minime: sed quia apud alios dubitabatur, nolui dubio uti. Hæc autem est, quæ in tertio contra Eunomium suorum librorum Beatus ille usus est. Cur enim necesse est, inquit, si ordine, ac di-*

Prolixitas utilis non est prolixitas.

Bessarionis Epistola ad Lascarim.

dignitate tertius est Spiritus, natura quoque ipsum tertium esse: dignitate nanque ipsum secundum esse à Filio, cùm ab ipso esse habeat, et ab ipso accipiat, & annunciet nobis, & omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit. Hoc igitur omisimus in dogmatico nostro sermone ponere. Ita verò ego certò teneo Sancti Basilii hanc esse authoritatem: quemadmodum & alios eius contra Eunomium libros: quibus autem rationibus, tu quoque audias.

Nota diligentiã, & fidem Bessarionis.

Cùm in hac synodo nostra, sex inter nos volumina huius operis contra Eunomium haberemus, quatuor in membranis antiquissima, quorum tria quidẽ Mitylenensis Archiepiscopi erant: quartum Latinorum: duo verò in papyro; quorum unum Serenissimi erat Imperatoris, aliud Reuerendissimi Patriarchæ: quod à Monasterio Xanthopulorum commodo accipiens, secum portaverat: horum, inquam, sex voluminum, quinque ita habebant hanc authoritatẽ, uti ego nunc allegavi, videlicet, quod ab ipso, hoc est, Filio habeat esse, videlicet Spiritus: & ab ipso tanquam à causa dependeat: unum verò dumtaxat quod videlicet apud Patriarchã erat, hac authoritate carebat, in quibusdam partibus eius diminutum, in quibusdam superabundans, prout corruptoris, quicunque ille fuerit, mens, & manus voluit. Deinde post celebratum sanctum concilium, & nostrum ad Vrbem Constantinopolitanã reditum: cùm proposuissem omnes illorum sacrorum locorum bibliothecas: tùm huius libri Sancti Basilii, tùm aliorum gratia inquirere; quæcunque nova volumina reperi, post hanc contentionem scripta, omnia manca prædicta authoritate reperi. Quæcunque verò antiquiora erant, & antequam hoc bellum oriretur, scripta, hæc verò sana, & integra cum authoritate prædicta manent, quæ non pauciora sunt, quàm illa, quæ passa fuerant corruptionem.

39. In quibus etiam aliquid reperi, quod & plangendum simul & mirandum est. Mirandum quidem, si quis volens adhæret falso, ipse aliud fingens, & præsertim veritatem cælando, cùm intellectus naturaliter veritatem habeat pro obiecto. Plangendum verò, quod aliqui sint ita fidei veritatem parvifacientes, sine qua est impossibile hominem saluum fieri, ut non solùm eius investigationem contemnant, verùm etiam cùm clarè appareat, eam calare, operire, atque

atque pervertere conentur. Hoc, autẽ tale, quid erat; uno cũ aliis duos etiam quosdam libros Beati Basilii offendi apud Monasterium Christi Salvatoris Pandepopti: unum in pergameno antiquissimum, ut videbatur. Quanti verò temporis, ignoro: non enim erat annus inscriptus. Aliud in papyro ante tercentos annos scriptum: erat enim in fine tempus notatum: ex quo certè habetur tantum tẽporis præteriisse ab eius initio. Et libri adhuc extant: nisi postquam eos publicaverim, è medio sublati fuerint, ab illis, qui omnia contra suam ipsorum salutẽ machinantur. Hæc ambo uti nos allegavimus, habebant sancti Doctoris authoritatem inscriptam. Quidam autem animi audacis, audacioris etiam manus, à membranis quidem veritatem delevit; quanquam nihil ei temeritas profuit: cùm & locus vacuus manens, & syllabarum medietates adhuc existentes, & illius audaciam accusẽt, & veritatem nihilominus ostendant. In papyreo verò volumine, atramento perfuso, totam illam partem operuit, qua dicitur, Ab eo, scilicet Filio, Spiritum habere esse, & ab eo, tanquam à causa dependere. At post aliquot annos cùm hic liber in manus incidisset illius sapientissimi viri Demetrii Cydonii, authoritas prædicta redintegrata est: ille enim eam propria manu in margine illius libri ascripsit, & audaciam corruptoris, dignè reprehendit. In tantam insaniam, tenebras, & ignorantiam nostros homines pepulit eorum contentio. Deinde dicere audent, quòd Latini, nostrorumquè Veccus, & alii, qui Latinos sequuti fuerint, libros corruperint. Præsertim cùm hæc authoritas tantum ornatum, tantam gratiam, & eloquentiã Atticam præseferat, ut non modò Latinos aliquid simile cum tanta gratia in lingua peregrina, & Græca non posse componere, sed neque Græcos quidem, præter ipsum Basilium (credo) Latinis etenim lingua propria, genera dicendi à nostris diversa impedimento sunt, nè aliquid ita ornatè in nostra lingua conscribant: quemadmodum etiam nostris impossibile est, aliquid æquali gratia, & ornatu, atque Latini in lingua Latina scribere: quantuncunque vel Græci in Latina, vel Latini in Græca lingua profecerint. Cuius rei tùm ego, tùm alii de nostris digni sumus testes, qui Latinam ultra quam mediocriter intelligimus linguam; nil tamẽ quod

Demetrius Cydonius.

ornatum, Latinequè compositũ scribere possumus. Clarè itaque patet his, qui modum dicendi, stylum, eloquentiam, & alia iudicare sciunt ipsius Basilii, & eius limatæ linguæ hanc authoritatem, & nullius alterius esse. Præterea cùm Veccus paucis ante annis fuerit, libri verò multò eo antiquiores sint, falsam hanc accusationem esse, & vanũ refugium probant.

40. Item, hoc idem aliunde probatur. Vir quidam apud Latinos maximè reputationis, Vgo nomine, antiquus, & longè ante tempora nostra (preteriti namque sunt ferè trecenti anni, ex quo fuit) is cùm de processione Spiritus sancti scriberet, hanc etiam authoritatem B. Basilii ad hanc conclusionem probandam inducit. Hoc autem non Latinè scriptum videns dico. Verùm Grecè apud Constantinopolim in quodam libro Greco non ipsius Vgonis, sed cuiusdam Nicetæ Archiepiscopi Thessalonicensis, qui ipsi Vgoni contradicit. Quanquam ipse Thessalonicensis idẽ cum Latinis sapiebat, quòd enim Spiritus sanctus ex Patre, Filioque procederet, credebat; contendebat verò, ut vulgo dicitur, de umbra asini, neque ipsum verum asserens licere symbolo addi: rem magnę profectò devotionis, & sapientiæ: ac si diceret, non oportere veritatem publicè prædicari. Hæc autem longius enarravi, volens probare, fuisse quidem corruptionem in libris: fuisse verò non à Latinis, & illorum sequacibus, verùm è contra à contendentibus cum Latinis, corruptionemquè non per additionem solùm, sed interdum per minutionem factã fuisse: ita ut nullus amplius possit Veccum, & similes accusare; cum libri multò ante, quàm fuerit Veccus, veritatem clarè probarent. Et hęc quidem à tempore ita indubia, & vera sunt signa: ab ipso etiam genere dicendi & suavissimo, & ornatissimo stylo patet, nullius alterius, quã Basilii debere credi istam authoritatem esse.

Vgo Latinus.

Niceta Græcus

41. Hæc ex Bessarione relata sint: qui deinde authoritatem S. Basilii citatam exactè declarat, & ostendit in codice Græcorum novello plura esse detracta, vel addita, ut apud ipsum legere est.

Hactenus Bessario.

Ego in hac parte noto Marci Ephesii minus sinceram, & disputationem, & intentionẽ: qui cùm quinque codices cerneret integros cum hac authoritate: unum, qui authoritate carebat, protulit: sanè quinque testes contra unum præ-

Ephesii actus.

va-

valent. Verùm & sinceritas Præsulis Mitylenensis, qui suum codicem produxit in concilio Florentino; & diligẽtia Bessarionis in codicibus requirendis, mirè veritatem aperit iis, qui ad veritatem oculos non spontè claudunt.

42. Idem Basilius lib. 5. in Eunomium cap. 11. car. 356. *Quod sicut Filius ad Patrem se habet, ita spiritus ad Filium*. Hunc titulum probans scribit. *Et propterea Dei quidem Verbum est Filius. Verbũ autem Filii, est spiritus. Nam qui fert, inquit, omnia Verbo potentiæ suæ*. Ex hac authoritate colligimus expresse, quòd Spiritus est Verbum Filii, & probatur ex Apostolo dicente de Filio ad Hebræos 1. *Qui fert omnia Verbo virtutis suæ*, Si ergo Filius Verbo suo fert omnia: iam Filii Verbum nullum aliud est, nisi Spiritus sanctus. Et subdit Basilius. *Quandoquidem Verbum est Filii per Deum*. &c. *Gladium, inquit, Spiritus, quod est Verbum Dei*. Tunc argumentor. Verbum producitur ex illo, cuius est Verbum. Sed Spiritus est Verbũ Dei Filii; ergo Spiritus producitur ex Filio. Maior patet, quia nisi illa cõcedatur, nõ cõcedemus Verbum Patris ex Patre produci.

Ephes. 6.

Spiritus est verbũ Filii, & procedens ex ore Filii.

Sed tunc nascitur dubitatio contra Basilium, quoniam si Spiritus est Verbum Filii; & Verbum est Filius dicẽtis: ergo Spiritus est Filius Filii.

Respondet statim Basilius cap. 12. quærens, cur Spiritus non sit Filius Filii, in hæc verba. *Non equidem quòd non sit ex Deo per Filium, sed ut non Trinitas putetur esse infinita multitudo, quæ suspecta sit filios ex filiis habere, quemadmodum in hominibus videre est.*

At dicis. Si Dei quidem imago est Filius, Filii autem Spiritus: cur non Filius Filii Spiritus dictus est? Hoc enim velut fortissimo ad impietatẽ usus es. Aut enim Filium, aut creaturam intelligere iubes.

Obiectio Eunomii.

Ad hoc Basilius probat, Spiritum non esse alienum à nomine Dei, non esse alienum à nomine Filii. *Si tu per Spiritũ Filius Dei es, quomodo Spiritus alienus sit ab eo, quod sit Filius? Si tu per Spiritum Deus, quomodo Spiritus alienus fuerit à Deitate?* Consonat hæc doctrina cum dictis in capite primo eiusdem libri, ubi ex eo, quòd Spiritus facit filios adoptivos, probat Spiritum esse Filium, dicens. *Spiritus autem libertatem præbet, & adoptionẽ.*

Responsio S. Basil.

Spiritus est Filius & Deus, quo pacto.

Nam spiritus clamat in cordibus nostris, Abba, Pater: quare non est seruus, sed Filius.

Rursus opponit cum Eunomio. Si est Filius, quare non suscepit in scriptura nomen Filii?

Replica Eunomii.

Respondet ad hominem primò, sed non est ad rem nostram. Deinde ad rem, quòd licet Spiritus sit Filius, in scriptura tamen non est dictus Filius ex Filio, ne daretur occasio credendi, quòd Trinitas in infinitum multiplicetur. Ea propter in capite decimo tertio docet, nec Filium, nec generationem propriè esse in Deitate, sed ex humana similitudine; similiter & spiritus appellationem ex similitudine esse. Non oportuit autem eadẽ similitudine ambas productiones diuinas manifestare. Sed alia similitudine secunda productio manifestata est, alia similitudine prima productio. Ideò Spiritus non est dictus Filius.

Responsio Basilii.

Generatio, & spiratio ex similitudine in creaturis, non ex proprietate, scilicet propter dissimilitudinem.

44. Cõsonat eidẽ doctrinæ in capite septimo ibidem. *Quomodo in te clamabit Abba Pater, si non reuera est participatio ex Filio?* Spiritus sanctus non est participatio ratione essentiæ ex Filio, si non habet essentiam à Filio. Et si nihil ab eo habet, nihil participat, quia nullam partem capit. Poterat Basilius uno vocabulo totam rem expedire. Quæris, cur Spiritus non sit Filius Filii? Respondeo, quia non est productus ex Filio, & erat breuissima responsio, si Basilius credidisset, quòd Spiritus non esset productus ex Filio, sicut Verbum producitur ex loquente. At Basilius concessit, quòd Spiritus est imago, est Verbum, est Filius Filii: atque adeò, quòd sit productus à Filio, & propterea talem responsionem non dedi, quæ erat expeditissima. Non, inquam, dedit eam, quia veram esse non credidit.

45. Ex Africa quoque tres afferendi sunt. Primus est S. Athanasius Alexandrinus in symbolo fidei, dicens. *Spiritus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus sed procedens.* Aduersarii in concilio Florentino, teste Gennadio Scholario, qui eidem concilio interfuit, dixere, Athanasium fuisse ebrium, quãdo ista scripsit. Sed ego malo esse ebrius cum Athanasio, quàm sobrius cum Marco Ephesio. Mirabile verò est, ut totum symbolum à sobrio fuerit scriptum: hæc sola vox, *Ex Filio*, ab

S. Ath.

ab ebrio.

Nunc autem alia responsio affertur, quoniam in symbolo Græco Athanasii deleta est particula, *Ex Filio*, ut appareat aduersarios scire quidem Patrum sententias, sed eas nolle. Verùm si conferatur versiculus de Filio cum versiculo de Spiritu, facillimè innotescet fraus vocis deletæ. De Filio sic ait. *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus*. De Spiritu ita. *Spiritus sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Cur in versiculo de Filio dixit *à Patre solo?* Nonne si de spiritu ita credidisset, *Spiritus à Patre solo*, dixisset?

Vide sup. quæst secunda car 113 cap. 10. Secūda responsio aduersariorum. Refutatio secūda. Cur in symbolo Filius à Patre solo? quia Spiritus à Patre, & Filio

Cæterùm quia de Spiritu erat dicturus cum associatione à Patre, & Filio: ideò de Filio loquens, excludit associationem dicens, *Filius à Patre solo*. Solus enim est idem, quod nō cum alio; producitur à Patre Filius non cū alio producēte: producitur Spiritus à Patre non solo, sed cum Filio comproducente.

46. Idem Athanasius in epistola ad Serapionem scribit *Si quos videas cum Elia volantes per aera, & cum Petro, & Moyse calcantes maria: nisi Spiritum sanctum profiteantur Deum essentialiter ex Deo Filio existentem: sicut & Filium naturaliter Deum genitum essentialiter ex Deo Patre existentē, ut nos profitemur, nō eos recipias*

Athan. Bellar. col. 366

Dydimus item Alexandrinus libro secundo de Spiritu sancto, præter authoritatem superius allatam, scribit. *Spiritus quoque sanctus, qui est Spiritus veritatis, spiritusquè sapientiæ, non potest Filio loquente audire, quæ nescit: cùm hoc ipsū, sit quod profertur à Filio, id est procedēs à veritate, cōsolator manās à cōsolatore, Deus de Deo Spiritus veritatis procedēs*. Et infra. *Siquidē & Filius eadem à Patre accipere dicitur, quibus ipse subsistit. Neq; enī quid aliud est Filius, exceptis his, quæ ei dantur à Patre: neque alia substantia est Spiritus sancti, præter id, quod ei datur à Filio*.

Didymus.

47. Tertius sit S. Cyrillus in lib. secūdo de recta Fide ad Reginas cart. 301. *Referenda igitur viuificatio, & valde meritò, non ipsi corporis naturæ, licet factum sit proprium Verbi ex Deo nati, sed summæ virtuti, ac naturæ, quæ super omnē creaturam, ut in persona Dei, & Patris, ex quo prodiit Filius æqualis, & similis ei per omnia: procedit autem ab ambobus etiam* vi-

S. Cyrillus ad Reginas.

viuificator spiritus.

Verùm S. Cyrillus legendus est in toto libro decimo tertio, & decimo quarto Thesauri, in quibus libris frequenter, & disertè asserit Spiritum ex Filio, & ex substantia Filii esse.

Cyril. in 13. Thes. In decimo tertio, capite primo ait. *Necesse est omnino cōfiteri, Spiritum sanctum ex substantia Patris, & Filii esse; totamquè ipsius virtutem, & operationem habere.* Vbi aduerte constructionem illam, ex substantia Patris, duo dicere, primò consubstantialitatem ratione ablativi, secundo originem ratione genitivi. Sic aduersus Arianos dicimus, Filium esse ex substantia Patris. Sic Cyrillus aduersus Eunomianos, & Theodoritanos asserit spiritum esse ex substantia Patris, & Filii.

Et in eodem capite. *Ipse spiritus contestatur spiritui nostro, quia sumus Filii Dei. Nam quia ex substātia Filii est, ideò Christus largitur ipsum sanctis hominibus.*

48. Plurimæ sunt authoritates Cyrilli pro veritate catholica. Sed ut earum efficacitas magis appareat, necesse est distinguere constructiones duas istius præpositionis *Ex*. Vel enim significat *constitutionem*, vel significat *productionem*. Cum dicimus, Homo constat, vel est ex anima, & corpore; præpositio *Ex*, est nota materiæ, & formæ, hoc est, internę substantiæ, è qua constituitur homo. Cùm dicitur, Homo est *Ex* Patre, ut Seth ex Adamo, particula *Ex* denotat causam productivā. Ita quoque in divinis; Si dixeris, Pater est ex essentia, & paternitate, particula *Ex* indicat constitutionem; si dixeris, Filius est ex Patre, particula *Ex*, innuit principium producens, sive causalitatem, ut Græci loquuntur.

Præpositio Ex bifariā constructa, & distincta significet

Possent subterfugere aduersarii authoritates Patrum, accipientes particulam *Ex*, ut significat consubstantialitatē, non ut significat causalitatē: Ideò in authoritatibus Cyrilli, & aliis citatis vigilāter attendere debemus, an loquantur de constitutione, an de causalitate. Et in præcedente authoritate ex libro ad Reginas, loquutio est expresse de processione, quę non potest intelligi de constitutione. Sic citata ex libro decimo tertio Thesauri capite primo, loquitur tàm de consubstantialitate, quàm de origine, illam in abla-

Applicatur distinctio.

ablativo, hanc in genitivo exponens.

49. In decimo tertio Thesauri cap. 2. *Quoniam igitur unus est Dominus Iesus Christus, ut ipse Paulus ait: & quoniam Spiritum sanctum Dominum similiter appellat; nullam certè differentiam essentialem Filii, & spiritus novit. Et ideò Spiritum sanctum Dominum similiter appellat, sicut ex ipso Filio, & in ipso naturaliter existẽtem?* Pro qua re obseruo, quando nos distinguimus in Theologia aliquid ad intra, aliquid ad extra: Sanctum Cyrillum nõ esse usum vocabulo *ad intra*, sed vocabulo *ad extra* usus est, & ei opposuit particulam *in ipso*, ut clarissimè cerni potest in 13. Thesauri cap. 1. diffusè, & primo Thesauri cap. 5. & sæpiùs. In hac autem authoritate nunc citata, dicit *Spiritum ex ipso Filio*, & *in ipso* naturaliter existentem: dum dicit *in ipso* significat consubstantialitatem ad intra: dum dicit *ex ipso*, significat productionem, non constitutionem, quia una persona non constituitur ex altera, cùm persona sit incommunicabilis.

Predicatũ ad intra, & ad extra.

In eodẽ 13. Thesauri cap. 2. *Sic Filium quidem Dei ex ipso, & in ipso Patre naturaliter esse intelligimus. Ex Filio autem naturaliter, ac essentialiter Spiritum sanctum, sicut ex Patre prouenire credimus.* Similiter ergo est spiritus consubstantialis, & productus à Filio, sicut Filius à Patre.

In eodem capite. *Si ergo à Sp. sancto in Apostolatũ vocatus, à Iesu Christo vocatus dicitur: manifestè probatur, Spiritus sanctus non esse alienus à substantia Filii, sed* esse *in ipso*, & *ex ipso*, sicut *operatio quædam naturalis in propria hypostasi: & ideò omnia facere posse, quæ vult, sicut & Filius.*

50. In 14. Thesauri 3. *Quare necesse est concedere Spiritum sanctum consubstantialem Filio esse: Nam quia ex ipso naturaliter est, ab ipso etiam ad creaturas missus, renovationem facit: Sanctę nanque Trinitatis ipse complementum est. Deus ergo, & de Deo est, & non creatura.*

In hac authoritate Cyrillus probat, Spiritum esse consubstantialem Filio, quia ex Filio naturaliter est, & etiam quia ab ipso missus ad creaturas, renovat eas. Sunt duo medii termini, primus, quia est *ex Filio naturaliter*, ergo

est

est consubstantialis Filio. Si particula *Ex* significaret consubstantialitatem, non causalitatem, probaretur idem per idem cum petitione principii. Secundus est ab effectu. Quorum est communis operatio, scilicet renovatio creaturæ, eorum substantia communis est, & eadem. Legantur item authoritates Cyrilli in libro de cultu in Spiritu, & veritate ad Palladium car. 151. fac. 1. Et in septimo de Trinitate ad Hermiam car. 139. fac. 2. & car. 143. fac. 2.

51. Post citatos Patres ex continenti, citemus ex insula Cypro sanctum Epiphaniũ, cuius plures authoritates claras, & præclaras Bessarion, Gennadius, Coccius afferunt, ego una, vel altera contentus ero. Ex Ancorato. *Vita est totus Deus. Igitur vita ex vita est Filius: ego enim sum, inquit, veritas, & vita. Spiritus autem sanctus ab utrisque, Spiritus ex Spiritu.* Et in Ancorato col. 935. *Dicit igitur B. Petrus ad Ananiam: quid tentavit te diabolus, ut mentireris Spiritui sancto? Et ait, Non es mentitus hominibus, sed Deo. Ergo Deus est ex Patre, & Filio Spiritus, cui mẽtitus est ille, qui de pretio aliquid detraxit.* Idquè creberrimè ab Epiphanio scriptum est. Porrò Bessarion affirmat, Cyrilli, & Epiphanii authoritates nullã calumniã pati. His Patrum Græcorum authoritatibus acquiescẽtes, quæ ex authoritatibus Patrũ Græcorum contra nos Theodoriti sequaces afferunt, perpendamus.

S. Epiphan.

CAP. V.

Argumenta, ex Patribus Græcis obiecta, soluuntur.

52. Longè aliter catholici procedunt arguendo, quam Theodoritani. Catholici afferunt authoritates Patrum positivè dicentes, quòd Spiritus habet esse ex Filio, vel à Filio, & procedit à Filio, atque est ex substantia Patris, & Filii. Theodoritani nullas afferunt authoritates Patrum directas, qui vel dicant hanc negativam, *Spiritus non procedit ex Filio*, vel *nõ est à Filio*: aut qui impugnent affirmativam, *Spiritus est ex Filio*, vel *procedit ex Filio*. Cùm tamen Patres Græci egregiã habuerint occasionem id faciendi

Nullus Patrũ asserit negativam Theodoriti, nullus impugnat affirmativam Cyrilli.

ciendi, si id facere eis per veritatem licuisset. Cùm enim Semiariani dicerent, Spiritũ à Filio esse productum, & causatum: quæ tanta negligentia catholicorum Patrum fuit, ut non reprobarent affirmativam hæreticorum, vel saltem sine probatione non proferrẽt negativam? quod magno argumento est, Patres credidisse illam, *Spiritus est productus à Filio, vel causatus à Filio*, ut verè orthodoxam, & propter hoc non impugnasse.

53. Quid ergo proponunt aduersarii? Proponunt indirectas quasdam Patrum sententias, ex quibus per consequentiam extortam, conantur suum propositum probare.

Primũ argumentũ ex S. Diony. Primum argumentum est è Sancto Dionysio Areopagita de divinis nomin. cap. 2. *Solus fons supersubstãtialis Deitatis Pater est*, Ergo Filius nõ est fons Spiritus sancti.

Responsio ex Divo Augu. Fõs nõ de fõte, et fons de fõte. Respondetur cum Divo Augustino tertio contra Maximinum cap. 23. duplicem esse fontem, alter est fons principalis, quia non de alio fonte: alter est fons de fonte. Si ait super illud Psalmi, *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Hoc est, in Filio tuo Spiritum sãctũ,* *Ps. 35.* *quem tu quoque esse illuminatorem in collationis nostræ prima parte professus es. Fons ergo de fonte, Filius de Patre, & simul ambo fons unus: lux de luce, Filius de Patre, & simul ambo lux una: sicut Deus de Deo, & simul ambo utique Deus unus, & hoc totum non sine spiritu amborum ex hoc fonte vitæ.* *Alloquitur Augu. Maximinum* In hoc sensu 15. de Trinitate cap. 17. dicit Patrem esse, de quo principaliter procedit Spiritus sanctus, quia & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, &c.

S. Ath. Gen. rad de process. Spiritus sancti car. 40. In eundem sensum S. Athanasius in libro aduersus Arianos enarrans eundem Psalmi versiculum, Apud te est fons vitæ. *Sciebat*, inquit, *Pater videlicet, apud se habens Filiũ fontem Spiritus sancti*. Basilius libro secundo contra Eunomium. *Quid dicemus? Quod boni Patris bonus est Filius, ex lumine verò ingenito lumen effulsit sempiternum: & ex verè vita vivificans profluxit fons.* *S. Basil.* Et rursus. *Idem fons vitæ Filius, nam ad Patrem dicit David, Apud te est fons vitæ. Et rursus alter propheta de Iudæis dicit, Me dereliquerunt fontẽ aquæ vivæ: Viva verò aqua Spiritus sanctus appellatur.* S.

S. Epiph. Epiphan. in Ancorato colum. 944. *Iudex ille vivorum, & mortuorum, qui sapientia est ex sapientia, qui fons est ex fonte, fluuius ille perpetuus, qui exhilarat suo cursu civitatem Dei, quo ex fonte prodiit, &c.*

S. Aug. 54. Ergo fons principalis est Pater solus, sicut & Augustinus 4. de Trinit. cap. 20. dixit, Patrem esse principium totius Deitatis, quia scilicet habet duas conditiones principii, videlicet indepēdētiā, & universalitatem: indepēdētiā, quia non de alio: uniuersalitatem, quia est principium omnium productorum, sive ad intra, sive ad extra. Sic solus Pater est fons. Deinde fons secundò ad intra est Filius respectu Spiritus sancti, & etiam respectu omnium ad extra. Spiritus sanctus est fons respectu eorum, quę sunt ad extra tantummodo. Dionysius loquutus est de fonte primo.

Pater principium totius Deitatis. Conditiones principij.

Secundum argumentum ex Nazianze. 55. Secundum Argumentum. S. Gregorius Nazianzenus in oratione ad Episcopos ex Aegypto. *Omnia, quæ habet Pater, habet etiam Filius, excepta causalitate.* Ergo causalitas respectu Spiritus non convenit Filio.

Respondetur à Cyrillo Respondetur. S. Cyrillus in declaratione noni capituli exposuit sententiam Nazianzeni dicens. *Etsi unigenitum Dei Verbum homo factum est, mansit tamen Deus, omnia, præter solam paternitatem, cum Patre æqualia, & communia habens. Vnde Spiritum sanctum, qui ex ipso est, ipsique essentialiter inest, tanquam proprium peculium possidens, divinę potentiæ signa operabatur.* Quod solam causalitatem dixit Nazianzenus, solam paternitatē dixit Cyrillus: statim inferens, quòd cætera omnia Pater, & Filius communia habent, etiam ipsam spirationē activam, ut propterea ex Filio sit Spiritus procedens.

Secūda responsio 56. Posset etiam dici, *Causalitas* esse ipsa primitas in causando, cuius primitatis duæ sunt conditiones, altera *independentia*, quia non ab alio, altera *universalitas*, quia causa omnium. Secundum has duas conditiones, causalitas est in solo Patre, & solus Pater dicitur habere authoritatem in spirando, Filius habere subauthoritatem ex Divo Bonaventura 1. dist. 12. num. 9. & 10. Itidem S. Bonaventura 1. dist. 27. num. 13 & dist. 29. num. 1. affirmat solum

Primæ causalitatis est indepēdentia, universalitas.

D. Bon.

Fontalis plenitudo in solo Patre.

lum Patrem habere fontalem plenitudinem ratione primitatis, Filium non habere. Atque in hoc sensu mihi videntur Dionysius, & Nazianzenus loquuti.

Dionysius in primo Naz. in secundo argumento explicatur.

Cæterùm prima causa secũdam non excludit, nisi velimus dicere, quòd in Filio, & in Spiritu sancto non sit causalitas respectu creaturarum, quod est hæreticum.

Non ergo Dionysius, & Nazianzenus negant causalitatem, vel fontalitatem quovis modo in Filio, ac Spiritu sancto, sed primitatem causalitatis, quæ intelligitur, dum profertur causalitas præcisè.

Tertiũ argumentum ex Theophilacto, & Euthymio. Responsio.

57. Tertium Argumentũ. Obiiciunt Theophilactum in Ioannem, & Euthymium, qui reprehendunt Latinos dicentes Spiritum ex Filio.

Respondetur. Isti duo scripserunt revera post exortam controversiam, quapropter authoritatem non habent. Quibus si opponamus Patres Latinos post dissidium exortum, planè exercitum copiosum contra illos proponemus, ut Sanctos Anselmum, Bernardum, Thomam, Bonaventuram, aliosquè plurimos Qua in re animaduerto, duos fuisse doctores Græcos Theophilacti nomine: alter floruit sub Basilio Imperatore Græco circa annum Domini 880. & hic Theophilactus fuit factus primus Bulgarorũ Archiepiscopus à Sancto Ignatio Patriarcha Constantinopolitano sub Adriano secũdo. Gregorius de Valentia tomo primo col. 686. putavit istum Theophilactum contra Latinos scripsisse, sed non est ita. Alter fuit circa annũ 1071 sicut robustè Baron. probat, & iste contra Latinos scripsit.

Theophilactus æquivocè duplex. Theophilactus Bulgarorum Episcopus. Greg. de Val. Theophilactus posterior. Baron.

Quartũ argumentum ex S. Basil.

58. Quartum Argumentum. S. Basilius 5. in Eunomium cap. 13. *Generat Deus, non ut homo. Generat autem verè, & genitura ex ipso est Verbum, non humanum: edit autem Verbum verè ex seipso, & emittit per os, non velut spiritum humano more, quia neque os Dei corporale est: ex ipso tamen spiritus, non aliundè. Operatur Deus manibus non corporalibus. Operatur autem non ex seipso producens creaturas, sed per operationem sufficiens: quẽadmodum manibus operans homo, non ex seipso producit opus.* Ex hac authoritate patet, quod ex ipso Deo, scilicet Patre, Spiritus est emissus, non aliundè: ergo non ex Filio.

Respondetur. Basilius facit

Respõsio ad quartũ. cit comparationem inter Deũ operantem ad intra,& operãtem ad extra: dum Deus emittit ad intra Verbum ex seipso, & spiritum ex seipso, ibi sunt duæ habitudines, una ad Deũ emittentem, & est causalis: altera ad id, *ex quo* constat Verbum, vel spiritus emissus, & est consubstantialis. Deus ergo producens Verbum, ex seipso, non ex nihilo, nec ex aliena substantia producit, & ita non aliundè. Similiter dico de Spiritu sancto, quamuis B. Basilius in hac sententia de Spiritu sancto minimè loquatur. Quando autem Deus ad extra producit creaturas, servatur habitudo causalis, Deus quippe illas effectivè producit: non servatur habitudo consubstantialis, quia non *ex se ipso*, sed *aliunde*, id est, ex aliena substantia producit eas. Dat exemplum Basilius in homine manibus operante, ipse etenim homo producit opificium suum, & in opifice seruatur habitudo causalis: at opifex homo non efficit statuam, aut lectum ex seipso, sed aliunde, id est, ex aliena substãtia, putà ex ære, vel ligno. Iamque apparet discrimen divinarum productionum ad intra, & ad extra,

Deus operans ad intra, & extra, quo discernatur.

Verbũ non ex nihilo, nec aliena substantia à Patre

quoniam idem Deus Pater producit & ad intra personas, & ad extra creaturas. Cæterùm creaturas producit quidem, at aliunde, id est, ex aliena substantia: non ex seipso, id est, ex propria substantia; personas autem divinas producit non aliunde, sed ex seipso, sive ex substantia propria.

Producit Deus personas ex se, creaturas non ex se, sed aliunde

59. Cũ igitur arguitur, Pater producit Verbũ aut Spiritũ ex seipso, id est, substãtia sua, nõ aliunde, nẽpe nõ ex substãtia aliena; ergo producit ex persona sua, non ex aliena hypostasi; Mutatur habitudo consubstantialis in causalem, & committitur fallacia accidentis, atque æquivocationis. Quanquam etiam verum sit, quòd Pater producit Spiritũ sanctum, & Filium ex persona propria, non aliena: sicut & Filius ex persona propria, non aliena producit Spiritum. Si autem in loquutione passiva loqui velis, & intelligere dictum de Spiritu sancto illud, *Ex ipso autem spiritus, non aliũde,* Expone locum secundum habitudinem consubstantialem sic: Spiritus est ex ipsa substantia Patris propria, non aliunde, nimirum non ex aliena substantia. Si etiam (& si minus verè) id placet expone-

Applicatio ad Argumentum.

Aliter respondetur.

re

re non de habitudine consubstantiali, sed causali: atque intelligas Spiritum ex ipso Patre, id est, ex persona Patris emitti, non aliunde; sic exponito. Spiritus ex persona Patris est, non aliunde, hoc est, non ex alia persona, quoniam Pater producit à se, non ab alio. Quo pacto Spiritus non est ex Filio, siquidem Filius non producit spiritum à se, neque Spiritus est ex Filio, ut ex se, sed aliunde, id est, ex Patre, nam quod Filius spiret, aliunde habet, id est, à Patre, siue ab alia persona, quæ est Pater.

Pater spirat ex se Filius aliūde nō ex se.

60. In hac responsione dedimus, in authoritate citata Sancti Basilii, per Spiritum intelligi, Spiritum sanctum. Quod non est dandum. Vult enim Basilius generationem divini Verbi secernere a generatione humani Verbi.

Declaratur lares Basilii.

Primò dicens. *Generat Deus non ut homo,* &c. in hoc assignat discrimen ex parte generantis, & ex modo proveniente à generante.

Secundò. *Generat autem verè, & genitura ex ipso est Verbum non humanum.* Hic distinguit genitum, quia Verbum divinum est distinctum à Verbo humano: quæ differentia est ex parte geniti.

Tertiò. *Edit autem Verbū verè ex seipso, & emittit per os, non velut spiritum humano more.* Quibus verbis ponit considerationes duas: prima est in substantia, ex qua est Verbum: secunda est in principio productivo, per quod producitur Verbum. Atque opponit Verbum divinum emissum per os Dei spiritui humano emisso per os hominis, statimque reddit rationem discriminis pertinentem ad principium productiuum: quoniā Dei os, per quod emittitur Verbum divinum, non est corporale: os verò humanum, per quod emititur spiritus hominis, est os corporale.

Subdit in ista comparatione Verbi diuini, & Spiritus humani, hac verba Basilius. *Ex ipso autem spiritus, & non aliunde.* quo loco spiritus non refertur ad Spiritum sanctum, de quo nec ante, nec post quicquam dicitur: sed refertur ad spiritum humanum, qui ex ipso homine, siue ex ore corporali hominis egreditur, & non aliunde: quandoquidem ex ipso homine, hoc est, ex substantia hominis interna, emittitur spiritus, non aliunde, id est, non ex aliena substantia,

quo-

quoniam per attractionem ipſius aeris inſpirati, ſubſtantia aeris, ſiue ipſius ſpiritus, eſt propria, & interna homini facta. Atque in hoc eſt ſimilitudo inter Verbum diuinum, & ſpiritum humanum: ſicut enim homo ex ſeipſo per os corporale emittit ſpiritum, ex ſeipſo, inquam, nempe ex ſua ſubſtantia interna: ſic Deus Pater, ex ſe emittit Verbum, nempe ex ſua ſubſtantia interna, non ex aliena ſubſtantia. Qua expoſitione data (& niſi fallor) genuina, nil habetur in hoc textu Baſilii, de perſona Spiritus ſancti, ſiue quo ad cauſale, ſiue quo ad conſubſtantiale.

Quintũ argum. 61. Obiiciunt Damaſcenũ quoque; ſed illius authoritas iam ſuperius eſt conſiderata quæſt. præſenti à num. 10. ad 16. Atque hæc ſunt ex Patribus obiecta.

Rectè Beſſarion ad Laſcarim. *Propoſuimus igitur* (authoritates) *ab ipſis Apoſtolis, & ſanctis ſynodis incipientes, eorumque, atque omnium Orientalium Doctorum uſi, quibus probatur, Spiritum ſanctum, non quidem non procedere ex Filio: talem nanque nullam authoritatem habemus, prout tu etiam ſcis, præter illam Ioannis Damaſceni, quæ dicit, Spiritum Filii dicimus, ex Filio verò non dicimus. Alia verò authoritates omnes hoc probant dumtaxat, quòd Spiritus ſanctus ex Patre procedit, non quod ex Filio non procedit.* Ex qua confeſſione conſtat alias authoritates Patrum contra nos afferri non poſſe, qui concedimus affirmativã, ſpiritus ex Patre procedit, ex qua non ſequitur negativa illa, non procedit ex Filio, neque conſequentia unquam probata eſt: neque ullus Patrum illam negativam aſſeveravit. *Beſſarionis atteſtatio.*

QVÆ-

QVAESTIO QVINTA.

An ex ratione probari valeat Spiritus esse à Filio.

CAP. I.

Rationes ex essentialibus deductæ ad probandum, Spiritum ex Filio esse, afferuntur.

Petrus de Alliaco.

1. PEtrus de Alliaco putavit, nullis rationibus probari posse, Spiritum sanctum procedere ex Filio, sicut nec probari potest procedere ex Patre. Si rationes naturaliter notas intelligat, rectè ait, & sine aduersario. Si rationes super principia revelata fundatas existimet afferri non posse ad hanc veritatem comprobandam, non omnes Theologi consentient. Plurimi nanque rationes ad propositum erigunt, ex quibus etsi aliquæ fortè sint minus probabiles, multæ tamen sunt valde probabiles, & ferè demonstrantes. Oportet autem nos esse promptiores ad corroborandas rationes pro veritate, quàm ad infirmãdas. Sunt tamen quidam ad destruendum nati, qui rationes catholicorum ostendunt esse imbecillas, & contra hæreticos ipsi nullas erigunt. Hi parùm aduersus hæreticos decertant, catholicos decertantes turbãt, hæreticos adiuuãt: neque ipsi pugnant, neque alios pugnare permittunt, sed exarmant pugnatores pro veritate, & veritatem ipsam, quantum in se est, destruunt, vel deserunt. Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Vt autem posse probari, Spiritum ex Filio esse, pateat, erigimus rationes, quas Spiritus sanctus suggerere dignatus est.

Rationes ex naturaliter, vel supernaturaliter notis.

Doctores quidam ad destruẽdũ nati inutiles Ecclesiæ.

2. Prima ratio sumenda est ex essentia divina. Essentia divina est communicativa, & communicabilis: hoc enim est de ratione boni, ut sit sui ipsius communicatiuum: sui, inquam, ut scilicet idem sit cõmunicabile, atque communicatiuum. Essentia verò divina est ipsa ratio boni. Communicatur autem essentia divina æquivocè ad extra, & hoc in tempore: communicatur

Equivocè & univocè communicatur Deus.

tur univocè ad intra, idque ab æterno. Communicatio ad intra duplex, una, qua essentia communicatur Filio: altera qua essentia communicatur Spiritui sancto. Iam verò essentia non est communicabilis ratione relationis personalis, quia relationes personales non sunt cōmunicabiles. Igitur esentia nec est cōmunicativa ratione relationis: quoniā ratio formalis principii communicativi, non potest esse posterior ratione formali termini communicabilis: sed terminus communicabilis est ipsa essentia ratione suæ entitatis absolutæ, ut modò probavimus; Essentia verò est prima radix omnium divinorum: ergo ratio communicativa essentiæ non potest esse aliquid prius, quàm essentia, cùm nihil sit tale: non potest esse aliquid posterius, quàm essentia, quæ est terminus formalis cōmunicabilis; ergo ipsa essentia ratione sui ipsius est communicativa, & communicabilis.

Communicatio ad intra duplex.

Essentia est communicabilis, & communicativa.

Prima radix divinorum essentia.

3. Nunc arguo. Omne ordinatè communicatiuum, primam vim communicativam exhaurit prima communicatione adæquata, secundā vim exhaurit secunda communicatione adæquata, tertiam tertia cōmunicatione, si adæquata esse possit. Sed per primam communicationem non exhauritur secunda vis communicativa, neque tertia: propterea quod Filius, & Spiritus sanctus, hoc dato, non facerent aliquid ad extra: quæcunque enim hypostasis habet vim cōmunicativam exhaustam per communicationem adæquatā, non potest per illam vim ultra communicare, vel facere: quare si per primam communicationem exhauriretur tertia vis, quæ est communicativa ad extra, iam Filius, & Spiritus sanctus ad extra nihil possent facere. Ergo neque secunda vis communicativa exhauritur per primam communicationem, qua essentia Filio communicatur. Igitur in Filio est formaliter, & verè essentia cum secunda vi communicativa, & hæc secunda vis est fœcunda, nō exhausta per primam communicationem: sed hæc secunda vis potest in Patre communicare communicatione adæquata essentiam cōmunicabilem Spiritui sancto: similiter & in Filio potest eadem vis communicare per secundam communicationem adæquatam ipsam essentiam communicabilem Spiritui sancto.

Vis cōmunicativa exhauritur per propriā non per alienā communicationem.

Esse, & Posse ad intra idem. cto. Quare Pater, & Filius habentes secundam vim communicativam non exhaustam unam, & eandem, possunt per secundam communicationem adæquatam unam, & eandem communicare ipsam essentiam communicabilem uni, & eidẽ Spiritui sancto. Quia verò in Deo ad intra posse, & esse sunt idem: fit, ut Pater, & Filius actu communicent per secundã vim communicativam, & per secundam communicationem adæquatam Spiritui sancto essentiam communicabilem.

Spiritus ex substantia Patris, & Filii 4. Secundò sic. Spiritus sanctus est ex substantia Patris, & Filii, ut aduersarii nobiscum tenent. In qua phrasi vel significatur sola consubstantialitas divinarum personarum, vel consubstantialitas cùm origine activa elicita ab illo genitivo, vel consubstantialitas cum origine passiva.

Si primum, id est, consubstantialitas sola significetur, ergo etiam Pater est ex substã tia Filii, & Spiritus sancti, quod nemo dicere debet, si velit esse catholicus.

Si secundum, id est, consubstantialitas cum origine activa ab illo genitivo: iam Spiritus sanctus est consubstantialis, quod significatur per ablatiuum: & est originatus à Patre, & Filio, quod significatur per genitiuum; id quod nos asserimus, ut sicut Filius dicitur esse de substantia Patris, quia est à Patre originatus, ut consubstantialis ei: non dicitur de substãtia Sp. sancti, quia licet sit consubstantialis, Spiritui non est originatus à Spiritu. Ita Spiritus sanctus fit de substantia Patris, & Filii, quoniam ab ambobus originatur, & est ambobus consubstantialis.

Si tertium detur, id est, consubstantialitas cum origine passiva, ergo Spiritus sanctus esset consubstantialis Patri, & Filio; sed Pater, & Filius essent passivè originati à Spiritu, quod est absurdum. Restat, ut secundum membrum sit concedendum, non primũ, nec tertium. Quare spiritus est originatus à Patre, & Filio.

5. Secundò ex principiis productiuis. Cùm enim divina natura sit intellectualis, nõ producit per alias potentias, quàm per intellectuales, scilicet intellectum, voluntatem, exequutivam, seu effectivam: quæ exequutiva, sive effectiva respicit res effectibiles ad extra, & expresse ponitur in symbolo, cùm dicitur, *Factorem* *Natura intellectualis potentia tres.*

 cæli,

cæli, & terræ. Ergo in Deo est potentia factiva. Intellectus autem, & voluntas habent ad intra actus correspondentes, scilicet notitiam, & amorem.

Sco. 1. d. 11. q. 1. Iam argumentor cum Scoto. In quocunque supposito est principium productiuum cum primitate ad actum adæquatum, & sine imperfectione: illud principium potest esse ratio producendi in illo supposito, & ipsum suppositũ potest per illud principiũ formale habitum in actu primo, formaliter producere in actu secundo. Nihil enim aliud requiritur ad actum eliciendũ, quàm tale principium productiuum cum talibus conditionibus. *Quid requiritur ad eliciendum actum secundum* Sed in Patre, & Filio est principium productiuum Spiritus sancti sine imperfectione, & cum primitate ad actum adæquatum; ergo principium productiuum Spiritus sancti potest esse ratio producendi in Patre, & Filio, atq; Pater, & Filius possunt producere actu secundo Spiritum sanctum: ergo producunt, cũ simus in re, quæ est necesse esse, in qua potentia, & actus nõ differunt. *In necesse esse potentia, et actus non differunt.*

6. Minor probãda est quo ad duo: primò quo ad ordinem, quòd productio Filii sit prior, quàm productio Spiritus sancti: secundo quo ad existentiam principii spirativi in Filio pro illo signo priori, naturæ, vel rationis, in quo signo Filius præcedit Spiritum sanctum. *Productio Filii prior productione Spiritus sancti.*

Primum, id est, ordo productionum probatur. Qualis est per se ordo principiorum activorum, si sint perfectè activa: talis est per se ordo productionum elicitarum secundum illa principia; Nam actus secundus sequitur conditionem actus primi. Imo principium secundò actuum non est in potentia proxima ad actum productionis, nisi præintelligatur elicitus esse actus principii primò activi. Nunc autem intellectus fœcundus, & voluntas fœcũda sunt principia ordinatè activa: & in Deo hæc principia sunt perfecta, intellectusquè est actiuus prius, quàm voluntas; ergo in divinis prior est per intellectũ productio notitiæ adæquatæ, quæ est Verbum, quàm per voluntatem productio amoris spirati, qui est Spiritus sanctus. *Maxima Scoti.*

7. Secundum probatur, videlicet primitas in Filio. In quocunque signo intelligitur suppositum in divinis, in eodem

In quo signo est hypostasis divina, in eo habet Deitate, & omnia, quæ Deitati insūt: pro illo signo,

dem signo intelligitur habere essentiam cum omnibus conditionibus essentialibus in ea existentibus; quia non potest vel imperfectè produci, vel productum esse imperfectum, vel non esse perfectus Deus, constans ex essentia, & relatione personali.

Sed Verbum, seù Filius intelligitur prius produci per intellectum in signo naturæ, vel originis, quàm spiritus producatur per voluntatem: ergo Filius in illo signo priori habet essentiam, & essentialia omnia cum suis conditionibus: ex quibus ad rē nostram considero duas conditiones; prima conditio est intellectus ipsius, qui iam præhabet productionem adæquatam: secunda conditio est voluntatis, quæ nondum intelligitur habere productionem adæquatā, sed habere primitatem ad productionem adæquatam, & ad productum adæquatum.

Cùm itaque voluntas fœcūda sit cum primitate ad spirādum in Patre, & in Filio, ut sunt priores Spiritu sancto: voluntate eliciente actum spirationis, cùm utraque persona habeat formaliter principium spiratiuum in actu primo, utraque persona formaliter habebit spirationem activam in actu secundo, atque Spiritus sāctus est spiratus ab utraque persona, Patre scilicet, & Filio.

Confirmatur ex rationibus obiectivis. Veritas Dei est cognoscibilis, bonitas est amabilis: atque prius aliquo modo veritas est intelligibilis, quàm bonitas amabilis, quia voluntas amans fertur in præcognitum. Sed veritas, ut intelligibilis, cum intellectiva potentia divina, est principiū intellectionis divinæ, quæ est Verbum, & veritas: Bonitas, ut amabilis, cum amativa potentia divina, est principium amoris, qui est spiritus, & bonitas. Ergo prior est productio Verbi, quā Spiritus: imo & Verbum habet in se bonitatem, ut amabilem, & voluntatem amativam eandem, quàm Pater, quibus principiis obiecto, & potentia spirat amorē infinitum circa bonitatem infinitè amabilem.

Veritas cognoscibilis, bonitas amabilis.

Verbū, est veritas, Spiritus bonitas.

9. Confirmatur secūdo Filius accipit à Patre essentiam, & voluntatem, quæ sunt principium productiuum Spiritus sancti, vel per generationem, vel per aliquam aliam productionem, sive communicationem. Si per generationem, ergo quo signo naturæ gene-

ratur Filius, eodem signo Filius habet principium productiuũ Spiritus sancti: atq; ita in posteriori signo spirat Spiritum sanctum. Si per aliam productionem, vel communicationem: nonne figmentum est tertiam productionem, aut communicationem ponere ad intra? Tunc enim & quartam somniabimus productionem, aut communicationem, qua Spiritui sancto communicabitur voluntas, vel omnipotentia: sic & quintam, & innumeras confingemus. Omnia ergo, quę Pater habet, & quæ Filius habet, Pater Filio per generationem dedit; dedit ergo essentiam, & essentialia omnia cum conditionibus primitatis, vel non primitatis, prout ea se habebant in primo signo naturæ, quo simul sunt Pater, & Filius.

Duę tātũ productiones, vel communicationes ad intra.

Pater & Filius sũt in primo signo natura.

10. Tertiò ex ordine productionum. Spiratio activa, & spiratio passiva sunt simul natura, tanquam correlationes oppositæ: similiter generatio activa, & generatio passiva sunt simul natura inter se tanquam correlationes opositæ. Relatio verò, & origo à parte rei non distinguũtur in Deo propter simplicitatẽ Dei. Atqui generare, & generari, Pater, & Filius sunt prius natura, quàm sint spirare, & spirari, spirator, & spiritus; ergo Filius est prius natura à parte rei, quàm sit Spiritus, quãvis sint omnino simul æternitate: in divinis enim nihil est prius, aut posterius duratione.

Correlationes appositæ sunt simul natura.

Relatio et origo idẽ in Deo.

Probatur minor: nam Pater, ut pater, & Filius ut Filius sunt correlativa; ergo sũt simul natura, & naturali intelligentia. Pater ut Pater non est relatiuum ad Spiritum, est enim adęquatè paternitas terminata ad Filium, sic filiatio ad Patrem. Tunc ultra. Cùm in Patre sint paternitas, ac spiratio activa, quęnam est prior? Non spiratio, quia prima relatione originis constituitur prima persona, & secunda relatione originis constituitur secunda. Sed generatio activa, & generatio passiva sunt prima, & secunda relatio originis: spiratio activa, & spiratio passiva non sunt prima, vel secunda relatio originis; ergo prima persona, ut Pater constituitur generatione activa, cui, tanquam relatio aduentitia, annectitur spiratio activa; ergo in illo priori, quo Pater constituitur generatione activa, Filius constituitur generatione passiva.

Quare latione originis prima, et secũda persona constituũtur.

Et

Et spiratio activa est posterior duobus constitutivis primæ, & secundæ personæ. Iam ultra argumentor.

Omnia posteriora Patre, & Filio constitutis, sunt communia Patri, & Filio: ergo & spiratio activa, quæ probata est esse posterior. Probatur antecedens. Quibus est communis quiditas, vel essentia, eisdē sunt communes operationes per se consequentes illam, quidditatem, vel essentiam, ut patet in sexta synodo. Sed eadem est essentia in Patre, & in Filio in illo signo naturæ primo, quo personæ istæ constituuntur; ergo omnis operatio per se consequens essentiam est communis Patri, & Filio iam constitutis. Sed spiratio activa est operatio per se consequens essentiam divinā post primam, & secundam personam constitutas: ergo spiratio activa est communis Patri, & Filio.

In quo est quiddītas, sūt per se sequētia illā.

Sexta synodus

11. Quartò, ex ordine originum: Hoc idem argumentum ex ordine originum potest aliter formari. In omni constituto principium constitutiuum sive in esse quidditativo, sive in esse hypostatico, est ordine naturæ prius quocunque alio existente in eodē constituto. Sed in Patre est essentia cōstituēs in esse quidditativo, generatio activa cōstituens in esse hypostatico: est item spiratio activa, quæ non est constituens neque secundum Eunomium (cùm non sit in Patre secundum ipsum) neque secundum Theodoritum, multò minus secundum catholicos, qui eam ponunt communicabilem. Ergo in Patre prior ēst generatio activa, quàm spiratio activa. Sed generatio passiva, & generatio activa sunt simul naturali intelligentia, tanquam correlationes oppositæ: ergo generatio passiva est ordine naturæ prior, quàm spiratio passiva

Constitutiuū in esse quidditativo, & hypostatico.

12. Tunc quæro, quod nā sit principium formale spirandi activè (nam idem est fundamentum formale spirationis activæ) quæ ratio formalis terminādi spirationē passivā? Vel enim est quid absolutum, vel quid relatiuum diuersum à proprietatibus personalibus. Si est quid absolutum, arguo. Omne absolutum in divinis est commune Patri, & Filio in illo signo naturę, in quo intelliguntur constituti Pater, & Filius: Sed principium formale spirandi activè supponitur esse quid absolutum;

tum; ergo est in Patre, & in Filio in illo priore signo naturæ, in quo intelliguntur constituti Pater, & Filius: atque ideo cum primitate ad spirandum. Quocirca in Filio est ratio formalis fundandi spirationem activã, atque etiam ratio formalis terminandi spirationem passivã. Igitur de facto in Filio fundatur spiratio activa, & ad Filiũ terminatur spiratio passiva, ne frustra sit fundamentum formale, & terminus formalis sine fundatione, & terminatione: frustra enim est calceamẽtum, cuius non est calceatio 1. Cæl. 32. Si autem principium originale sit quid relatiuum diversum à proprietatibus personalibus, argumentor. Omnis relatio, exceptis proprietatibus personalibus, est communis Patri, & Filio. Sed principium formale spirationis activæ supponitur esse relatio, quę non sit proprietas personalis: ergo principium formale spirationis activæ erit in Patre, & in Filio, & deductio est eadem, quòd in Filio est ratio fũdandi spirationem activam, & terminandi spirationem passivam, atque ideo quod actu fũdet activam, & terminet passivam.

Probatur ista maior ultima. Omnis relatio in divinis aut est propria alicui personæ, aut est communis: sed principium formale spirationis activæ nõ ponitur esse proprietas personalis, ut generatio activa, generatio passiva, spiratio passiva, vel etiam activa: ergo est relatio communis.

13. Quintò, ex unitate divina cum Pythagora. Vnitas prima, & simpliciter est Deus ex Pythagora, Parmenide, Platone: atque etiam ex fide. Notandæ verò sunt multiplicationes regulares apud Mathematicos, quæ sunt duæ, altera quadrata, altera cubica: quæ primò à nobis sunt considerãdæ in numeris, posterius in unitate, ut à notioribus nobis procedamus. Multiplicatio quadrata est, quando aliquis numerus multiplicatur per seipsum, in quo casu ratio multiplicantis appellatur radix: numerus resultans, appellatur quadratus. Vt, si velimus multiplicare dualitatem accipiendo ipsam duabus vicibus, resultabit quaternarius: quaternarius est numerus quadratus, binarius multiplicans est

Multiplicationes regulares, quadrata, & cubica.

Quadrata qua.

radix

radix quadrati, ut dicendo, bis duo faciunt quatuor: ipsũ *bis* habet rationem radicis, ipsum *quatuor* habet rationem quadrati. Multiplicatio cubica est, quando radix per quadratum, vel quadratum per radicem multiplicatur: ut, si per dualitatem multiplices quaternarium, hoc est, accipias duabus vicibus ipsa *quatuor*, resultabit numerus octonarius, qui est numerus cubus; Vbi duo multiplicant ipsa *quatuor*, vel quatuor ipsa *duo*: idem enim resultat, sive multiplices quadratum per radicem, sive radicem per quadratum. Nam eadem vis multiplicativa cubica est in ipsis. Sic autem profertur in modo loquendi: *Bis duo bis*, ita ut ipsum *bis duo*, hoc est quatuor. accipias *bis*, & fit numerus cubus. Hæ duæ multiplicationes quadrata, & cubica sunt regulares, & primæ: aliæ omnes irregulares sunt, & non primæ.

Cubica quæ?

14. Iam transeamus ad unitatem. Omnes perfectiones numerorum præcellentiore modo sunt collectæ in unitate: quare & istæ duæ multiplicationes in unitate repeRiuntur: Sed in numeris hæc tria distinguuntur essentialiter, *radix* ut binarius: *quadratum*, ut quaternarius: *cubus*, ut octonarius. Ast essentialis distinctio necessariò ponit imperfectionem. Quam ob rem in ipsa unitate, stante essentia eadem unitatis, adsunt sine imperfectione ratio radicis, ratio quadrati, ratio cubi. Si nanque *semel unum* accipias, fit unum; quo in casu, *semel*, est radix, *unum* resultans est quadratum, sed tamen eadem est essentia unitatis cum ratione radicis multiplicãtis, & cum ratione quadrati resultantis. Rursus, si multiplices in unitate rationem radicis cũ ratione quadtati, vel è converso, sic dicendo, *semel unum semel*, unitas resultabit tertia ratione cubi. Vnitas erit essentiæ cum triplici ratione, radicis multiplicantis, quadrati resultantis ex radice sola, & cubi exurgentis nõ ex radice sola, non ex quadrato solo, sed necessariò ex utrisquè. Quãdo Pythagoras dixit, *Vnitatẽ trinam eße adorandam*, intellexit de prima unitate divina considerata cum tribus istis relationibus, seu rationibus. Lege Petrum Bongum de mysteriis numerorum in Ternario. Pudeat Christianum hoc secretum nescisse, quod

Perfectiones numerorum collecta nobilius in unitate sunt.

Pythagoras.

Vnitas trina adoranda.

Petrus Bong.

lumine

lumine (ut existimo) divino, philosophus ille agnovit, & S. Bonaventura 1. dist. 2. quæst. 4. recognovit. Sicut igitur in unitate multiplicatio secunda est necessariò à duobus, prima multiplicatio est ab uno: sic est in simpliciter prima unitate Dei. Spero Græcos hoc argumentum suavius recepturos, quia Pythagoras Grecus fuit, & inter philosophos valde præcellens.

S. Bon.

15. Sextò, ex concilio Florentino sess. ult. cart. 874. quo in loco argumentum Latinorum tale est.

Concil. Flor.

Si Spiritus sanctus non procedit à Filio, ergo Spiritus sanctus à solo Patre procedit: & ex consequenti, Spiritus non erit Filius, ne scilicet Trinitas depereat. *Qui autem proferūt Spiritum ex sola persona Patris procedere, hi procul dubio substātiam ab hypostasi separant, & partitionem imaginantur divinæ substantiæ.*

In hoc argumento sunt duę consequentiæ. Prima. Si ex essentia Patris, & Filii Spiritus sanctus est substantialiter: & substantia ipsa est in Filio, & Filius non producit Spiritū sanctum, neque communicat essentiam ipsi Spiritui sancto: ergo essentia Filii separatur ab hypostasi ipsius Filii, quia essentia communicat, & communicatur; Filius eam non communicat, neque ab eo essentia communicatur. Ergo separatur essentia ab hypostasi.

Secunda consequentia. Essentia in Patre est, ex qua Spiritus sanctus procedit, ex essentia in Filio Spiritus sanctus non procedit, ergo re ipsa essentia Patris, & essentia Filii sunt diversæ; sicut & essentia Spiritus sancti, quæ neque communicatur à Filio Spiritui, neque à Spiritu ipsi Filio. Si igitur Spiritus est substantialiter ex Patre, non est substantialiter ex Filio: aut persona Filii, & Spiritus sancti non distinguuntur personaliter, & Trinitas non habetur. Aut si Trinitas habetur, consequitur, ut non sit eadem essentia indivisa in tribus, neque essentia sit eadem cum persona Filii, separatur ergo essentia ab hypostasi, & dividitur divina substantia.

16. Concilium non explicavit istam consequentiam: si Spiritus est à Patre, & non à Filio, persona Filii, & persona Spiritus non distinguentur personaliter, quia contra adversarios concedentes distinctio-

ctionem realẽ trium personarum, non erat necessarium illã proponere. Probatur autem consequentia authoritate Sancti Gregorii Nysseni ad Ablabium scribentis. *Eam, quæ circa causam, & causatum consideratur, differentiam, non negamus: per quod solùm discerni alterum ab altero deprehendimus; nimirũ eo quòd credimus aliud quidem causã esse, aliud verò Ex causa, & Ex eo, quod ex causa est.* Ergo Spiritus distinguitur à Filio solũ, quia est ex Filio, nam Filius est ille, qui dicitur *esse ex causa*. Si ergo Spiritus non esset *ex eo, quod est ex causa*, scilicet ex Filio, illa sola ratio distinguendi, quæ adest, periret. Scio scholasticos disputationem interminatã habere circa istam consequentiã; sed sufficit probavisse Græcis authoritate sanctissimi doctoris Græci.

Nyssen.

17. Secundam consequentiam concilium non probat, quia essentia unius personæ, & essentia alterius personæ est omnino una, & indivisa realiter, supposita primitate ad spirandum. Essentia item, & persona sunt re idem: propter quod quicquid procedit de essentia existente in hypostasi, procedit ex hypostasi; nec enim hypostasis dicitur producere, vel operari, nisi ratione principii *quo* formaliter existẽtis in hypostasi. Si autem Spiritus est ex substãtia in Patre, & non est ex substantia in Filio: ergo substantia divina diuiditur, & quæ est in Patre, accipitur à Patre; quæ est in Filio, nõ accipitur à Filio: in utroque enim præexistit substantia.

Rursus, substantia ipsa accepta revera est in Filio formaliter, & per adversarios nõ recipitur à Filio, ergo substãtia est reipsa separata à persona Filii. Nam quomodo accipitur essentia existens in persona Filii, & non accipitur ex Filio, in quo est? Si quis potest clarius istas consequentias fulcire, optimè de Fide catholica merebitur, si ea fulcimenta in commune proferat.

18. Potest hoc argumentũ ex ratione communicationis ita fieri. Quidditas divina in Patre est communicativa, & communicabilis realiter Spiritui sancto. Quidditas in Filio non est communicativa, neque communicabilis realiter Spiritui sancto. At verò quidditas re communicabilis, & quidditas re incommunicabilis eidem Spiritui in eodem

 signo

signo naturæ, non est eadem quidditas.

Si etiam ponatur, quòd eadem sit quidditas, quæ communicat *ut quo* semetipsam Spiritui; & Filius, in quo ipsa quidditas est, non communicat reipsa: ergo in re loquendo, ipsa quidditas separatur à supposito habente quidditatem. Profectò suppositum nō communicat *ut quod*, nisi quia quidditas, aut alia ratio formaliter existens in supposito, communicat *ut quo*. Hæc accepta sint ex essentialibus.

19. Possunt addi duo argumenta similia his, quæ in prima quæstione dicta sunt, dum probaremus Spiritum esse à Patre.

Primum tale est. Si Pater spirat, & non Filius, aut Pater spirat ratione propriæ relationis, nempe paternitatis: aut spirat ratione Deitatis communis Patri, & Filio, quæ eodem signo naturæ intelligitur esse in utroque, & hoc in prima productione; ut essentia ipsa deinde sit principium, & ratio producendi secunda productione.

Non ratione paternitatis, tùm quia relationes sunt de genere sterilium, nullaque relatio est ratio formalis agendi; tùm quia paternitas respicit præcisè Filium tanquam correlatiuum adæquatum; Ergo eadem paternitas non potest esse respectus ad Spiritum sanctum, ne excedat correlatiuum adæquatum. Quare Pater producit Spiritum sanctum ratione Deitatis communis existentis indistinctè, & indivisè in Patre, & in Filio: atque etiam existentis in eodē signo naturæ, quo est prima productio in divinis, & ideò existentis cum primitate, seu prioritate ad actum spirandi, sive ad secundā productionē in utroque. Hinc argumentum fit de Filio, sicut factum est quæstione prima de Patre.

In quacunque hypostasi est ratio formalis agendi eadem numero, cum primitate, seù prioritate ad actionem adæquatam: in eadem hypostasi potest esse actio, & in divinis, ubi esse, & posse non differunt ad intra, est etiam actio adæquata ipsi rationi agendi. Sed eadem ratio formalis spirandi Spiritum sanctum est eadem Deitas numero existens in eodem signo naturæ, quo habetur prima productio in Patre, & in Filio: atq; etiā existens in eisdem Patre, & Filio cum primitate ad secun-

cundam productionem, id est, spirationem Spiritus sancti; ergo non sola hypostasis Patris habet actionem spirandi Spiritum sanctum, verum & hypostasis Filii potest habere, & habet actionem spirandi Spiritum sanctum. Perperam ergo Nestoriani, & Iconoclastæ negant cum Theodorito, Spiritum esse ex Filio, vel per Filium.

20. Rursus, Aut Pater, & Filius ponuntur esse causa Spiritus sancti, aut ponuntur sicut causa, & non causa. Si ponantur ut causa vel una, vel plures, habetur propositum, quòd Spiritus sit causatus à Patre, & à Filio. Si ponantur ut causa, & non causa: ergo cùm essentia, quæ est causa, sit diversa ab illa essentia, quæ non est causa: in eodem signo naturæ, quo Pater & Filius sunt, habebũt diversas essentias quidditativè, & per consequens non sunt unus Pater, & alter Filius, quia Pater, & Filius sunt eiusdem naturæ quidditativè, sive eiusdem speciei.

CAP. II.

Argumenta quædam ex Notionalibus proponuntur, probantia Spiritum ex Filio esse.

21. SEquitur, ut quędam argumenta, quæ erigi possunt ex notionalibus proferantur ad veritatem comprobandam, scilicet quòd Spiritus est, vel procedit ex Filio.

Primum ex ordine producentis *ut quod*. Nihil in divinis est sine ordine, cùm productiones in natura increata sint exemplar omnis ordinis in natura creata. Sed in diuinis procedendo ab uno primo producente *ut quod* prima productione primum productum: ad duo producentia *ut quæ* secunda productione, secundũ productum: atque ad tria producentia tertia productione tertium productum, est ordo imperturbatus in principio *ut quod*, scilicet unum, duo, tria, atque ita ordo seruatur ponendo, quòd Spiritus sit productus ex Filio. Si aliter ponatur, quòd Spiritus sit productus ex solo Patre, vel ex solo Filio, itur ab uno producente ad tria producentia, & ordo principii producentis perturbatur. Hunc ordinem præmõ-

Nil sine ordine in Deo.

Vnitas Patri binarius Filio, ternarius Spiritui datur à Dama. de Trisagio.

Matt. 28. strauit Deus Matthæi 28. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Et 1. Ioan. 5. *Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* S.Basil. De quo ordine S. Basilius 3. contra Eunomium, supra propositus, & nunc etiam conside randus, scribit. *Nam quemadmodum Filius ordine quidem à Patre secundus est, quoniam ab illo: & dignitate, quoniam origo, atque causa essendi Pater ipsi est; & quoniam per ipsum accessus, & adductio ad Deum Patrem; Natura verò nullo modo secundus, quoniam in utroque una Deitas. Ita videlicet & Spiritus sanctus & dignitate, & ordine secundus à Filio est: non tamen verisimiliter alienæ ipsum esse naturæ inde consequetur*. In his dictis necesse est cõsiderare quid est esse secũdũ ordine, & dignitate. Esse secũdũ ordine ab aliquo, est esse ab illo; sic Basilius de Filio dicit: *Est à Patre secundus, quoniam ab illo*. Esse dignitate secundum, est habere causã, siue originem essendi à primo; dicente Basilio, Filium esse dignitate secundum à Patre, *quoniam origo, atque causa essendi Pater illi est*.

Esse ordine secundũ, esse dignitate secũdũ.

Cùm igitur iuxta Basiliũ, adde & Athanasium in concilio Florentino citatum, Spiritus sit ordine secundus à Filio, & tertius à Patre, ut etiam constat ex forma baptismatis relata, sequitur, ut Spiritus sãctus sit ordine tertius à Patre, quia à Patre est: secundus à Filio, quia à Filio est. Talem utique ordinẽ seruauit Deus in reuelandis personis diuinis, talem ordinem homines Dei semper venerati sunt. Quo posito inter Spiritum, & Filium iuxta Basilii expositionem, sine dubio Spiritus est à Filio, & à Patre.

22. Secundum ex Patre. Pater est generans Filium per fectissimè sibi similem, & Filius est genitus perfectissimè similis Patri: omne enim producens communicat suam similitudinem producto in quantum potest, aut vult. Non est similitudo in proprietate hypostatica, quæ est incommuni cabilis, ut paternitas, & filiatio: ergo in omnibus aliis, & maximè in ipsa essentia, & essentialibus proprietatibus Pater generat Filium sibi similẽ. Ergo in Filio, sicut in Patre, simul natura est essentia, & voluntas, & primitas ad spirandum. Ergo Filius spirat.

23. Vt ista ratio sit clarior, propono duas enunciationes prima est. Omne producens

cens assimilat sibi productum inquantum potest. Probo eam primò ex ratione agentis in communi, dicente Aristotele in primo de Generat. & Corrupt. 51. Omne agens assimilat sibi passum, nempe ratione formæ productæ. Imò & in 4. Meteor. summa prima cap. 4. ait, tunc unũquodque esse perfectum, cùm potest facere quale ipsum.

Arist. 1. de generat.

Meteor.

2. Ex ratione agentis naturalis. Duplex quippe est agens, naturale, & liberum. Agens naturale, seu natura activa sic describitur. Natura est vis insita rebus, ex similibus similia procreans.

3. Ex ratione agentis vivi. Naturalissimum enim est viventibus, non imperfectis, generare quale ipsum per secundum de Anima 34. Quãobrem & generatio viventiũ ita delineatur. Generatio est productio viventis à vivente, similis in natura per modum naturæ. Quæ autem à tali generatione degenerant, ea vel non generant, vel cum aliqua imperfectione generant, aut ex parte generantis, aut ex parte geniti saltem. Cùm igitur Pater æternus sit agens perfectum, naturale, & viuũ, producit utique primum genitum sibi perfectissimè simile.

Arist. 2. de anima.

24. 2a. est. Inter maximè similia maxima similitudo inest, & sola minima dissimilitudo. Quando etenim duo similia esse dicuntur, sunt etiam dissimilia: quatenus unum non est aliud. Idcirco similia diffiniuntur esse, quorum qualitas est una. Ergo est unitas in qualitate, & dualitas in qualibus secundum illã qualitatem comparatis. Consule Scotum quolibeto sexto ex Aristotele in 5 Metaphys. acutissimè, & accuratissimè disserentem. Quamvis autem similitudo, ac dissimilitudo secundum prædicamentum qualitatis pressiùs accipiatur: nihilominus extenditur latiùs ad omne prædicatum in quale: quo pacto omne ens ad omne, est simile, vel dissimile. Proinde in primo Topic. cap. ult. iubebat Aristoteles in omnibus simile, vel dissimile inquirere.

Scot. quol. 6.

Arist. 5 Meth.

Primo Topic.

Verùm quoniam dissimile dicitur aliud alio magis, vel minus: ut Petrus, & Paulus in rationibus essentialibus sunt minus dissimiles, quàm Petrus, & Bucephalus equus. Minima dissimilitudo stans cum maxima similitudine,

erit

erit dissimilitudo in uno; si nãque in duobus, aut pluribus fuerit, non erit dissimilitudo minima.

25. Cùm itaque in Patre, & Filio divinis sit prima, & maxima similitudo, ex priore propositione: inter eos erit similitudo in omnibus essentialibus, & notionalibus, dissimilitudo in uno tantùm, quòd Pater producit, Filius non producit naturaliter. Huc spectat S. Cyrillus Alexandrinus 4. Thesaur. cap. ult. scribens. *Omnia, quæ Pater est, Filius similiter est, præterquam quod Pater non est Filius, & Filius non est Pater.* Idem exaravit libro 1. in Ioann. cap. 4. cart. 101. & lib. 1. thesaur. cap. 8. car. 10. *Pater igitur in Filio est, & Filius in Patre, non tamen ut idem numero. Pater enim in sua, & Filius in sua proprietate est. Hæc enim solùm differentia inter ipsos est. Nam Pater in se est, & Filius similiter in se: nec Pater Filius est, nec Filius Pater: & hæc sola distinctio in eis est.* Idem docet in expositione spontanea noni anathematismi facta in cõcilio Ephesino. Ergo dissimilitudo inter Patrem, & Filium est in una sola differentia cõstituente Patrem, & una constituente Filium. Atqui generare Filium non est idẽ realiter, quod spirare Spiritũ sãctũ: quare in Filio erit similitudo cũ Patre quo ad vim spirativã, quo ad spirare, quo ad spiratum commune; procedetque similitudo in Deo cũ dissimilitudine ordinatissimè: nam primum productum erit simile producenti in omnibus, dissimile in uno, scilicet, in paternitate, & filiatione, unam uni tribuendo. Secundũ productum erit dissimile in duobus à primo producente, scilicet in ipsa paternitate, & spiratione activa: similiter in duobus à primo producto, videlicet in filiatione, & spiratione activa. Tertium productum iam est creatura dissimilis in tribus, scilicet in ipso generare, spirare, creare, atque propterea & essentialiter differt à primo producente. Si autem Filius non spiraret, esset prima dissimilitudo in duobus, non in uno: esset tùm in primo, tùm in secundo producto æqualis dissimilitudo ad producens primum, scilicet in duobus, ut generare, & spirare. Restat, ut omnis inordinatio à Deo excludatur, Filium in sola paternitate à Patre esse dissimilẽ, in omnibus aliis

S. Cyr.

esse

esse similem, atque adeò Filiũ quoque esse principium *quod* Spiritus sancti, sicuti est Pater.

26. Tertium, ex Filio. Filius perfectissimè repręsentat Patrem, unde est perfecta imago, & character, & splendor substantiæ Patris. Si non spirat, ergo non repræsentat in operatione, neque in principio operativo, neque in essentia, ut est communicativa, & communicabilis secunda cõmunicatione. Argumentum ex Divo Basilio 2. in Eunomium decerpe à fine libri secundi. *Nulla*, inquit, *operatio Filii à Patre dissecta est; Omnia, inquit, mea, tua sunt, & tua mea sunt. Quomodo igitur spiritus causam soli unigenito attribuit?* Sic dicebat Basilius contra Eunomium. Sic dicamus cõtra Theodoritum. Quomodo Spiritus causam soli Patri attribuit? cum Filius dicat, *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt?* Falsò diceretur, Nam tua spiratio activa, ò Pater, non est mea: Spiritus tuus causatus, non est meus: Voluntas tua producens spiritũ non est mea: essentia tua cõmunicativa, & communicabilis Spiritui non est mea: Tu potes mittere Spiritum, quia tuus est: ego non possum, quia meus non est. Multa talia possent inferri, nec inferuntur, quoniam personæ in proprietate personali sola distinguuntur, cætera omnia eis communia sunt.

S. Bas.

27. Quartum ex Spiritu sancto. Spiritus sanctus est propriè nexus, & communicatio Patris, & Filii 1. Cor. ult. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Si Spiritus est spiratus à Patre, & Filio, Spiritus utique est communicatio, & nexus sicut amor sponsæ, & sponsi mutuus connectit eos. Sunt in coniugibus duo amores, at in Deo unus amor immaculatissimus est Patris in Filium, Filii in Patrem: sicut unus ignis ex duabus candelis productus. Si autem spiratur à solo Patre, Pater est nexus, & communicatio; Spiritus nulla ratione potest esse nexus, vel communicatio cum Filio. Filius quidem cum Patre est connexus relatione propria, & reali, quæ est generatio passiva. Spiritus similiter ex hypothesi erit connexus cum Patre relatione propria, & reali, quæ est spiratio passiva: Sed cum Filio

1. Cor. ult.

S. Epiphan. tra Sabellian. hæreti. 62. Spiritũ sãctũ appelat, Vinculũ Trinitatis.

Vide quæst. 6 n. 33.

lio

lio nullam habet connexionẽ, quia nulla est relatio propria, & realis ipsius Spiritus ad Filium, vel Filii ad Spiritum. Vnde sicut duo fratres nectũtur in communi Patre, ut in stipite, non tamen inter se; ita Filius, & Spiritus sanctus erũt connexi in Patre, qui erit communicatio, & nexus, sed Spiritus non connectet Patrem cũ Filio, sicut revera connectit, & facit communicationem, dum unica spiratione passiva reali refertur & ad Patrem, & ad Filium.

28. Quintum ex comparatione personarum inter se. Si Spiritus est à duabus personis, tunc inter divinas personas est summa, & æqualis germanitas, cùm quælibet persona respectu cuiuslibet sit vel producens, vel producta. Quare, sicut in linea recta consanguinitatis est maior germanitas, quàm in lineis trãsuersalibus: quia in recta linea est relatio producentis, & producti mediata, vel immediata: in transuersalibus, minimè. Ita si quælibet persona ad quamlibet comparata est producẽs, vel producta, erit ęqualis, & summa germanitas. Si autem duæ personæ sint ab una, sed ipsæ non sint altera ab altera; maior est coniunctio producti cum producente, quàm producti cum producto. Ita enim maior est coniunctio Patris cũ Filio, Filii cum Patre, quàm Filii cum fratre, vel sorore. Hoc argumentum ex Divo Bonaventura Richardus, Petrus de Tarantasio, & Dionysius Carthusianus proponunt.

Linea recta, & trãsuersalis consanguinitatis,

D. Bon. Ricar. Taran. Carth.

29. Sextum ex comparatione Trinitatis cum imagine, & vestigio in creatura. In imagine creata, mens, notitia, amor repræsentant personas divinas. Mens ex se producit notitiam: mens cum notitia coniuncta producit amorem: ergo similiter Pater producit Filium: Pater, & Filius Spiritum sanctum.

Imago in creatura.

In vestigio. Ex humano corpore brachium, ex brachio, atque corpore procedit, ac dependet digitus. Ita ex Patre Filius, ex Patre, & Filio Spiritus. Sic Cyrillus in Thesau. libro decimotertio. *Christus etiam ad Iudæos ait: Si autem in digito ego Dei eiicio Dæmonium, venit ergo in vos regnum Dei. Digitum hic Dei Spiritũ sanctum nominat: modo enim quodam ex substantia Dei emanat, & naturaliter indè dependet, sicut ex humana manu digitus. Brachium enim, & dexteram*

Luc. 11

Ps. 97. *ram Dei Filium Dei scripturæ vocant. Saluavit enim, inquit, dextera eius, & brachium sanctum eius. Et rursus: Domine*
Isaia 53 *sublime est brachium tuum, & nesciverunt. Quemadmodum igitur brachium toti corpori naturaliter coaptatur omniaq; facit, quæ menti videntur, inunge re quoq; solet digito: sic Filium quidem Dei ex ipso, & in ipso Patre naturaliter esse intelligimus. Ex Filio autem naturaliter, ac essentialiter Spiritum, sicut ex Patre provenire credimus, per quem Filius omnia inũgens sanctificat. Non est igitur aliud Spiritus à Deitatis essentia, sed ex ipsa, & in ipsa naturaliter, sicut & digitus in manu, & manus in corpore.*

30. Posset etiam addi hoc argumentum. Si spiratio activa est incommunicabilis seipsa formaliter primò, & generatio activa est seipsa formaliter primò incommunicabilis, ut arbitrantur Theodoritani; ergo ante Filium, & Spiritum sanctum essent duæ personæ, una genitoris, altera spiratoris: & pro Trinitate in divinis habebimus quaternitatem, quod est absurdũ: Probatur consequentia. Persona est naturæ intellectualis incommunicabilis existentia: Vnde ex natura communi, quæ est Deitas, & ex proprietate personali incommunicabili constat persona. Quod igitur est seipso formaliter incommunicabile, est sufficiẽs constitutiuum personæ in esse incommunicabili. In Deo autem nihil est insufficiens, ergo cùm sint duæ relationes positivæ seipsis formaliter incommunicabiles, erũt duæ personæ in esse incommunicabili constitutæ per illas relationes.

Pater, & spirator duæ personæ, si Filius non spirat.

Persona quid?

31. Si respondetur, paternitas est primò incommunicabilis, spiratio activa non primò, sed secundò: Vnde spiratio activa non constituit aliam personã à Patre diversã. *Preoccupatio*

Contra. Quicquid repugnat alicui formaliter, seipso primò formaliter repugnat illi, & per rationem propriam eius: & quod non repugnat, per propriam rationem formalem eius primò non repugnat. Vniuersaliter enim ratio quidditativa rei in ratione principii formalis est per se prima ratio omnis convenientiæ, & non convenientiæ, repugnantiæ, & non repugnantiæ. Hinc Aristoteles in primo de Anima 11. dicebat, omnis demonstrationis

Considera in quæst. 6. nu. 23.

Causa prima omnis repugnãtiæ, non repugnãtiæ est quidditas.

Arist. 1 de anima.

principium esse ipsum quid est, quia omnes possibilitates, vel impossibilitates, aptitudines, vel ineptitudines per ipsum quid est demonstrantur. Sed spirationi activæ per aduersarios repugnat communicari Filio, quia si non repugnaret, certè Filio esset communicata: quod enim in divinis ad intra potest esse, est: ergo spiratio activa se ipsa formaliter, & primò est incommunicabilis, non per aliud prius incommunicabile.

32. 2. Quando aliquid est seipso formaliter tale, illud erit tale, si per impossibile quodlibet aliud non esset: ergo si in prima persona improducta non esset generatio activa, sed spiratio activa: ipsa spiratio activa esset sufficientissima ratio personæ, quoniã esset ibi natura intellectualis, & proprietas relativa seipsa formaliter incommunicabilis, unde & spirator esset per se non primò incommunicabilis, atque ideò esset persona. Igitur per præsentiam generationis activæ, seu paternitatis in Deo, non tollitur à spiratione activa ratio per se primò incommunicabilis, neque à spiratore constituto ratio ipsius per se non primò incommunicabilis, quæ est ratio ipsius personę. Erunt ergo Pater, & spirator duæ personæ, si spiratio activa est incommunicabilis.

Ablato extraneo à ratione formali, non aufertur ratio.

3. Insuper, in quo sunt duę rationes personales, quarum utravis sublata ipsum satis constitueretur in esse personali, hoc est, incommunicabili, ipsum est duæ personæ.

4. Item, quomodo una ratio seipsa per se primò formaliter incommunicabilis, communicatur Patri, tanquam ei adueniens?

5. Adhuc. Vnumquodq; sicut se habet ad esse, sic se habet ad unitatem, & distinctionem consequentem esse; sed spiratio activa seipsa per se primò se habet ad esse formaliter incommunicabile intellectuale, ex hypothesi, quòd ipsa non sit in Filio. Ergo seipsa constituit aliquid in esse incommunicabili, & hoc in natura intellectuali. Quare & ipsa constituet unum per se subsistens in esse incommunicabili distinctum à quovis alio subsistente in eadem natura divina.

Sicut ad esse, sic ad unitatē.

33. Si respondetur, sola incommunicabilitas non est ratio ipsius constitutivi personalis: sed incompossibilitas etiam

Responsio aparens.

etiam cum omni alio incommunicabili. Spiratio verò activa haberet incommunicabilitatem, sed non incompossibilitatem cum genitore.

Refutatio. Cōtra. Quādo una ratio formalis est per se primò incommunicabilis, si adueniat alicui rationi priori incommunicabili, vel constituto per illam rationem priorem, talis ratio aduenìens est communicabilis. Igitur erit communicabilis, & incommunicabilis.

Præterea. Si præter incommunicabilitatem requiritur incompossibilitas, Pater non esset constitutus in esse personæ per paternitatem, non itē per spirationem activam; quare non esset persona. Probatur consequentia, quia paternitas est quidem incommunicabilis, sed nō est incōpossibilis cū spiratione activa. Similiter spiratio activa est incommunicabilis, sed non incompossibilis cum paternitate, ergo neutra habet rationem cōstitutivi personalis, Pater ergo non esset persona, quia ablato constitutivo, aufertur constitutum.

34. Postremò animaduerto, cùm duplex sit principium Spiritus sancti, *quo*, & *quod*: non fuisse magnum dissidium inter Theodoritanos, & Catholicos circa principium *quo*, videlicet circa essentiam, quæ est ratio formalis & generandi, & spirandi. Sed disputatio fuit de principio *quod*, Nam Theodoritani dicebant, solum Patrem esse causam Spiritus sancti, Filiū non esse ullo modo causam. Sed Latini in Florentino concilio sessione ultima cart. 874. col. 1. subdunt. *Se minimè credere, Filium principem sancti Spiritus causam esse, sed Patrem unicam Filii, sanctique Spiritus causam profiteri, illius secundum generationem, huius verò secundum processionem*. Quia verò Catholici tenent, quòd substantia Patris, & Filii est eadem, & quòd substantia est indivisibilis ab hypostasi, idcirco dicunt, quòd Spiritus est à Patre per Filium, & quòd Filius sit causa Spiritus sancti non à se, sed à Patre: quare procedit Spiritus à Filio non ut à causa prima, sed secunda. Neque maior est difficultas, ut antea monui, de Spiritu respectu Patris, & Filii: quàm de Angelo respectu Patris, Filii, & Spiritus sancti; nam & creatura est ex Patre solo, ut ex causa, nimirum prin-

Discrimen Theodoritanorum, et Catholicorum.

Pater solus est causa princeps Spiritus sancti.

cipe, non ex Filio, non ex Spiritu sancto: sed est à Patre per Filium in Spiritu sancto.

CAP. III.

Argumenta ex ratione à Photio confecta contra processionem Spiritus à Filio.

35. PHotius, in epistola ad Patriarcham Aquileiensem, quæ est apud Baronium anno 883. num. 12. 13. 14. & 16. atque 17. arguit aduersus Latinos.

Primò sic. *Dicere à Patre, & à Filio sanctissimum Spiritũ procedere, duas omnino est causas, & principia in sanctissima Trinitate introducere; & ita monarchia omnino euanescet; duas siquidem apertè dicunt essentias, qui hoc dicunt, & duas causas prædicant.*

2. *Si perfecta est à Patre processio: quid opus est secunda processione? Primum quidem qui hoc dicit sanctissimæ Trinitati perfectissimæ imperfectionem aliquam tribuit: ex duobus enim imperfectis Spiritum sanctum omnia perficientem constituit, nec non compositum ipsum facit, quasi ex duabus quibusdam causis conflatum; & ita ex utroque imperfecto modo Spiritum sanctum procedere.*

3 *Si ex Patre per generationem Filii procedit, Spiritus verò sanctus ex Filio per processionem, ad nepotis ordinem utique deveniet Spiritus sanctus. Et quomodo hoc ferendum?*

4. *Si cum Filii generatione procedit etiam Spiritus sanctus, & simul alter quidem Filius scilicet generatur, alter verò Spiritus sanctus ex genito* Filio *procedit: nihil minus quàm* Filius *etiam Spiritus sanctus à Patre processionem acciperet per generationem. Generat siquidẽ Pater Filium, & Spiritus sanctus unà cum Filio per generationem procedente simul procedit. Si enim aliud tempus in ipsis Filium quidem à Patre per generationem procedentem statuit, aliud verò tempus, quo Spiritus sanctus ex Filio procedit: omnino Spiritum sanctum posteriorem Filii generatione constituere necesse erit. Si verò has apertas blasphemias, & periculum cùm perspexerint, à sua opinione non recedent: procul dubio Spiritum sanctum genitum esse fateri cogentur.*

5. *Si procedit Spiritus sanctus*

ctus à Filio: non utique posterius, neque prius Filii *generatione procedit. In sanctissima enim Trinitate aduerbia huiusmodi tempus significantia, omnino procul absunt. Si igitur simul quidem procedit à Patre Spiritus, simul etiam à Filio, & simul distinguitur ipse, qui procedit Spiritus ab ipsorum personis, qui illum producunt; duo etiam pro uno erunt Spiritus, alter quidē Patris, alter verò qui à Filio procedit. Nihil enim est tale nouum, neque in iis, quæ per generationem fiunt. Diversa enim licet videre secundum hypostasim, quæ ex una, & eadē hypostasi procedunt. Vnum verò, & idem secundum hypostasim ex diversis rebus procedere, & non simul distingui per hypostases illud producentes, neque generatio ipsa hoc agnoscit, neque si quid est generatione præstantius. Filii etenim multi ex uno, & eodem utero, & simul, & seorsū videntur in lucem edi: & eadem manus & verberat, & scribit, & beneficia confert, & ad Deum laudandum attollitur; sed scribere quidem magis est opus congruum, & pedi similiter ambulare: eodem pacto utrunque dictorum; vel contra, videre oculi, & aurium munus esse, vel huiusmodi, nunquam aliquis sana mente crederet, sed quemadmodum membra propria descriptione sunt inter se distincta, ita etiam singulorū operantium naturæ congrua opera tribuentur, & ab aliis distinguentur, etiam in iis, quæ distinctam hypostasim sint sortita, & idem speculationis ordo servatus conspicitur.* Hæc Photius.

36. Hæc sunt argumenta Photii, quæ ideò volui propriis illius verbis referre, ut cùm negavero ab ipso probatas fuisse consequentias, quas proponit: quisque valeat cōsulere Photii dicta, & concludere: hic homo multa dicit, & nihil probat. Itaque singula formemus argumenta, & singulis responsum demus.

Primum Photii. Si Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio: ergo in Trinitate erunt duæ causæ, duoque principia, atque duæ essentiæ. *Primū Photii*

Respondetur negando consequentiam, quam dixit, non probavit. Audiamus Sanctum Athanasium in sermone quarto contra Arianos, confutantem eos, qui ex Trinitate in Deo posita, dicebant consequens esse, ut essent plures Dii. Nā ab istis Arianis Photius argumentum prompsit. *Prima respōsio ex S. Athanasio.*

Non

Non enim, inquit Athanasius, *tria principia, aut tres Patres introducimus quemadmodum Marcionistæ, cùm non tres soles ad comparationem adducamus, sed unicum solem, eiusque splendorem, unicamquè ex ambobus lucem*. Hanc responsionem sibi datam à Sancto Athanasio Photius recipiat.

Aliud duo pricipia, aliud duo prima principia.

Responsio in forma erigatur. Si poneremus duo prima principia, sive *ut quo*, sive *ut quod* in producendo Spiritu sancto; ut puta plures Deitates, quæ sint principia *ut quo*, vel plures Patres, qui sint principia *ut quod*; sequeretur error Marcionis, & multitudo Deorum. Si autem ponitur unus Pater ut primũ principium *quod*, quia à se, & unus Filius ut secundum principiũ *quod*, quia à Patre spirat: negatur consequentia, ut eam negat Athanasius.

Itidem, si poneretur alia Deitas in Patre, ut principiũ *quo* Spiritus sancti, & alia essentia in Filio, itidem ut principium *quo*: sequerentur duo principia, duæ causæ, atque duæ essentiæ. At in Patre, & Filio ponimus unam essentiã ut principium *quo* tàm Pater, quàm Filius spirant Spiritum sanctum. Photiani verò ponunt duas essentias, unam in Patre, ex qua procedit Spiritus: unam in Filio, ex qua nõ procedit Spiritus. Vnam in Patre, quæ communicatur reipsa Spiritui, alteram in Filio, quæ non communicatur realiter.

Responsio ex D. Ansel. ca. 11

37. Sanctus Anselmus in libro de processione Spiritus sancti scribit. *Respondemus: quoniam sicut non credimus Spiritum sanctum esse de hoc, unde duo sunt Pater, & Filius; sed de hoc, in quo unum sunt: ita non dicimus duo eius principia, sed unum principium. Quippe cùm dicimus Deum principium creaturæ, intelligimus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unum principium, non tria principia: sicut unum creatorem, non tres creatores, quamuis tres sint Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: quoniam per hoc, in quo unum sunt, non per hoc, in quo tres sunt, est Pater, aut filius aut Spiritus sanctus principium, sive creator. Sicut igitur quamuis Pater sit principium, & Filius sit principium, & Spiritus sanctus sit principium; non tamen sunt tria principia, sed unum. Ita cùm Spiritus sanctus dicitur esse de Patre, & Filio: non est de duobus principiis, sed de uno, quod est Pater,*

&

& Filius; si tamen dici debet Deus habere pricipiũ, aut causã.

38. Ex hisce patribus cernis Athanasiũ maximè respicere principium *quod*, quia scilicet ponitur unus Pater, non plures, ideò unum esse principium, unum Deum. Ita Greci communiter loquuntur de principio hypostatico, non de essentiali, & de principio primo hypostatico, licèt quãdoque loquantur & de prima hypostasi, & de secunda, ut cùm dicit Spiritum sanctum esse *lucem ex ambobus*. Vides Anselmum maximè respicere ad principiũ *quo*, ut sicut in creãdo Angelo Michaele, Michael creatur à tribus, neque ponuntur tria principia, quia creant quatenus sunt unum in vi creativa, quæ est essentia. Ita in spirando Spiritu sancto, Spiritus spiratur a duabus hypostasibus, neque ob id ponũtur duo principia: quia spirãt ut sunt unum in vi spirativa, hoc est, in essentia cum primitate ad spirandum. Non debent tamen Latini concedere Patrem, & Filium esse duo principia, nisi limitando duo principia hypostatica, quia duæ sunt hypostases spirantes, una à se, altera ab alio.

Discrimen inter Athanasium, & Anselmum.

39. Secundum Photii. Si spiritus est à Patre, & Filio: spiratio à Patre esset imperfecta, & Pater imperfectè spiraret: Filius quoque imperfectè spiraret, & spiratio ab ipso esset imperfecta. Igitur Spiritus sanctus est ex duobus imperfectis constitutus, & compositus ex duabus causis.

Respondetur: proposita est consequentia, sed non probata. Photius non fundit oracula, ut ei sine probatione credamus. Faciamus argumentum simile.

Prima cõsequẽtia reijcitur.

Si Pater creat Michaelem, & Filius creat, & Spiritus sanctus creat eundem; sequiturnè ergo creatio à Patre est imperfecta, imperfecta à Filio, imperfecta à Spiritu sancto? Sequiturne ergo Angelus Michael est compositus ex tribus causis imperfectis? Vix credo posse consequentias alias usq; adeò frivolas erigi.

Quam ob rem dicimus Patrem, & Filium ut habentes unum omnino principium *quo*, sive unam vim spirativam, habere quoque unam, & eandẽ exactissimam spirationem activam, & producere unum Spiritum sanctum. Pater perfectissimè spirat, Filius perfectissimè spirat eadem prorsus spiratione, quia eodem prorsus

prin-

Principio spirativo.

40. Illud insuper aduerto pro secunda consequentia, qua infert, ergo Spiritus esset compositus ex duabus causis imperfectis: quòd ista consequentia nihil valet.

Secunda consequētia refellitur.

Neque enim compositum est compositum ex causis extrinsecis, & efficientibus: ut homo genitus ab homine, sole, Deo, non est compositus ex his tribus, sed ex materia, & forma. Nempe compositum ex causis intrinsecè constituentibus est compositum, non ex causis extrinsecè producentibus. Pater autem, & Filius sunt duo producentes extrinsecè Spiritum sanctum, non intrinsecè componentes.

Cur ergo si spiratio à Patre est perfecta, Filius spirat?

Respondetur, cur si creatio à Patre est perfecta, Filius creat? Eadem responsio est ad utranque interrogationem reddenda. Respondeant Theodoritani de creatione, & respondebunt de spiratione. Ratio verò est, quia plures hypostases vel agunt secundum unam rationem communem, vel secundum diversas, & proprias. Tres personæ creant non sub tribus rationibus, sed sub una ratione communi omnipotentiæ existente in eis cum primitate. Quare dū omnipotentia exit in actum secundum creandi, tres personæ per eandem omnipotentiam necessariò una, & eadem creatione creant. Eodem modo Pater, & Filius spirant, non ut Pater, vel ut Filius, sed ut habent unam essentiam communem cum primitate ad spirandum. Cùm ergo essentia, ut vis spirativa, exit in actum secundum spirandi, necessarò Pater, & Filius per eandem essentiam spirant. Nō ergo ex imperfectione duo spirant, sed ex unitate principii essentialis existentis in duobus: hoc est ex unitate perfectionis.

Plures hypostases agūt vel secūdū unā rationē agendi, vel secūdū plures.

Cur tres personæ & una creatio.

41. Tertium Photii. Si Spiritus est à Filio per processionem, Filius à Patre per generationem, ergo Spiritus sanctus pertinet ad ordinem nepotis.

Respondetur negando cōsequentiam, quoniam ordo patris, filii, nepotis, est ex naturali generatione. At Spiritus procedit libera, & liberali productione à Patre, & à Filio. Filius producitur per modum intellectus naturaliter operantis: Spiritus per modum voluntatis liberaliter do-

Filius, & Spiritus modo diverso producti.

donantis. Verùm si apud Photium est absurdum, ut Spiritus sit ordine tertius à Patre, atque ideò in ordine nepotis, pugnat cum Christo ponente Spiritum tertium à Patre Matth. 28. & cum Basilio libro tertio in Eunomium, asseverante Spiritum esse tertiũ à Patre, secundum à Filio. Sed quare non abominatur Photius, si Spiritum ponit in ordine fratris cum Filio, & ipsum Spiritum quasi Filium immediatè à Patre deducit non per medium Filium, ut per mediũ productum à Patre? Certè Gregorius Nyssenus in libro ad Ablabium docens distinguere personas ab invicem, scribit. *Ac rursus aliam differentiam consideramus. Nam aliud quidem continenter, & sine medio ex primo est: aliud verò per id, quod immediatè, & ex cõtinenti est.* Tertius ergo à primo est Spiritus quantum ad numerationem in loco nepotis: quantum ad generationem, & quantum ad immediationem ex primo, non est in ordine nepotis, quia nepos & genitus, & immediatè est à Filio: non sic à Patre.

Matt. 28. Basil. Vt sup. q. 2. nu. 28.

Greg. Nyss.

Spiritus ordine tertius à Patre non tamen ut nepos, aut Filius.

42. Quartum Photii. Si Filius per generationem est ex Patre, & Spiritus per processionem ex Filio: ergo Spiritus sanctus quoque per generationem procedit, atque Spiritus sanctus est genitus. Consequentiam probat, nam vel Spiritus sanctus procedit simul tempore cum Filio, vel posterius tempore. Secundũ est absurdum, ergo Spiritus simul cum Filio procedit. Sed Filius procedit per generationem, ergo spiritus procedit ex Filio per generationẽ.

Respondetur negando cõsequentiam. Ad probationem dico, simul duratione æternitatis & Filium à Patre, & Spiritum à Patre, & Filio produci; non tamen simul natura; Nam prius natura est productio Verbi per intellectum; quàm productio Amoris per voluntatem, quia voluntas nõ fertur in incognitum. Cum arguit, simul procedit Filius à Patre per generationem, procedit etiam Spiritus a Filio: ergo Spiritus etiam per generationem procedit. Istam consequentiam neq; Photius probauit, neque quisquam pro Photio probabit. Fallacia est figuræ dictionis, sophista, & hæretico digna: mutat enim quando, scilicet, *simul tempore*, in *agere*, vel *pati*, hoc est in generationem. Quid item secundum

Simul duratione, vel simul natura. Productio Verbi prior productione amoris

Fallacia figuræ dictionis mutans quando i agere.

secundum Theodoritanos, nonne procedunt simul à Patre Filius, & Spiritus sanctus? planè procedunt simul æternitate. Sequiturnè propterea, ut eadem productione procedant? Minimè gentium. Vanissima est igitur Photii argumentatio, & contra ipsum magis, quàm contra nos.

Replica 43. At dicet aliquis, ex eo, quod aliqua sunt simul tēpore producta, nō sequi, quòd eadem productione generationis producantur. Sequi tamen, si aliquid est à genito simul tempore productum cum ipso genito, ut ipsum sit productum etiam per generationem. Sic formata maiore.

Quando aliquid procedit per generationem, vt Filius, & aliquid aliud simul tempore procedit ab ipso Filio genito, etiam illud aliud procedit per generationem. Sed in proposito, Filius, & Spiritus sanctus simul producuntur, & Filius productus per generationē, produci tergo & Sp^s. erit productus per generationem.

Responsio ad replicam. Sed illa maior petit principium, hoc enim accipit, quod probare debet: nec enim necesse est, si eodem momento in intellectu, & voluntate angeli sit intellectio producta à mente: & à mente simul cum intellectione sit productus amor: non est necesse, inquam, si intellectio est producta naturaliter per generationem, quòd amor sit productus per generationem, imò producitur per spirationem. Potes ad hoc legere Aristotelem in libro de communi motionis causa, qui intitulatur de communi motu animalium, capite septimo, ubi docet, cognita maiore per intellectum, minore per sensum relata; statim sequi, tanquam conclusionē, ipsam operationem. Vt, potu indigeo, hoc est potabile, continuò bibo. Certè cognitis maiore, & minore, simul tempore cognoscitur conclusio, & productio cognitionis est merè naturalis. Simul tempore cum cognitione, conclusionis, inquit Philosophus, est operatio, ut potatio, factio vestis, & similium. Sed hæc operatio exterior frequenter est artificiosa. Ita à genito naturaliter producitur aliquid artificiosè, licèt simul tempore & illud producatur, & producat. Legantur ibi plura exempla.

Intellectio per generationem, amor per spirationē producitur.

Arist.

Simul tempore producta, non producī eadē productione.

44. Quintum Photii. Si Spiritus est à duplici hypostasi Patris, & Filii: ergo duo

sunt

sunt Spiritus, alter Patris, alter Filii, quod est absurdum. Probatur consequentia. Sicut se habet pars operans ad partem operantem: sic totum ad totum, & è contra. Sed fieri potest, ut ab una parte operatrice sint plures operationes, ut à manu, *scribere, verberare, honorare*; fieri autem non potest, ut una operatio sit à duabus partibus, ut ambulare à manu, & à pede; videre ab oculis, & auribus; imò pro diversitate partium operantiũ, diversæ resultãt operationes. Ita in totis, potest fieri, ut ex uno matris utero plures filii simul, aut successivè procedant: at non est possibile unũ filium ex duobus uteris matrum duarum procedere. Iam colligo argumentum. Quæ sunt à diversis hypostasibus operantibus, sunt hypostases diversæ: Spiritus sanctus, ad mentem Latinorum, est à diversis hypostasibus, Patre, ac Filio: ergo Spiritus sancti sunt duo distincti secundum distinctas hypostases operantes.

Eiusdē partis plura officia sed unū non pluriū partiū. Arist. pr. pol. c. 2. natura unum ad unū facit, non ad plura confer.

Respõdetur, negando maiorem: & inductio ad maiorem probandam facta, est insufficiens. Vel enim in operantibus diversis, sive partibus, sive totis, est una ratio formalis operandi, vel ne. Si non est eadem ratio operandi, prodibunt operationes, & opera diversa. Si eadem sit ratio operandi, à pluribus hypostasibus idem operatum, vel productũ existet. Ioan. 5. *quæcunque pater fecerit, hæc & Filius similiter facit*. Non alia Pater facit, alia Filius; non aliter Pater, aliter Filius, sed hæc, & similiter facit Pater, facit & Filius. Quam ob rem Michael Archangelus est una hypostasis, tametsi causata sit à tribus hypostasibus Patre, Filio, & Spiritu sancto. Non ergo si hypostases operantes sunt diversæ, hypostasis producta ab eis erit diversa, & multiplicata, sed una, & eadẽ. Ita, Filius Dei secundum divinitatem à Patre, secundum humanitatem à matre genitus est, nimirum à duabus hypostasibus: nec tamen Christus est duæ hypostases; quanquã Nestoriani, veluti Theodoritus, hoc prætendant.

Ioan. 5.

45. Verùm in isto casu apparet limitandam esse concessionem in prima parte factã; etenim pater, & mater sunt duæ hypostases, & habent diversas rationes operandi: nihilominus Christus est una

Vna hypostasis à multis hypostasibus, & una operatio à multis.

hypostasis à patre, & à matre; recipiens esse divinum à Patre, humanum à matre. Sic à multis trahentibus vel hominibus solùm, vel hominibus, & equis simul, est unus tractus navis. A duobus oculis, una visio: à duabus auribus, una auditio propter unam vim in eis unitam. Veruntamen in creaturis non potest esse una numero ratio formalis agendi communis multis hypostasibus, sicut nec una natura numero in multis hypostasibus. Ideò semper potest fieri distinctio operationis, licèt non sit distinctio in operato, seu producto; ut quando Deus, Sol, & homo, plures scilicet hypostases, generant hominem unum secundum hypostasim. Quocirca constat unam hypostasim posse produci à multis operantibus, & habentibus eandem rationem formalem agendi, & non habentibus eandem rationem formalem agendi. Multò magis autem poterit una hypostasis esse producta à multis hypostasibus, si in eis fuerit una ratio formalis agendi. In Deo autem *unica essentia, potentia, operatio omnino indivisa est in uno, in duobus, in tribus*: ideò ratio formalis agendi una est in tribus respectu unius creaturæ secundum hypostasim: similiter in duabus personis Patre, & Filio est unica ratio spirandi cum primitate, sive illa sit essentia, sive voluntas, sive ambæ, unum quippe sunt commune duobus, & duæ illæ personæ habentes unicam rationem producendi, unica productione producent unicum Spiritum sanctum.

Vna numero forma non est in multis hypostasibus creatis.

A multis, sive eandem sive diversam rationẽ agendi habentibus quãdoq. fit unum.

46. Denique omnia hæc argumenta confutantur ex comparatione facta per Diuũ Augustinum 5. de Trinitate cap. 14. cùm ait. *Fatendum est*, Patrem, *& Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia: sed sicut Pater, & Filius unus Deus, & ad creaturam relativè unus creator, & unus Dominus: sic relativè ad Spiritum sanctum, unum principium, sicut unus creator, & unus Dominus.*

Hæc à me, Domino, ut spero, suggerente, collecta sunt: Vnde nunc cum divino Vate in fine precabor: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Si quid autem per inscitiã irrepsit, rogabo cũ eodẽ sãcto, *Ab occultis meis mũda me Domine, delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas nè memineris.*

QVAE-

QVAESTIO SEXTA.

An si Spiritus sanctus non procederet à Filio, distingueretur personaliter ab eo.

CAP I.

Occasio disputationis propositæ, euentus, intentio, & ordo proponuntur.

1. EXorta est disputatio de processu Spiritus sancti à Filio inter Sanctum Cyrillum catholicũ patrem, atque Theodoritum Nestorianum hæreticum paulò post concilium generale Ephesinum, atque mansit pars Cyrilli communis in Ecclesia Orientali, & Occidentali usque ad tempora Constantini Copronymi, qui fuit princeps Iconoclastarum, & Agiomachorum. Tunc enim pars Cyrilli ad Latinos translata est per astutiam ipsius Copronymi, qui cum impugnaret sanctos, & sanctas imagines, cæpit, reprehensus à Latinis, reprehendere Latinos, quòd Spiritum sanctum ex Filio dicerent. Latini constanter sequuti sunt, quod S. Cyrillus, & synodus Ephesina asservérant circa processionem Spiritus sancti à Filio. Græci quoque plurimi in eadem sententia perstiterunt, quamuis propter quosdam in potestatibus constitutos, ut Copronymũ, atque Photium, & eorum fautores: secretius, & cautius loquerentur. Inde exortum est dissidium inter catholicos, & Photianos Theodoriti, & Copronymi sequaces.

S. Cyr. & syn. Ephes.

2. Porrò hac occasione Patres Latinæ Ecclesiæ excitati, obseruarunt omnes tàm Latinos, quàm Græcos, etiã Theodoritanos, & Photianos, convenire in duabus veritatibus de Deo, scilicet quòd in Deo est una essentia, & quòd personæ sunt tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Cæperunt ergo catholici ingeniosè argumentari, quòd si Spiritus sanctus non procedit à Filio, necesse est vel diuidere unitatem essentiæ divinæ, vel confundere Trinitatem personarum: eo quòd vel alia sit essentia Filii, alia Patris: vel una sit persona Filius, & Spiritus sanctus. Quidam tamen ex scholasti-

Cyrilliani, ac Theodoritani conveniunt in duobus.

cis (quod salua pace, ac dignitate illorum dictum sit) maluerunt contra catholicos argumentatores decertare: & ostendere, quòd hoc argumẽtum non sit efficax, quàm aduersus fidei hostes pugnare. Quod facilè cognoscet, qui cõparabit apud ipsos has duas quæstiones: primam; An Spiritus procedat à Filio; secundam, An si non procederet à Filio, distingueretur ab eo. Circa primam enim vel nihil, vel pauca tradidere: circa secundam plurima, & accuratissimè.

Melius pugnare pro fide quã pugnantes pro fide impedire.

3. Præstabat meliora excogitare argumẽta, aut isthæc roborare, si poterant: si non poterant, melius erat tacere, & non præbere opem aduersariis Fidei Catholicæ. Sicut enim ait Apostolus ad Philippenses primo: *Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Sive ergo per causam veri argumenti, sive per occasionem argumenti probabilis ad Christum, & Christi veritatem Theodoritani, & Photiani redirent, gaudendum esset.

Philip. 1

Diony. Areop.

Salubriter quoque monet S. Dyonisius Areopagita Sosipatrum sacerdotem epistola sexta, qui in aliorum opinionem, quæ mala ei esse videbatur, invectus erat. *Nec enim*, inquit, *eam si vel grauiter, & verè coarguas: continuò Sosipatri quoque recta erit opinio. Fieri enim potest, ut & te, & alios inter multa, quæ falsa & evidentia sunt: unum illud, quod est opertum, uerumquè lateat. Neque enim si quid rutilum nõ sit: iam etiam candidum erit; nec si quis non equus, necessariò iam homo est. Sic autem, si mihi obtemperaveris, facies. Desistes aduersus alios dicere, cæterùm ita pro veritate loqueris, ut ea, quæ dicuntur, argui, repelliquè non possint.*

Ne infirmes aliena, sed confirma tua.

Euentus tamen istius disputationis conditionalis inter Scholasticos fuit, aliquot veritates circa constitutiva personarũ examinare. Sed præter intentionem factum est, ut ex ista controversia scholastica nonnulli ex aduersariis facti sint robustiores ad se defẽdendum, primò dum certãtes contra Photianos, ab aduersariis scholasticis impediti, non certant pro veritate: secundò dum ab istis scholasticis dantur responsiones pro Photianis, & opponuntur argumenta contra certentes. Photiani

Ex disputationes scholast. cæterer eventus.

mo-

modum didicerunt, quo possent se à catholicorum argumentis defendere, atque adeò facti sunt obstinatiores. Profectò filii huius sęculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua: satis vigilantes sunt pro errore defendendo, neque necessum est, ut nos illos defendamus, aut pugnantes aduersus eos impediamus.

Intentio authoris. Intentio igitur est, si Deus iuuare dignetur, Fidei Catholicæ aduersarios iis armis exarmare, quę à nostratibus acceperunt.

Interea postquam causa fidei agitata est à nobis, istam quoque controversiam scholasticam, Divo Bonaventura Duce, pertractabimus tali ordine, ut primò circa unitatem essentiæ expendatur, Vtrum si Spiritus sanctus non procederet à Filio, diuidatur, an servetur essentiæ unitas. Posthac circa Trinitatem dicemus, utrum distinctio personarum Filii, & Spiritus sancti confundatur, necne ex eadem hypothesi. Adoriamur ergo, Spiritu sancto invocato, partem priorem. *S. Bonaventura dux disputationis.*

CAP. II.

Si Spiritus non procedit à Filio, essentia divina dividitur.

5. SAnctus Bonaventura præclarus pro veritate catholica circa Spiritum sanctum fuit propugnator in concilio Lugdunensi, in quo concilio ex pia doctrina, atque dexteritate sancti huius Doctoris magnoperè effulgente, & efferuente, sequuta est unio Latinæ, & Græcæ Ecclesiæ magna ex parte. Argumenta, quæ sanctus in concilio fecit, scripta non sunt, quoniam sanctissimus vir eatenus in Cardinalatu vixit, quatenus Græcos uniret Latinis. Vnione uno die celebrata, vir sanctus die sequenti ad cælos evolavit, ostendens se dignitatem Cardinalitiam non voluisse, nisi ad Seraphici amoris unionem perficiendam, mox abiecisse dignitatem. Quæ tamen scripsit iunior in libris sententiarum, colligam ad propositum. *Concil. Lugdu.*

Ergo S. Bonaventura in primo dist. 34. dubio 3. litterali, exponit quandam Divi Hilarii consequentiam in octavo de Trinitate positam, quæ talis videtur. Si Spiritus *S. Bon. S. Hil.*

tus Patris non est etiam Spiritus Filii, ergo natura Patris differt à natura Filii. Verba Sancti Hilarii sunt ista in distinctione 34. citata per Magistrum. *In aliquo differt Christi, & Dei natura, ne eadẽ sit, si prastari potest, ut Spiritus, qui Dei est, non sit etiam Christi.* D. Bonaventura tres ad hanc authoritatem affert expositiones, quarum tertiam totidem verbis refero. *Si Spiritus Patris non esset Filii, non oriretur à Christo; & si non procederet ab eo, non distingueretur originaliter, ergo essentialiter: ergo oporteret, quòd Spiritus, & Deus essentialiter differrent.* Consequentiæ vis est per locum à divisione; eo quòd omnis distinctio hypostasum est vel originalis, vel essentialis, si autem Spiritus non procedat à Filio, neque è contra, non esset distinctio originalis inter eos: & adhuc tamen Filius, & Spiritus supponuntur distinctæ hypostases, ergo essentialiter distinguuntur Spiritus, & Filius: quare etiam Pater ab eis essentialiter distinguitur. Nulla enim essentia divisibilis potest esse in pluribus distinctis hypostasibus, nisi ipsa dividatur in hypostasibus: quare si essentia diuiditur in Filio, & Spiritu, similiter dividetur in Patre. In cuius consequentiæ declaratione, duæ sunt suppositiones, prima, quòd Spiritus sanctus non procedat à Filio, sicut nec è contra: secunda, quòd Filius, & Spiritus sanctus sint distinctæ hypostases; quibus datis educitur consequentia concludens, non conservari unitatem essentiæ.

Mag. Floren.

Essẽtia diuisibilis in pluribus hypostasibus dividitur

6. Concilium Florentinũ sess. ult. ad imitationem Sanctorum Hilarii, & Bonaventuræ, similem, vel eandem consequentiam fecit. Concilium emaculatum refertur a Rada in controversia decimaquinta primi, articulo 2. cart. 335. in hæc verba. *Nam credentes Spiritum sanctum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, ut intelligant Spiritum à solo Patre procedere, & consequenter non esse Filium. Quia autem proferunt Spiritum sanctum ex sola Patris persona procedere, hi procul dubio re substantiã ab hypostasi separant, & partitionem imaginantur divinæ substantiæ; quod à ratione, fideque valde alienum piè creditur esse.* Quia verò Thomistæ hunc locum cõtra Scotistas obiiciũt, decla-

Concil. Flor.

Rada in primumre fertur.

declarat Rada, quòd *Qui credunt Spiritum sanctum à solo Patre procedere, tenentur unum è duobus credere, ut puta vel nõ esse Filiũ in divinis, vel si est, separatam esse Patris substantiam à Filii hypostasi; & consequenter imaginantur partitionem divinæ substantiæ. Cuius ratio est, quia cùm ex fide constet, Filium realiter distingui à Spiritu sancto, priusquè origine produci quàm Spiritum sanctũ: euidenter sequitur, quòd sicut Spiritus sanctus procedit à substantia Patris, similiter & ex substantia Filii. Nam si ex sola substantia Patris, necessariò sequeretur, quòd Pater, & Filius partitam haberent substantiam, sicut Petrus, & Paulus. Hæc est ratio concilij, quæ non solùm non est contra Scotum, sed eam ad idem probandum facit ipse in primo dist. 11. quæst. 1 Confirmatur expositio ex eodem concilio, ubi dicitur, quòd postquam Latini hac ratione usi sunt, requisiti à Græcis, ut eam magis explicarent, his verbis eam exponunt. Porrò autem nè identitatem, coniunctionemquè divinæ substantiæ distribuere, ac ipsam eandem substantiam re, non autẽ solùm ratione ab hypostasibus, & personis differre credere videamur; nec non ne quispiam credendo sanctum Spiritũ ex solo Patre procedere, tres in partes unicam illam divinam substantiam dividi mente conciπat: idcirco verbum, ex Filioq; necessarium in symbolo duximus esse. In cuius rationis expositione, non solùm non dicit cõcilium, quòd si Spiritus sanctus procederet à solo Patre, Spiritus esset Filius: sed dicit, quòd ex hoc, quòd Spiritus procedat à solo Patre, sequitur divinam substantiam tres in partes partitã esse, quarum una sit in Patre, alia in Filio, alia in Spiritu sancto, & ita secundum mentem Latinorum, ex hoc, quòd Spiritus sanctus procedat à solo Patre, sequitur quòd Filius, & Spiritus sanctus sint realiter distincti, non solùm secundum proprietates personales, sed etiam secundum substantiam.* Hucusq; Rada. Qui, prout apparet, explicat Scotum, ut voluerit, quòd Spiritus distinguatur & personaliter, & essentialiter, stante hypothesi.

7. Pater Faventinus in primo dist. 11. quæst. 2. disput. 38. cap. 5. cart. 239. nu. 29. eandem concilii authoritatem explicans, ait, quòd est *Efficacissima ratio contra Græcos ex absurdo, nam ex positione Græcorum sequũtur duo absur-* Faven.

da. Primum, quòd hypostasis separatur à substantia divina: secũdũ quòd divina substantia dividatur: quæ duo absurda redeunt in unum; consequentia autem probatur sic. Cùm Græci dicunt, Spiritum sanctum non procedere à Filio, consequenter docent ex solo Patre procedere, ac consequenter docẽt, Spiritum sanctum non esse Filium, alioquin negarent Trinitatem. Vnde cùm tres personas in divinis fateantur, necesse est, quòd asserant Spiritum sanctum esse distinctum à Filio: hoc autem admisso, si Pater solus spirat Spiritum sanctum, sequitur quòd Filius non accepit à Patre virtutem spirandi Spiritum sanctũ; illa autem virtus est substantia, quia est voluntas, & essentia; ergo separant substantiam à persona. Et rursus partiuntur divinam substantiam, quia tunc Filius non haberet totam substantiam Patris, ergo partem, quod est absurdum.

Scotistis defertur in exponendo Scoto.

Quamvis autem Doctor Subtilis in primo dist. 11. quæst. 2. tractans præsens quæsitum, nec verbũ habeat de distinctione essentiali: imò rationes eius videantur concludere, quòd cum unitate essentiæ staret distinctio Spiritus à Filio. Nihilominus in exponendo Scoto deferam duobus hisce præclaris Scotistis. Quam ob rem, cùm duæ sint suppositiones, una propria Theodoritanorum, quòd Spiritus non procedat à Filio: una communis de Fide, quòd Spiritus, & Filius differant realiter personaliter: & sequatur consequens illatum, quòd Spiritus, & Filius distinguuntur essentialiter. Scotus negato consequente, ut manifestè absurdo, debet negare alterũ ex antecedentibus, vel proprium Theodoritanorum hoc, *Spiritus sanctus non procedit à Filio*: vel illud commune, *Spiritus, & Filius distinguũtur realiter.*

Scotus non negat primum, imò illud supponit ex hypothesi, proponendo, si Spiritus non procederet à Filio, distingueretur ab eo; ergo negare debet secundum, scilicet, quòd Spiritus, & Filius non distinguantur personaliter stante hypothesi. An autem Scotistæ velint negare consequentiam concilii: an concessa consequentia, velint dicere, quòd Spiritus, & Filius nõ distinguuntur realiter, viderint ipsi. Hoc certum sit nobis, quòd si Scotus concedat, data hypothesi, sequuturum esse,

esse, ut Filius, & spiritus distinguantur essentialiter, est cum concilio, & cum Sancto Bonaventura in hac parte.

8. Dices. Concilium fecit consequentiam istam, sed non probavit, quare negari posset.

Officiũ catholici & reverẽ ia erga cõciliũ generale. Respondeo, Nemo catholicus debet esse magis sollicitus ad destruendam concilii consequentiam, quàm ad roborandam. Superius quæstione proxima declaravi, & probavi consequentiam, & potest breviter hic replicari, vel etiam amplificari diffusius.

Nyssen. Bellar. Primò ex authoritate Sancti Gregorii Nysseni in libro ad Ablabium, quam refert Bellarminus tomo primo Cõtroverſ. lib. 2. disp. 8. cap. 25 ut infra nu. 46. &c. *Eã* (inquit Nyssenus) *quæ circa causam, & causatum consideratur, differentiam, non negamus, per quod solùm discerni alterum ab altero deprehendimus: nimirum eo quòd credimus aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa, & ex eo, quod ex causa est.* *Solum origine personę divinæ distinguũtur.* Si ergo personæ divinę solùm distinguuntur per causam, & causatum; sive originans, & originatum: & per hypothesim tollitur hæc ratio distinguendi, quia inter Filium, & Spiritum non est ratio causæ, & causati, sed est negatio distinctionis originalis. Tunc sic argumentor.

Omnis distinctio in divinis personis vel est essentialis, vel originalis. Sed stante hypothesi, inter Filium, & Spiritum sanctum non est distinctio originalis, nempe originantis, & originati: & adhuc ponuntur Filius, & Spiritus sanctus distincti realiter personaliter. Ergo inter Filium, & Spiritum sanctum erit distinctio essentialis.

9. Rursus, ex doctrina Sãcti Bonaventuræ in primo dist. 9. quæst. 1. num. 21. productio esse potest vel de parte substantiæ producentis, sicut planta producitur ex parte plantæ generantis decisa, ut ex semine: vel de tota substantia generantis. Et in divinis non potest esse generatio ex parte, sed ex toto, quia divina substantia non est partibilis. Iam arguo. Aut Pater generans Filium (qui est simul natura cum Patre) dat illi totam suam substantiam, aut partem: si partẽ, ergo substantia divina dividetur in duas partes, et eadem ratione *S. Bon.* *Productio de substantia producẽtis tota, vel de parte eius.* *Substantia Dei tota in singulis personis*

in tres, connumerato Spiritu sancto. Si totam substantiam communicat, ergò cùm substantia Patris, & Filii communicatur Spiritui sancto tota; à Filio, & a Patre in Spiritum sanctum procedit, scilicet ab ea hypostasi, in qua ipsa substantia est, in eam, quæ accipit, aut procedit.

Accipit quippiã accipit ab eo in quo est ipsũ accepit.

3. Essentia in Patre tota est realiter communicabilis Spiritui. Essentia tota Filii, per hypothesim, non est realiter communicabilis Spiritui. Ergo aut duo contradictoria realia de eadem essentia verificantur, ut eadem essentia numero sit realiter communicabilis, & communicata Spiritui in uno signo naturæ, & nõ sit realiter communicabilis, & communicata Spiritui in eodem signo: aut non est eadem essentia in Patre, & in Filio.

10. 4. Deinde. Essentia ut in Patre est ratio comunicandi activè seipsam, & ratio producendi Spiritum sanctum: in filio, per hypothesim, non est ratio communicandi se, neque producendi Spiritum; ergo non est tota eadem essentia in Patre, quæ in Filio. Si autem dicatur, essentia etiam in Filio esse ratio communicandi se, & esse ratio producendi Spiritum: sed tamen Filium neque communicare, neque producere; tunc substantia, seu essentia Filii erit ratio agendi, & ipse Filius non aget, hoc est, neque cõmunicabit, neq; producet. Quare ipsamet substãtia Filii separatur ab hypostasi Filii. Etenim eatenus dicitur hypostasis esse agens, *ut quod* quatenus principium *quo* existens in hypostasi, agit *ut quo*: nam neque filiatio, aut Filius, neque paternitas, aut pater sunt rationes agendi, aut impediendi actionem ipsius essentiæ, & principiorum actiorum, quæ sunt in essentia. Quocirca videtur consequentia ista esse robustissima; si Spiritus non procedit a Filio, aut alia essentia est in Patre, alia in Filio: aut essentia ista separatur a Filio, dum ipsa est ratio communicandi, & tamen ipse Filius non communicat: & loquor de alietate, & separatione reali, quia tractamus de re, non de intellectionibus nostris.

Quia principiũ quo, agit ut quo: ideo principium quod agit ut quod.

11. 5. Insuper, omne subiectum includens in quid, & per se primo modo aliquam essentiam, habet per se secun-

do

do modo omnes potentias, virtutes, capacitates, propensiones illius essentiæ. Nam demonstratio potissima per definitionem subiecti, quæ inest per se primo modo, demonstrat proprietates secundi modi per se de eodem subiecto: Vnde nisi destruatur demonstratio propter quid, & potissima, non potest negari accepta propositio. Nunc autem essentia divina est quidditas, quæ includitur in tribus personis per se primo modo, & in quid; ergo, ut author est Scotus in quolibeto sexto, per ipsam essentiã demonstrabuntur de personis principia productiva, quæ sunt intellectus, & voluntas, sive ad rem nostram, vis generativa, & vis spirativa. Et consequenter demonstrabuntur productiones activæ, & passivæ, atque consequenter ipsa Trinitas demonstrabitur de Deo. Subiungo nunc. Sed in persona Filii non est proprietas per se secundo modo ostensa de Deo, scilicet vis spirativa, neque ipsum spirare (servato discrimine inter virtutem, & actum, quia virtus est in omnibus personis revera; sed actus est in illis tantum, quę habent virtutem cum primitate ad actum, sicuti in omni homine est potentia ad ridendũ, nõ in omni est risus) ergo in Filio non est essentia Dei Patris, quare alia essentia & argumentor breviter sic.

Scot.

In quacunque hypostasi est aliqua essentia per se primo modo, in ea hypostasi sũt proprietates illius esѕentiæ per se secundo modo.

Sed in Filio non est vis spirativa, quæ est proprietas essentiæ divinæ existentis in Patre pro eodem signo naturæ.

Ergo in Filio non est essentia Patris.

12. Adde his, duplicem esse demonstrationem, ac syllogismum, ostensiuum, & ad impossibile. Quoniam enim vnitas est esѕẽtiæ divinę in se, & eadem unitas est in personis Patre, & Filio; ostensivè arguitur, quòd Spiritus sanctus unus sit a Patre, & à Filio. Ita S. Cyrillus ad Hermiam libro 6. car. 126. fac. 2.

Syllogismus ostensiuus, & ad impossibile.

S. Cyr.

Cyrillus. *Cuius proprium dicimus esse Spiritum sanctum? Vtrum nè solius Dei, & Patris, vel etiam Filii, vel seorsim alterius: & amborum, quasi unum ex Patre per Filium propter idẽtitatem substantiæ?*

Hermias. Sic ego dico.

Cyrill. Rectè inquis, amice, & ob

& ob ingenium exercitatum in ſacris ſcripturis admiror, quòd hanc delegeris ſententiam.

S. Anſ. S. Anſelmus quoque de proceſſione Spiritus ſancti cap. 9. *Cùm legitur*, inquit, *illum à Patre procedere, de quo ait Filius: ego, & Pater unum ſumus. Confiteantur nobiſcum propter identitatem eſſentialem Patris, & Filij, illum à Filio procul dubio procedere.*

Ita oſtenſivè arguunt hi duo ſancti ab unitate eſſentiæ in ſe, & in duabus perſonis. Quocirca ſapienter Latini in concilio Florentino arguunt à deſtructione conſequentis; Si Spiritus non procedit à Filio, ſed à Patre ſolo: ergo nec manet unitas eſſentiæ divinæ in ſe, nec manet eadem in ipſis perſonis Patre, & Filio. Si enim eſſentia procedit in Spiritum ſanctum, utique procedit ex illis perſonis, in quibus eſt una, & eadem; ut argumentum ſit validum, & oſtenſivè, & ad impoſſibile in hac prima parte noſtrę diſputationis.

CAP. III.

Si Spiritus non procedit à Filio perſona Spiritus, & Filij una eſt, & Trinitas imminuitur, & ad hoc quædam prænotantur.

13. IN ſecunda parte diſputationis erat oſtendendum, quòd ex hypotheſi tollitur Trinitas perſonarum, eo quòd ſi Spiritus non eſt à Filio, Spiritus, & Filius ſunt una, & eadem perſona realiter. Doctor Seraphicus primo diſt. 11. quæſt. prima, fundamento quarto, ſic argumentatur. *Omnis diſtinctio perſonarum in divinis, attenditur ſecundum relationem, & originẽ: ergo ſi Spiritus ſanctus non procedit à Filio, nec è converſo, nulla eſt ibi origo, ergo nulla eſt ibi mutua relatio, ergo neque diſtinctio.* Quibus conſonant ea, quæ in primo diſt. 9. quæſt. 2. num. 27. & 28. ſcribit dicens. Relationes, ut ſint diſtinctivæ, duas conditiones poſtulare, alteram, ut ſint relationes ſecũdum eſſe, non ſecundũ dici tãtùm: alteram, ut ſint mutuò oppoſitæ, ſicut relatio principij, & principiati, finis, & finiti. (id quod ſaltem verum eſt quantum ad affirmativam; quòd ſi relationes ſunt mutuò oppoſitæ, tanquam producentis, & producti, realiter diſtinguant. Nam de negativa, difficultas poſterius apparebit.)

S. Bon.

Conditiones relationis diſtinctivæ perſonarũ.

Vi-

Videtur itaque S. Bonaventura in hoc argumento requirere ad distinctionem Filii, & Spiritus sancti personalem, ut una persona originetur ab altera, & proinde habeat relationem directè oppositam alteri: atque per consequens, si inter duas personas non sit origo, & relatio mutua: inter eas personas nec sit distinctio realis. Et rursus ista consequentia nititur in eadem propositione, quòd omnis distinctio realis hypostatum est vel originalis, vel essentialis; sed ex communi consensu Græcorum, & Latinorum non est distinctio essentialis inter Filium, & Spiritum sanctum: atque ex hypothesi disputationis, non est inter Filium, & Spiritum distinctio originalis: ergo inter Filium, & Spiritum non est distinctio realis, ut propter hoc Filius, & Spiritus sint una persona realiter. Eandem sententiam Divi Bonaventuræ tenet S. Thomas in primo dist. 11. art. 2. quæst. 1. & in prima par. quæst. 36. art. 2. ubi Caietanus latè disputat.

Omnis distinctio personarũ est originalis, vel essentialis.

14. Ego ad intelligentiam opinionis Divi Bonaventuræ, primò noto, quòd omnis distinctio hypostatica realis, aut est essentialis, aut originalis: quam distinctionem Doctor Sanctus sæpè affert, sed distinctionem originalem perpetim eodem nomine vocat: distinctionem essentialem variis nominibus appellat. Originalis distinctio est inter producens, & productum, sive inter eum, à quo alius, & qui ab alio, ut inter spirantem, & spiratum. Essentialis distinctio est, vel numerica tantùm, vel specifica, & numerica simul. Exemplum numericæ essentialis, ut Petrus, & Ioãnes distinguuntur numericè secundum hypostasim. Exemplum specificæ, ut Petrus, & Thabor mons: ubi cum distinctione hypostasum Petri, & Thaboris numerica, adest etiam distinctio specifica essentiarũ. Quandoque in eadem hypostasi reperiuntur & distinctio essentialis, & distinctio originalis respectu eiusdem: ut Abraham, & Isaac distinguuntur hypostasi numericè, & hoc essentialiter: distinguuntur etiam origine, quoniam Abraham est originans, Isaac originatus.

Distinctio originalis.

Distinctio essentialis.

In primo quidem dist. 34. dub. 3. Doctor Seraphicus ponit distinctionem hypostasum esse vel originaliter, vel essen-

tiali-

tialiter.

In primo dist. 2. quæst. 2. num. 17. distinctio personarũ affirmatur esse vel per additionem absoluti ad absolutum, vel per originem producti à producente. Sic etiam in primo dist. 8. num. 41.

Distinctio essentialis variè indicata. In primo dist. 7. quæst. 2. num. 16. quæ communicant in eadem natura, necesse est distingui vel per materiam, vel per originem.

In primo dist. 24. num. 18. & primo dist. 34. quæst. 1. num. 9. Omnis distinctio hypostasum affirmatur esse per qualitatem, vel per originem: prima distinctio est per qualitates absolutas distinguentes à priori, vel per notificantes distinctionem à posteriori. Distinctio per origines est per ordinem, & respectum eius, à quo oritur, & qui oritur ab eo

15. Itaque originalis distinctio semper effertur eodẽ vocabulo; sed membrum illi oppositum dicitur esse distinctio essentialis, per additionẽ, per materiam, per qualitatẽ.

Distinctio hypostasũ essentialis est per materiam. Ratio hæc est, quoniam omne subsistens distinctum per rationem absolutam ab alio subsistente, constat ex materia, & forma (solus enim Deus in sẽtentia B. Bonaventurę est immaterialis simpliciter) sive sit subsistens spirituale, sive subsistens corporale: spirituale constat ex materia prima, & forma substantiali spirituali: subsistens corporale ex materia prima, & forma substantiali corporali. *2. d. 3. q. 1. 2. 3 & 1. dist. 8. q. 6. & 2. d. 17. q. 2. Omne creat. est materiale.*

Distinctio essentialis per qualitatem Materia, & forma sunt duo entia absoluta, quorum materia est distinguibilis, & qualificabilis: forma distinctiva, & & qualificans. Nam & forma in hoc sensu appellatur qualitas, nempe substantialis, eo modo, quo in 5. Metaphysic. 19. differentia substantialis appellatur qualitas. *5. Met.*

Ea propter distinctio ista hypostasum, quæ non est per solam originem, quandoque vocatur distinctio per materiam, quandoque per qualitatem, id est, per formam absolutam, non per originem relativam.

Distinctio essentialis est per additionẽ. Cæterùm quoniã hęc duo principia essentialia non constituunt aliquod unum subsistens distinctum ab alio subsistente, nisi materiæ addatur forma; scilicet addatur aliud essentialiter, quod est forma, ad aliud essentialiter, quod est materia: quæ distinctio essentialis in additione propriè dicta requiritur; propter hoc

distin-

distinctio per absolutum sit dicta distinctio secundum *materiam*, secundum *qualitatem*, secundum *additionem*, & *essentialis*. Quoniam omne aliud subsistens (præter tria in Deo subsistentia) per distinctionē essentialem sic dictam distinguitur: & omne tale subsitens præsupponit compositionem Physicam, vel Methaphysicā pro ratione principiorum, ex quibus componitur. Ideò in essentia intrinseca talis subsistentis includitur materia, & forma, præsuppoπ itemquè cōpositio, & additio. At in distinctione hypostatica per originem, non est additio, neque enim producens additur producto ad constituendum unū subsistens: sed producens seipso realiter distinguitur a producto, id est, non per aliud realiter additum. Quapropter Diuus Bonaventura in primo dist. 2. quæst. 2. ad 3. num. 13. eleganter ait, quòd distinctio subsistentium per originē excludit *solitudinem*, non violat *simplicitatem*, & propterea distinctio per originem ponitur in divinis. Cùm igitur omnis distinctio hypostatica possit esse vel per absolutam entitatem distinguentem, vel per originem relativam: in divinis ex communi sententia, nō potest esse distinctio hypostasum per absolutum, quoniam omne absolutum est essentiale, & commune tribus, sed est sola distinctio per originem, prout S. Bonaventura in primo dist. 26. quæst. 3. num. 26 docet, & primo dist. 34. quæst. 1. num. 12.

S. Bon.

Distinctio hypostasū in divinis est per absoluta.

17. Sanè cùm in divinis ponenda sit distinctio hypostasum, illa distinctio erit vel essentialis ratione absoluti, vel originalis ratione relativi originalis. Primo modo poni est impossibile, quoniam unica est essentia realiter, & ei respondet unicum essentiale unitas rationis. Secundo modo est distinctio per originem inter Patrem, & Filium, nempe inter primam, & secundam personam: distinctio, ex hypothesi quæstionis nostræ, est per originem inter primam, & tertiam personam, scilicet inter Patrem, & Spiritum. Velle propositionem in aliis personis veram, falsificare in comparatione personæ secundæ cum tertia, est voluntarium. Quare negata distinctione per originem inter Filium, & Spiritum sanctum, alterum de duobus est dandū, vel quòd Filius, & Spiritus

non sunt duæ personæ realiter distinctæ, vel quòd distinguuntur & hypostaticè, & essentialiter simul.

Hinc habemus certissimã doctrinam, quòd originãs, & originatum sint duæ res realiter distinctæ, ut patet etiam ex Divo Gregorio Nysseno superius citato. Quod autem originans, & originans, vel originatum, & originatum distinguantur, est incertum. Ergo ista certissima conclusio, Filius, & Spiritus sanctus distinguuntur realiter, fundanda est in propositione illa certissima, quòd originans, & originatum realiter distinguũtur: non autem in illa incerta, originatum, & originatum distinguuntur realiter. Quæ propositio sanctis Thomæ, & Bonaventuræ falsa videtur, & multis aliis. Non est autem sana doctrina, veritatem certissimam fidei fundare super propositione incerta, & quæ probabiliter multis falsa videtur.

Greg. Nyssen. superius n. 8.

CAP. IV.

Posita, & negata hypothesi, variari rationes formales relationum divinarum probatur.

18. Secundò noto ex Aristotele in 2. Elench. cap. ult. principium virtute esse maximum, etsi mole quandoque sit minimum. Ideò facta vel minima in principio varietate, maxima varietas sequitur in principiatis: sicut patet ex minimo temonis motu fieri maximam in naui mutationem. Sic Aristoteles in primo de Generat. animal. cap. 2. habet. *Sed intelligendum sic est, ut principio vel exiguo immutato, multa ex ijs, quæ à principio sunt, immutari solent. Patet hoc in exectis, quibus parte genitali tantùm corrupta, tota ferè forma usque eò commutatur, ut aut feminæ esse videantur, aut parum absint.* Idem indicat in primo de Cælo 33. principium virtute maius esse, quàm magnitudine: propterea, quod in principio modicũ est, in fine fit per quàm magnum. Ex qua doctrina constat, quòd si principia divinarum personarum eadem maneãt, & stante veritate catholica, & stante hypothesi impossibili hæretica ista, *Spiritus non procedit à Filio*: Sequetur, quòd Filius, & Spiritus

Aristo. 2. El.

Minima varietas i principio, magna in principiatis.

Arist. 1 de Gen. animal.

1. Cælo. 33.

tus

ctus sint duæ personæ distinctæ, stante, vel non stante hypothesi. Si autem fiat varietas in principiis, fiet in principiatis: ut personæ quæ ex veritate sunt duę, ac distinctæ, ex hypothesi nec sint duæ, nec distinctæ.

Principium personarum originale, formale 19. Porrò principium divinarum personarum duplex consideratur, alterum originale, alterum formale: principiũ originale est vis generativa, & uis spiratiua. Principiũ formale cõstitutiuũ in esse hypostatico, hoc est, in esse substantiæ incõmunicabilis, est aliquid per se primò incõmunicabile: & illud idẽ est distinctiuũ à quocunq; alio incompossibili sibi in tali esse, ut Scotus 1. dist. 11. q. 2. indicat de spiratione, & generatione passivis. *Scot.* Sunt autem principia formalia constitutiva, & distinctiva in esse personali origines relativæ, uti S. Bonaventura 1. dist. 13. q. 3. & dist. 26. q. 3. docet. *S. Ben.* Oportet igitur considerare, an stante, & non stante hypothesi, maneãt eædem rationes formales principiorum originalium, & formalium. Quia verò in ista cõtrouersia Scotus in 1. dist. 11 q. 2. est nobis aduersus, nonnulla ex eius placitis oportuna proferam ad nostrũ propositum conducentia, ut ad hominẽ saltem concludamus. *Scot.*

20. Scotus itaque in primo dist. 26. q. 1. E. sic arguit ad probandum, quòd personæ divinæ non constituuntur per relationes originis, quia paternitati ex sua ratione formali repugnaret communicabilitas, quod est falsum. Et in quinta explicatione sic ait. *Quia etiam si ponerentur quæcunque positiones impossibiles, vel incompossibiles, stante intellectu rationalitatis, repugnaret sibi dividi in plures naturas specificas; puta, si ponatur, quòd rationale esset differentia specifica coloris, & quòd ille color possit causare substantias de nihilo, vel quæcunq; talia. Posita autem hac positione impossibili, quòd prior esset productio voluntatis, quàm intellectus, saluata ratione generationis, & spirationis: spiratio activa eßet in uno supposito, & generatio activa tunc esset in duobus: quia tunc Spiritui sancto in primo instanti, in quo spiratur, communicatur vis generativa; ergo modò generationi activæ in se non repugnat ex se formaliter communicabilitas.* *Scotus obiici[t]* Quia verò constitutiuum personæ debet esse ex se formali

ter, seu se toto, vel per se primò incommunicabile, sequitur quòd paternitas non erit constitutiva personæ.

Respondet ad hoc argumentum sub littera Y. *Quòd etiam dicis ad quintam probationem, quòd quacunque positione facta possibili, vel impossibili, stante ratione sua, ipsum remanet incommunicabile. Concedo, stante ratione eius, & non posito aliquo repugnante rationi suæ. Quòd si ponatur rationem eius manere, & aliquid repugnare: tunc ex oppositis in antecedente, sequuntur opposita, scilicet quòd ipsum sit incommunicabile ex se formaliter, & possit communicari. Et ita in proposito, si ponatur spirationem præcedere generationem activam, ponitur aliquid incompossibile paternitati Patris, & tamen rationem paternitatis manere. Et ita sequitur, paternitatem esse communicabilem ex primo, & tamen incommunicabilem ex secundo. Vnde formaliter contradictio est, generationem esse secundam productionem in divinis: paternitas igitur in divinis, quia divina, est incommunicabilis.* Hactenus Doctor subtilis. Ex qua doctrina patet, quòd si ponatur aliqua ratio manere, & ponatur aliquid

Scotus solvit.

repugnans tali rationi, includitur contradictio, ut scilicet illa ratio maneat, & non maneat. Hinc deducitur, quòd si ponatur aliquid oppositum rationi formali rei, ratio illa formalis non manet, sed variatur.

21. Nunc expendamus principia originalia, quæ sunt ordinatè activa, intellectus scilicet, & voluntas. Intellectus autem est prior naturaliter, & per cõsequens cùm per intellectum producitur Verbum, Verbo communicatur essentia divina cum omnibus essentialibus, atque ideò cum voluntate: nec non etiam cũ prioritate ad actum adæquatum voluntatis spirandi. Et si variatur hic ordo, secundum hanc responsionem dictam Scoti, includitur cõtradictio. Nunc autem stante hypothesi, ponitur varietas, quoniam vel essentia, & voluntas non communicantur Filio prima productione per intellectum: vel non communicatur primitas, & fœcunditas fundata in voluntate ad actum spirandi: & per consequens vis spirativa, quæ de se est formaliter communicabilis Patri, & Filio cum primitate, fit formaliter incommunicabilis Filio

Vis spirativa formaliter variatur ex hypothesi.

Atqui

Atqui formalitas de se communicabilis, & formalitas de se incommunicabilis non sũ: eadem formalitas, ut Scotus docet in primo dist. 2. quęst. 7. ad Fr. ergo vis spirativa, scilicet essentia, & voluntas, non sunt ejusdem rationis stã te veritate, & stante hypothesi, sed ex ratione formali communicabili fiunt ratio formalis incommunicabilis, & implicatur contradictio. Igitur ex ablatione, vel positione istius hypothesis impossibilis, variatur ratio formalis virtutis spirativæ, & primitas ad spirandum; quare est varietas formalis in principiis originalibus. Transeamus ad principia formalia.

Scot.

22. Primò, spiratio activa secundum veritatem, est seipsa formaliter communicabilis Patri, & Filio. Secundum hypothesim fit incommunicabilis, nam in solo Patre collocatur, & non potest esse in Filio: quicquid enim in divinis ad intra potest esse, necessariò est; & quod non est ad intra, est impossibile esse: nihil enim est contingens ad intra. Quare si ratio formaliter communicabilis, & ratio formaliter incommunicabilis non sunt eadem formalitas ex natura rei, variatur ratio formalis spirationis activæ. Quæ si ponatur manere, ponitur seipsa formaliter communicabilis: si ponatur non esse in Filio, sed in Patre solo, ponitur seipsa formaliter incommunicabilis, & implicatur contradictio ex prædictis.

Spiratio activa formaliter variatur.

Vorilon 1. d. 11. & Bargius concedunt

Spirationem fore diversæ rationis.

23. Quinimò si spiratio activa seipsa formaliter erit incommunicabilis, arguam. *Unicuique Quo correspondet suum Quod.* vel *Quis adæquatè*, per Scotũ 1. dist. 4. quæst. 2. ergo spirator erit constitutus in esse incommunicabili per se non primò: si autem persona est illud, cuius constitutiuum est per se primò incõmunicabile, & ipsum constitutum est constitutum in esse incommunicabili per se non primò; iam fiet, ut spirator sit persona. Pater etiam erit persona per paternitatem constituta in esse incommunicabili per se non primò, ergo ex parte productionum activarum in divinis habebimus duas personas constitutas in esse incommunicabili, videlicet Patrem, & Spiratorem, atque adeò pro Trinitate, quaternitatem assequemur.

Spirator variatur formaliter

Scot. in 1. d. 4.

Responderi potest ad hoc, quòd

quòd non omne per se primò incommunicabile, sive non omne incommunicabile ex sua ratione formali tota, constituit personam in esse personali: sed illud incommunicabile formaliter constituit, quod est primum secundum ordinē originis in ipsa persona. Vt quia stante hypothesi in prima persona essent duæ realitates seipsis formaliter incommunicabiles, nempe generatio activa, & spiratio activa: generatio activa constitueret personam primam, spiratio activa adueniret personæ constitutæ, & constitueret etiam ipsa in esse Spiratoris incommunicabili, non tamen esset constitutiva, sed aduentitia.

Aduersus hoc duo dicam. Primò, quòd ratio personæ nō erit constitui in esse incommunicabili, sed præter hoc requiritur alia noua conditio, nondum excogitata, scilicet *primitas secundum ordinem originis*, seu generationis *inter entitates incommunicabiles*. Sic noua difficultate ex urgente, nouæ conditiones fient, & nunquam sufficiet.

24. 2. Eodem modo à nobis dicendum esse stante hypothesi, scilicet quòd secunda persona habebit duas entitates incommunicabiles seipsis formaliter: prior est ordine generationis ipsa generatio passiva, posterior est spiratio passiva: quæ ambę & secundū veritatem sunt seipsis incommunicabiles formaliter: & item sunt seipsis formaliter incommunicabiles ex hypothesi aduersarii, ponentis per eas constitui duas personas in esse incommunicabili. Dicemus ergo secundam personā habere duas entitates reales seipsis formaliter incommunicabiles, & priorem esse constitutivam, posteriorem esse aduentitiam, remanebuntquè tā tùm duæ personæ in divinis, ut intendimus concludere. Quod verò prætendunt aduersarii, istas productiones passivas, etiam stante hypothesi, fore incompossibiles, suo loco tractabimus.

25. Secundò ad principale. Inter principia formalia contemplemur filiationem, & spirationem activam. Secundum veritatem filiatio, & spiratio activa sunt compossibiles in eodem subsistente Filio: sed ex hypothesi fiunt incompossibiles. Cùm autem omnis compossibilitas, vel incompossibilitas, repugnantia, vel non repugnantia primò, & *Filiatio & spiratio activa formaliter uariantur.*

&

Omnis capacitas, vel proprietas, ex ratione formali

& immediatè consurgat ex rationibus formalibus rerum, assertore Scoto in primo dist. 36. quæst. 1. & dist. 43. q. 1. & quolib. 5. ac sæpè alibi. Ergo ratio formalis filiationis, quæ secundum veritatem est compossibilis cum spiratione activa, fit incompossibilis, & repugnans spirationi activæ. Quare ratio filiationis non manet eadem stante hypothesi, & non stante hypothesi: imo ex ratione formali compossibili, fit ratio formalis incompossibilis.

Præterea. Filiationi ut filiationi competebat secundũ veritatem constituere personam, cui nec repugnaret terminare spirationem passivam, nec elicere spirationem activam, neque esse correlatiuum Spiritus sancti. At ex hypothesi repugnat Filio vel elicere spirationẽ activam, uel terminare spirationem passivã, uel esse correlatiuum Spiritus sancti; igitur ratio formalis filiationis non manet eadem; vel si ponatur manere eadem formaliter, ponitur ratio compossibilitatis ad tria prædicta: & rursus ponitur esse ratio incompossibilitatis ad eadem tria. Quare includuntur duo contradictoria in filiatione.

Spiratio passiva formaliter variatur.

26. Tertiò. Inter principia formalia, spiratio passiva formaliter variatur ex hypothesi, unde non manet eadem formalitas, quod probatur.

Primò sic. Variato per se priore, & adæquato principio proximo formaliter, variatur principiatum eius: Nam impossibile videtur ea, quæ sunt eiusdem rationis formalis, nõ præsupponere principium adæquatum, & proximum eiusdem rationis. Sed spiratio activa, & spiratio passiva ita se habent, ut spiratio activa sit per se principium proximum, & adæquatum ipsius spirationis passivæ: sicut in libro de sex principiis dicitur passio esse effectus, sive illatio actionis. Ergo variata ratione formali spirationis activæ, ut antea probavimus: variatur etiam ratio formalis spirationis passivæ.

Author de sex principÿs.

Secundò sic. Relationi per se, & primò unius rationis, non potest competere correlatio, nisi per se, & primò unius rationis: quoniam correlationes mutuæ sunt sibi ex sui ratione formali adæquatæ. Sed spiratio activa, & spiratio passiva sunt correlationes mutuæ, & variatur ex hypothesi

Relationes mutuæ sibi sunt adæquatæ.

ratio

ratio formalis spirationis activæ, quia de communicabili formaliter, fit formaliter incommunicabilis: & de compossibili cum secunda persona, fit formaliter incompossibilis, ut diximus. Ergo & spiratio passiva sit alterius rationis secundum hypothesim, quàm esset secundum veritatem. Et quidem clarissimum est, quòd una relatio quidditativè, & formaliter, non potest correspondere duabus correlationibus formaliter, & quidditativè diversis: sicut neque unum correlatiuum potest esse ad duo correlativa diversa quidditativè, & formaliter, ex 5. Metaphysicæ cap. de Ad aliquid.

Ad nu. 22. & 25.

5: Met.

27. Tertiò sic. Nihil potest inesse necessariò alicui, nisi etiam per se insit eidem, ex primo Post. 44. Si enim inest per accidens, non necessariò inest. Filio autem secundum veritatē necessariò inest spiratio activa, ergo & per se inest Filio. Igitur per se est, ut spiratio passiva sit à Filio, atque ut spiratio passiva terminetur ad Filium. Atqui ex hypothesi nec spiratio activa est in Filio, nec spiratio passiva est à Filio, aut terminatur ad Filium, ut ad correlatiuum, imò hoc sibi formaliter repugnat: ergo variata est ratio formalis spirationis passivæ, cui enim formaliter ex se non repugnabat referre formaliter ad Filiū, & esse à Filio, saltem indirectè, iam repugnat omninò referre ad Filium, sive esse relationem ad Filium, & esse à Filio.

1. Post.

28. Quam ob rem facta est varietas rationis formalis in spiratione activa, in filiatione, in spiratione passiva. Forsan & ratio formalis generationis activę variatur: quoniā generatio activa erat compossibilis, non stante hypothesi, cum communicatione activa spirationis activæ, & principij spirativi: imò erat conditio necessaria, per quam, vel sine qua non communicabatur principium spiratiuum, & spiratio activa. Nunc autem ex hypothesi ponitur non esse talis conditio, sed esse formaliter repugnans communicationi & principii spirativi, & spirationis activæ; quare non est eadem ratio formalis manens secundum veritatem, & secundum hypothesim, nisi duo contradictoria includat.

Generatio activa formaliter variatur.

29. Præterea, conditio, sine qua non sit in divinis productio, est conditio hypostati

Conditio spirativi principii variatur. Scot. 1 d. 7.

ca per Scotum 1. dist. 7. q. 1. Nam principium productiuũ *ut quo*, non exit in actum, nisi sit in supposito conveniente ad actionem. Sed ex per se ratione principii spirativi est, ut sit in duobus suppositis, tanquam conditione, sine qua non: nec enim unum tantùm est conveniens ad actionem, sed necessariò ex ordine principiorum, principium spiratiuum ex sua ratione formali, requirit, ut sit in duobus suppositis: Omnis enim convenientia, & repugnantia resolvitur ultimò ad rationem formalem convenientium, vel repugnantium, tanquam ad primam rationem. Nunc autem stante hypothesi, principium formale spiratiuum *ut quo* ex sua ratione formali non prærequirit, duo supposita tanquã convenientia ad actionem, sed requirit, & ei sufficit ad actionem, productivam unicum suppositum Patris; ergo & hinc apparet rursus variata ratio formalis principii spirativi, & variata conditio ipsius ad spirandum.

30. Adhuc. Quando in aliqua natura sunt duo principia perfecta ex suis per se rationibus formalibus ordinatè activa, secundum principium non est in potentia proxima ad agendum primò, nec potest exire in actum, nisi præsupposito actu secundo prioris principii; sed posito actu principii prioris, quod est ex se in potentia proxima ad primò agendum, statim etiam posterius principium *Quo* est in potentia proxima ad actum suũ. Sed essentia divina vel habet duas vires, generativam, & spirativam, tanquam principia ut *Quo* virtute distincta, vel habet intellectum, & voluntatem ut principia productiva, inter quas vel vires, vel potentias ex suis rationibus formalibus est per se ordo, ut vis generatiua, & intellectus sit principium prius: vis spirativa, & voluntas sit posterius principium. Ergo principium spiratiuum non est in in potentia proxima ad spirãdum, nisi præsupposita generatione per vim generativam: qua generatione præsupposita, vis spirativa est in potentia proxima ad spirandum. At præsupposita generatione, ex necessitate essentia cum vi spirativa est in duobus Patre, & Filio communicata, ergo conditio constituens vim spirativam in potentia proxima ad

Productiuum in potẽtia proxima, & remota quando

 spiran-

ſpirandum, eſt ut eſſentia, & vis ſpirativa ſit in Patre, & Filio ſimul, tanquam in ſuppoſitis convenientibus ad actionem, ſine quibus ipſa vis ſpirativa non eſt in potentia proxima, & quibus poſitis eſt in potentia proxima.

Variatio formaliũ rationũ colligitur.

31. Per hypotheſim autẽ aufertur hæc ratio potentiæ proximæ, quia non neceſſariò requiritur, ut vis ſpirativa ſit communicata Filio; aufertur conditio Patris, quia per veritatem Pater ſolus non erat conveniens ad agendum, per hypotheſim Pater ſolus eſt ſuppoſitum conveniens. Per veritatem Filius etiam erat ſuppoſitum conveniens ad ſpirandum, per hypotheſim ſit diſconveniens. Igitur per hypotheſim variatur ratio virtutis ſpirativæ, ratio paternitatis, quæ ſola cum principio ſpirativo non erat conditio conſtituens principium *Quo* in potentia proxima. Variatur ratio Patris, qui ſolus ponitur eſſe ſuppoſitum conveniens ad ſpirandum. Variatur ratio filiationis, quæ non neceſſariò coniungitur cum principio quo ſpirativo ad conſtituendum illud in potentia proxima. Variatur ratio Filii, qui amplius non eſt ſuppoſitum conveniens ad ſpirãdum; ut tanta varietas rationum formalium omnino auferat principia formalia conſtitutiva perſonarum, atque diſtinctiva.

Patris ratio variatur formaliter in hypotheſi.

Reſponſio tacita pro aduerſarijs.

32. Obiicies. Quòd iſta conditio, vel ſuppoſitorũ convenientium ad ſpirationem, vel conditionis conſtituentis in potentia proxima non provenit ex ratione interna paternitatis, vel Patris, filiationis, aut Filii: ſed convenit quaſi per accidens (dico per accidens logicè, non realiter) ratione eſſentiç, aut principiorũ originalium abſolutorum, ordinatè activorum ex ſuis rationibus formalibus.

Reijcitur.

Contra inſurgo, quoniam ſive id proveniat originaliter ex ratione hac paternitatis, & filiationis, ſive ex illa principiorum activorum intellectus, & voluntatis; hoc tamen erat ex ratione formali paternitatis, ut ſibi ſoli non conveniret eſſe conditionem principii ſpirativi, imò ſibi repugnaret acceptæ ut ſoli: ſed ſimul requirebantur paternitas, & filiatio ad conſtituendam vim ſpirativam in potentia proxima; omnis enim compoſſibilitas, & incompoſſibilitas in rationibus formalibus

præcisè fundatur undecunq; tandem proveniat. Igitur ex ratione formali paternitatis, & Patris aliquid non repugnat ex hypothesi, quod repugnabat ex veritate: & aliquid repugnat, quod non repugnabat.

Ratio Spiritus sancti variatur formaliter. *2. Cor. 13.* 33. Denique, Spiritus sanctus ex communi consensu Græcorum, & Latinorum, procedit ut nexus, & communicatio, iuxta Diuum Paulum in 2. Cor. 13. *Cõmunicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis*. At si secundum hypothesim, à Patre solo procedit, *Spiritus sanctus est nexus.* iam non est nexus, & communicatio Patris cum Filio, Filii cum Patre. Aut enim est nexus secundum consubstantiale, aut secundum causale, prout Græci loquuntur: vel secundum essentiale, aut notionale, prout Latini dicunt. Non secundum consubstantiale, quoniam eadem essentia omnino indistincta est in tribus, ergo & ratio nexus, sive communicationis esset unica, & uniformis in tribus, quod est absurdum. Ergo est secundũ causale, seu notionale. Si verò Spiritus neque causat Filium, neque causatur a Filio, nulla relatio causalis, seu notionalis est Spiritus ad Filiũ, vel e contra: ergo Filius, & Spiritus sanctus habet connexionẽ cum Patre, & Pater erit nexus, atque communicatio: sed inter se nullam habent correlationem, seu connexionem. Quocirca cùm nexus in divinis esse valeat vel in ratione producentis tantùm, vel in ratione producti tantùm, vel in ratione producentis simul & producti; quando scriptura, & Patres dant rationẽ nexus, & communicationis Spiritui sancto, non dant illi rationem nexus per modum producentis, neque per modũ producentis, & producti, quia Spiritus ad intra nil producit. Ergo Spiritus à scriptura, & patribus ponitur esse nexus, et communicatio Patris, & Filii, ut productum tantùm; quare Spiritus sanctus procedit per modum nexus producti a Patre, & à Filio. Per hypothesim autem aufertur hæc ratio nexus, & communicatio nis à Spiritu, ut non sit nexus, & communicatio cum Filio. Ergo variatur quoque ratio Spiritus sancti.

34. Respondet unus ex adversariis. *Græci non haberent pro inconvenienti hoc. Quia ipsi dicerent, quod Spiritus sanctus, qui est tertia persona Tri-* *Fau. 1. fund. 18 car. 234. Resp ad uersariorum.*

nitatis, non est hic, qui est à duobus, sed ille, qui est à Patre solùm, & ita hæc responsio, quòd non esset hic Spiritus sanctus, qui est modò, nihil officeret Græcis, contra quos Latini contendunt probare, quòd Spiritus sanctus, qui modo est, procedit à Filio.

Præterea, probatur falsum esse, quòd si Filius non spiraret Spiritum sanctum, non esset eadem persona Filii numero, quæ modò est. Nam quod ex ratione sua intrinseca constituitur in esse hoc numero, per negationem alterius extrinseci, quod non est de ratione constitutiva eius in esse hoc numero, non amittit esse illud numero, quod prius habebat. Sed Filius constituitur per filiationem; spiratio autem activa est extra constitutivum personale Filij: ergo ablata spiratione, non auferretur, quin esset idem numero Filius, qui modò.

Contra primã partem responsi Aduersus primam partem dico, quòd iste doctor docet, quomodo Græci respondere deberent, non quomodo respondent. Nunquam enim, quantum legere potui historiam controversiæ inter Theodoritanos, & catholicos, inveni Græcos dixisse, quòd Spiritus sanctus positus à Latinis sit diversæ rationis à Spiritu, qui ponitur à Græcis. Desideraret ipse, ut Græci sic dicerent: sed Græci, & Latini sciũt unicam esse rationem formalem Deitatis, unicam rationẽ intellectus, unicam voluntatis in divinis, & illam unicam rationem confitentur. Græci, & Latini credũt illas rationes formales Patris, Filii, & Spiritus sancti, quas Christus revelavit Matth. 28. Neque est intentio Ecclesiæ Orientalis, aut Occidentalis credere aliam rationem formalem unius essentiæ, & trium personarum, nisi præcisè illam rationem essentiæ, & illas rationes personarum, quas Dominus, & Magister docuit. Quod si præter intentionem aliud dicatur; certum est, quòd si ostendatur error, utraque Ecclesia errorem abiiciet, & ad Christi intentionem reducetur, à qua nunquam recedere intendit. *Mat. 28.*

35. Sed quando disputatur hæc quæstio Scholastica non agitur contra hæreticos, ut aduertit VVillelm. Okam. in 1. d. 11. q. 2. Sed agitur inter catholicos, qui ex una parte supponunt veritatem fidei, ex alia parte cognoscunt hanc hypothesim esse hæreticam, &

& impossibilem, ut inde cognoscant, quantum hæresis exorbitet à veritate catholica: & quid possit afferri ad veritatis confirmationem, & refutationem falsitatis. Vnde nunc est inoportunum afferre, quid Græci dicerent, sed opportutum est quærere, quid rei veritas habeat, quid falsitas. Vt denique appareat, an intentum Scoti, quod proponitur à citato Doctore, sit verum: dicit enim intentum Scoti esse ostendere, rationem Divi Thomæ esse inefficacem. Scilicet efficaciùs pugnare intendit contra Thomam, quàm contra aduersarios fidei. O utinam eadem efficacitate, & intentione, atque copia contra Theodoritanos pugnasset.

Intentū Scoti.

36. Aduersus secundam partem dico pro responsione, acceptum fuisse negotium probandi, quòd Spiritus sanctus esset eiusdem rationis: & tamen præter intentum probatur, quòd Filius esset eiusdem rationis.

Contra secundā partem responsi

Respondetur tamen ad maiorem, si aufertur aliquod extrinsecum à cōstitutivo intrinseco, aut ex ablatione illius extrinseci variatur ratio intrinseca constitutivi, aut non. Si variatur, nego maiorem: si non variatur, concedo maiorem. Ad minorem dico, stante hypothesi, variari rationem formalem filiationis propter diuersas causas superius dictas, ut quòd est incompossibilis ex ratione sua cum spiratione activa, quòd est incompossibilis cum principio spirativo, quòd non potest esse ratio constituens principium spiratiuum in potentia proxima, quòd non est cōpossibilis cum termino spirationis passiuæ, & propter alias rationes. Negatur ergo minor simpliciter.

Probatur interea Filium, & filiationem non fore eiusdē rationis, quoniam ex prima parte illius quæstionis, data hypothesi, alia esset essentia Patris, alia essentia Filii, sicuti concedunt citati Scotistæ ad mentem Scoti. Tunc arguo. Mutato fundamento formali alicuius relationis, vel termino formali, aut utroque, necessariò mutatur etiam ratio formalis ipsius relationis: cùm relatio suam entitatem formalem habeat à rationibus formalibus extremorū.

Filiatio, & Filius in hypothesi nō sūt eiusdem rationis. Imò nec essentia.

Sed essentia divina est proximum fundamentum relationum personalium, vel essentia

appro-

appropriatè cum intellectu, & voluntate est fundamentũ productionum activarum, & terminus passivarum: essentia cum notitia, & essentia cũ amore est fundamentum formale passivarum, & terminus formalis activarum productionum: prout Scotus quolib. 2. & 1. dist. 13. q. 1. tradit. Ergo filiatio, quæ secundum veritatem fundatur in essentia eiusdem rationis formalis cum essentia Patris, fundaretur in alia essentia diversæ rationis, nempe essentialiter distincta; ergo filiatio esset alterius rationis, similiter & paternitas. Quare Pater, & Filius essent diversę rationis, ex hypothesi, ab ea ratione, quam habent secundum veritatem.

CAP. V.

Proponitur conclusio principalis, & prima probatio eius ex ratione principii distinctivi divinarum personarum.

37. QVIA plures sunt rationes, & considerandæ, & examinandæ in hac maximè difficili, & minimè utili controversia. Primò conclusionem principalem proponam, deinde rationes singulas proponam, atque defendam, ut distinctiùs, quo ad fieri poterit, procedam.

Principalis conclusio est. Si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non esset persona realiter distincta à Filio. Conclusio est Sanctorũ Thomæ, & Bonaventuræ, & pluriũ Theologorum. Ricardus in 1. d. 11. q. 2. probabiliorem, & favorabiliorem fidei hanc reputat. Durand. 1. d. 11. q. 2. est cum S. Bon. Argent. q. 2. Molin 1. p. q. 36. art. 2. disp. 2.

Prima probatio illius conclusionis est accipienda ex ratione principii distinctivi personarum in esse reali realiter distincto. Atque ad intelligentiam ipsius conclusionis, necesse est observare, quid sit præsuppositum, quid quæsitũ. Præsupponitur enim, quòd in divinis Pater producat Filiũ, & Spiritum sanctum, & quòd Filius non producat Spiritũ, neque Spiritus Filium. Non præsupponitur autem, ut quidam arbitrantur, quòd Filius sit una persona, & Spiritus sit alia persona; tunc enim ipsum quæ-

Suppositum & quæsitũ in disputatione nostra.

quæsitum esset præsuppositũ, quod est ineptum; supponere scilicet Filium, & Spiritum sanctum esse personas duas, & quærere deinde, an sint duæ, vel non duæ, sed una. Hoc enim disputatur, an sint duę personæ distinctæ realiter, an non; quare hoc non præsupponitur.

Primũ notatũ. 38. Primò, igitur noto, idem esse constitutiuum in aliquo esse, & distinctiuum constituti in tali esse à quocunque alio esse, ut enim S. Bonauentura docet, ab eodem res habet esse, & esse distinctum. *S. Bon.* Quia tamen ipsum esse constitutum est in se indistinctum, ideò considerando ipsum esse constitutum, est consideratio absoluta. *Ens dicitur absolutè, idē, vel diversum relatè.* Sed illud esse idem est distinctum à quocunq; alio esse, vel ente, & hęc per consequens est consideratio comparatiua. Idcirco Aristoteles in 10. Metaph. 11. dicit omne ens ad omne esse vel idem, vel diuersum. *Arist 10. Met.* Vbi res animaduersione digna est, quòd vnitas, & identitas potest considerari vel absolutè in aliqua re, vel comparatiuè comparando res duas, vel rationes duas ad id, quod est unum absolutè. Sic in primo Topicorum cap. 6. idem, vel diuersum comparan *1. Top.* tur: vt duo nomina comparata ad vnam rem numero, dicuntur esse vnum numero.

Identitas absoluta comparata. Qua in re præsupponitur vnitas numerica absoluta, beneficio cuius duo nomina sunt eadem numero. Sic duo singularia, ut Sortes, & Callias sunt vnum specie inter se, quia cõueniunt in vna, & eadem specie. Vbi vnitas, vel identitas speciei est absoluta in se, sed duo singularia beneficio illius vnitatis, vel identitatis specificæ, dicuntur comparatè vnũ specie. Similiter duæ species, vt homo, & leo affirmantur esse idem, & vnum genere, quia conueniunt in vno genere, vt animali. Vbi habetur vnitas, & identitas absoluta generis, deinde identitas, vel vnitas comparatiua specierum. Eodem modo dico de diuersitate, vel multitudine opposita, vt aliqua sunt diuersa genere, quia sunt in duobus, & diuersis generibus, seu primis, siue non primis, vt homo in substantia, albedo in qualitate. Hoc pacto etiã in 5. Metaph. *5. Met.* 12. in 10. Metaph. à principio & sæpius Aristoteles. Docuit autem vir ille sapientissimus cognoscere constitutiuum vnitatis, & diuersitatis comparatæ, sed de constitutiuo vnitatis

tis

tis abſolutæ, puta numericæ, lis maxima eſt inter ſequaces.

39. Diſtinctio itaque, ſeu diuerſitas comparatiua eſt entis ad ens. Vnde licet conſtitutiuum, & conſtitutum per poſſibile, vel impoſſibile eſſet in rerum natura, nulla alia re exiſtente: illud haberet ſuum eſſe, ſed non haberet diſtinctionem, ſeu diuerſitatē, quia non haberet aliud extremum relationis, eſſet ergo non idem ipſi non enti, ſed non eſſet diſtinctum, ſeu diuerſum niſi ab ente poſito in eſſe, 10. Metaphyſ. 11.

Ens nec eſt idem, nec diverſū à non ente.

40. Quocirca licet verum ſit, quod per idem conſtitutiuum, & diſtinctiuum diſtinguatur res ab omni alia re, nō tamen diſtinguitur eadem diſtinctione eiuſdem rationis à quocunque alio; cum enim ipſa diſtinctio, utpote relatio, requirat fūdamētū, quod diſtinguitur, & terminū à quo diſtinguitur: fit propterea, ut variatis altero, vel ambobus extremis, diſtinctio alia, & alia emergat. Exemplum. Conſideretur Pater æternus, qui per paternitatem eſt conſtitutus, ſed per eam diſtinguitur ex natura rei tantùm ab eſſentia, & paternitate. Per paternitatem item diſtinguitur realiter, & perſonaliter à Filio, ſicut & paternitas realiter diſtinguitur à filiatione. Sed per paternitatem Pater non diſtinguitur realiter, neq; perſonaliter à ſpiratione actiua, vel ſpiratore, ſaltem accipiendo ſpiratorem, vt eſt in Patre. A creatura per paternitatem Pater, ſi eſt creatura abſoluta, diſtinguetur ſubiectiuè, & obiectiuè: ſi relatiua creatura eſt, ſaltem ſubiectiuè diſtinguetur. Ergo quod eſt principium conſtitutiuum in aliquo eſſe, eſt diſtinctiuum eiuſdem conſtituti in illo eſſe ab omni alio ente, quod non ſit illud eſſe: non tamen diſtinctione eiuſdem rationis, ſed alterius pro ratione extremorum. Et ad rem noſtram, Pater per paternitatem conſtituitur in eſſe Patris, & in eſſe perſonæ, & per conſequēs comparando ad eſſentiam, quæ non eſt perſona formaliter, non diſtinguitur perſonaliter ab eſſentia, ſed à Spiritu ſancto, qui eſt perſona, diſtinguitur perſonaliter: nec tamen diſtinguitur realiter perſona Patris a perſona Spiritus ſancti per paternitatem, ſed per ſpirationem activam; ſimiliter dicimus de Filio, quòd conſtituitur in eſſe perſonali

Vnum principiū diſtinctiuum à quocūq; ſed diverſo modo diſtinctionis reſpectu diverſorum.

Pater qualiter diſtinguitur ab alijs.

per

per filiationem, non tamen, per filiationem à Spiritu distinguitur realiter: quia per spirationem activam distinguitur realiter.

Distinguere personaliter, & realiter non sūt idem.

41. Secundò, obseruandū, quod distinctio est duplex, altera negatiua, altera positiua. Negatiua est, quando distinctio fit entis ab ente per tale, & non tale, ut habens aliquod esse distinguitur negatiuè à nō habente illud esse. Distinctio positiua est inter esse hoc, & esse illud, ut inter esse hominis, & esse leonis. Quia verò nihil est, quod non omnino primò sit ipsum, quàm non ipsum, ut lapis primò est lapis, quàm non homo, vel non planta: distinctio negatiua est posterior distinctione positiua, cùm omnis negatio præsupponat affirmationem, in qua fundatur. Hinc Thomas quolibeto 4. artic. 7. ad eundem sensum distinguit aliquid per habere, & non habere formam, & hæc distinctio est negatiua, & quodammodo rationis: quia non habet pro termino, vel ratione terminādi, vel conditione terminantis aliquid positiuum. Aliud verò distinguitur per diuersam oppositionem formæ ad formam. Si autem distinctio sit per habere, & habere entitatem, tunc est distinctio prima, & positiua, quæ variatur pro varietate extremorum ipsius distinctionis: nam distinctio etiam est relatio, ut dictum est. Nunc probo conclusionem.

Distinctio negativa, et positiva.

Distinctio negativa posterior, quàm positiua.

Thom. Aquin.

42. Distinctiuum diuinarum personarum in esse reali, est origo, siue relatio directè opposita originantis, & originati, siue ut Græci loquuntur, causantis, & causati. Si spiritus non procedat a Filio, neque è contra, inter eos non est origo opposita, neque relatio opposita: ergo nō est distinctiuū distinctio realis reale, nec inter Filium, & Spiritū sanctum. Quare non sunt duæ personæ, sed vna realiter. Minor non eget probatione, quia est ipsa hypothesis. Maior in qua tota est difficultas, probatur.

Conclusio probatur.

1. Primò ex Diuo Augustino tract. 39. in Ioannem tomo 9. *Hoc solo numerum insinuant, quòd ad invicem sunt, non quòd ad se sunt. Quia enim Deus Pater ad se est Deus simul cum Filio, & Spiritu sancto, non sunt tres Dii: quia ad se est omnipotens simul cum Filio, & Spiritu sancto, non sunt tres omnipotentes. Quia verò*

S. Aug.

non ad se est Pater, sed ad Filiū: nec Filius ad se est, sed ad Patrem: nec Spiritus sanctus ad se in eo, quod dicitur Patris, & Filii, non est quid dicam tres, nisi Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Ad aliquid *et* ad inuicem quid?

In authoritate nota discrimē inter phrasim *Ad aliquid*, & *Ad invicem*. Nam cùm dicitur *Ad aliquid*, potest fortè intelligi & comparando relatiuum ad correlatiuum oppositum, & comparando unum relatiuum ad alterum relatiuum disparatum. Exemplum primi, magister ad discipulum. Exemplum secundi, magister ad dominum. Sed *Ad invicem* nihil aliud significare potest, nisi relationem unius relativi ad correlatiuū directè oppositum, & correlativi ad relatiuum mutuò: ut Pater dicitur ad Filium, & Filius ad Patrem. Ita patet in ipsa inductione Augustini, Pater non ad se dicitur, sed ad Filium: nec Filius ad se est, sed ad Patrem: nec Spiritus sanctus ad se est, sed Patris, & Filii, ut correlativorū directè aliquomodo oppositorum. Quare & regula sancti Augustini, & probatio eius per inductionem est, ut numerus personarum insinuetur per relationem directè oppositam, qua *Ad invicem* sunt; *Hoc solo*, inquit, *numerum insinuant, quòd ad invicem sunt*; ut dicatur & ipsum *Ad aliquid* in genere, & ipsum *Ad invicē* in specie intelligendo scilicet in specie de directa correlatione, & correlativo, quatenus duo extrema ad invicem referuntur.

43. 2°. Cōciliū Toletanū, undecimū in tomo 3. Cōc. car. 217. columna prima, & secunda in confessione fidei, Sancto Augustino consonat, dicens. *Hæc est Trinitas, quæ unus, & verus Deus est: nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur, in divinitatis verò substantia, quid enumeratum sit non comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quod Ad invicem sunt: & in hoc numero carent, quòd in se sunt.* Conc. Tol. xi.

Respondet ad istud concilium Rada in primo, controversia 15. cart. 334. col. 2. Zamorus de Deo trino, & uno car. 880. col. 2. Fauētinus in primo disp. 38. car. 237. col. 2. per particulā *Ad invicē*, significari, quòd personæ differunt per relationem, unde subdit concilium, personas ca- Responsio Radæ Zamor. Favēt.

rere

rere numero, quòd *in se sunt*: id est, secundum absolutum, numero carent; secundum relationem solam, numerum habent; an autem per relationē oppositam, an disparatam concilium non declarat,

44. Contra. S. Augustinus, & concilium non solùm ponunt relationem in communi, ut opponitur absoluto per nomen *Ad aliquid*: sed etiam specificant relationem directè oppositam per particulam *Ad invicē*: nec enim magister, & dominus *ad invicem* dicuntur, & tamen habent relationem disparatam inter se. Ergo in ista responsione conceditur genus relationis, & negatur species relationis oppositæ, qua magister, & discipulus *ad invicem* dicuntur: qua dominus, & seruus dicuntur *ad invicem*. Concedere ergo conciliis, & Patribus quod dicunt in genere, & negare quod dicunt in specie, non licet. Sanè hæc phrasis *ad invicem*, in Latina significatione, nihil aliud infert, nisi quòd unum dicitur ad aliud, & aliud viceversa dicitur ad unum; quam significationem & S. Augustinus, & Patres concilii Toletani optimè sciebant.

Impugnatur.

45. 3. Item. S. Gregorius Nazianzenus orat. 5. de Theologia cart. 170. colum. 1: hæretico quærenti, *Quid ergo Spiritui desit, quò minus sit Filius? Si enim nihil deesset, utique Filius esset.* (Respondet) *Nihil deesse dicimus, neq: enim egens est Deus: sed elocutionis ipsius (ut sic dicam) sive relationis, quia se invicem respiciunt, diversitas, diversā quoque appellationem ipsis dedit.* Videmus non omnem diversitatem dare diversam appellationem personis divinis: sed diversitatem illam relationis, quia *se invicem respiciunt*. Sed se invicem non respiciunt duo disparata relativa, ut Pater, & spirator: dominus, & magister, sed ut apparet ex voce *invicem*, & ex pronomine reciproco *se*, diversitas relationis non cuiuscunque, sed illius, qua *se invicem* respiciunt, hoc est relatio nis oppositæ, qua Pater Filiū respicit, & Filius Patrem: qua Spiritus respicit Patrem, & Filium, & Pater, ac Filius respiciunt Spiritum sanctum: hæc, inquam, diuersitas fecit, ut Spiritus non sit Filius.

Gregor. Nyssen.

46. 4°. Sanctus Gregorius Nyssenus in libro ad Ablabiū docens propter unitatem es-

Nyss.

sentiæ non tolli distinctionẽ personarum, scribit. *Eam, quæ circa causam, & causatum consideratur, differentiam non negamus, per quod solùm discerni alterum ab altero deprehendimus; nimirum eo quòd credimus aliud quidem Causam esse, aliud verò Ex causa, & Ex eo, quod ex causa est. Ac rursus aliam differentiam consideramus, nam aliud quidem continenter, & sine medio ex primo est: aliud verò per id, quod immediatè, & ex continenti est.*

Notetur illud, *per quod solùm*, ex quo notato apertissimè patet, quòd personæ diuinę distinguuntur solummodò per relationem causæ, & causati, ut Græci loquuntur, vel originantis, & originati, ut Latini dicunt. Id ipsum ostendit Nyssenus inductione, quia Patri assignat esse *clausã*, Filio assignat *Ex causa*, Spiritui sancto, *Ex eo, quod ex causa est*. Vnde Filius distinguitur à Spiritu sancto, & è contra, quia Spiritus est causatus ex Filio, & Filius est causa eius non prima, Pater causa prima.

Responsio Zamori. 47. Respondet Zamorus libro supra citato cart. 881. col. 1. non sincerè referri hoc testimonium, cùm dicitur, *Per hoc solùm*. Vnde particulam illam, *solùm*, falsò appositam arbitratur, & ad hoc probandum duo adducit. Primum, quoniã in citata authoritate Nyssenus subdit. *Rursus aliã differentiam consideramus*. Si ergo est alia differentia, præter primam, non potest dicere solam primam: ergo particula *solùm* falsa est. *Prima probatio falsificationis.*

Secundum, quia Nyssenus in primo contra Eunomium aliam differentiam tertio modo assignatam inter personas affert, sicut Bessarion in Oratione ad Patres Gręcos concilii Florentini eam affert, & fusè explicat. Verba Nysseni sunt. *Spiritus Patri coniunctus est, secundum quod uterque increatus est: rursus ab eo distinguitur, eo quòd non est Pater, prout ille est. Filio verò & secundum quod uterque increatus est, & secundum quod uterque ex primo principio suam subsistentiam habet, coniunctus: distinguitur ab eo sua proprietate, quæ est, quod nec ut unigenitus ex Patre productus est, & quòd per ipsum Filium sit manifestatus*. Igitur non per solam relationem causę, & causati distinguuntur personæ. *Secunda probatio.* *Bessar.* *Nyssen. in Eun.*

48. Aduersus primam probationem, & responsionem

ostendo,

Respon sio Zamori impugnatur. Genn. ostendo, quòd citatio sit sincera, & verax. Quia Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus, scribens Græcus ad Græcos, post concilium Florentinum pro concilio Florentino, in suo libro de processione Spiritus sancti sectione 3. car. 15. citat istum locum Nysseni; & translatio Gennadii sic habet. *Identitatem naturæ fatentes, distinctionem, quæ est secundum causam, & causatum, non negamus: in quo Tantùm alterum ab altero distingui percipimus.* Si falsò citasset particulam *Tantùm*, quale improperium à magna parte Græcorum expectasset? Sed egregia doctrina, & insignis probitas Gennadii, nos omni metu falsificationis liberat.

Nyssen. in Eun. Insuper, S. Gregorius Nyssenus non in hoc loco dumtaxat, sed etiam in primo contra Eunomium idem docet, referente eodē Gennadio sect. 2. cart. 11. *Quo pacto* (inquit Nyssenus) *ante consideratur persona secundum causæ rationem: eodem modo & Spiritus ordine tantùm secundum causam, & causatum distinctionē habens. Nam quemadmodm Filius coniungitur Patri, & quamvis ab eo esse habeat, non tamen secundum essentiam posterior est: ita & Vnigenito Spiritus sanctus iungitur, intelligentia tantùm secundum principij rationem considerato ante personam Spiritus.* Relege: *Spiritus ordine tantùm secundum causam, & causatum distinctionem habens.* Vbi clarissimè in particulari loquens de Spiritu sancto, dicit ipsum distingui à Filio, & esse Filio posteriorem, *Tantùm* secundum ordinem causæ, & causati. Ita dixerat in communi de omnibus personis ad Ablabium, *Eam, quæ circa causam, & causatum consideratur, differentiam, non negamus, per quod solùm (seù tantùm) alterum ab altero discerni deprehendimus.*

49. Bessarion quoque, cuius attestationi maximè defert, & meritò Zamorus, in oratione citata, quæ habetur 4. tomo concil. post Florentinum ad cartam 898. col. 1. citans partem authoritatis ad Ablabium, sic ait. *Ille quidem est* (inquiens) *immediatè à primo, Filius videlicet à Patre: hic verò (de Spiritu dicens) per eum, qui immediatè à Patre est, hoc est, per Filium, & eo distinguitur*, (inquit Nyssenus) *Spiritus à Filio, quia per ipsum* *Bessar. contra Zamor.*

est

est. Quasi diceret, quòd cum ambo à primo sint, non sufficienter distinguerentur, nisi alter per alterum esset. Vt manifestè Per *distinctionem hinc significaret, & distinctionem, quæ ab æterno est, quęque secundũ causã, & causatum est: cùm antea dixerit, Causa, & Causato tantùm ab invicem divinas personas distingui. Quod enim infert, aliam differentiam de Filio, & Spiritu sancto intelligi, nõ rectè quis putaret aliam secundum speciem: contradiceret namque sibi ipsi, si cùm antea, causa, & causato tantùm dixerit personas distingui, deinde alium modum distinctionis specie differentem tradidisset. Aliam igitur differentiam secundum numerum accipientes, & rectè cum sancto doctore sentiemus, & præpositione* Per *cum causa intelligemus*. Hucusq; Bessarion. Si in codice Nysseni non fuisset particula *Tantùm*, Patres Græci omnes reclamassent contra Bessarionẽ: sed Marcus Ephesius perpetuus veritatis inimicus, turbas implacabiles commovisset. Quare ex testimonio gravissimo duorum Patrum Græcorum Gennadii, & Bessarionis, particula *tantùm*, sive *solùm* est sincera, & legitima in codice Nysseni.

50. Bellarminus quoque fidei catholicæ propugnator celeberrimus, in primo tomo Controver. lib. 2. de Christo cap. 25. eandem Nysseni authoritatem totidem verbis retulit, quot nos eam attulimus. Scribebat Bellarminus aduersus omnes hæreticos, sive Græcos, sive Latinos, & omnium reprehensionem subiisset, si librum falsificasset. Sincere citant præstantissimi viri, & sinceros libros Græcè, & Latinè euulgatos. Sed ex Zamori responsione constat, quòd opinio ipsius falsa est, quæ defendi non potest, nisi damnãdo falsitatis libros probatissimos, & probatissimos authores. Vereor tamen, ne sicut Pater Zamorus delet particulam, *solùm*, ex Gregorio Nysseno, ita in posterum deleat particulam, *solo*, ex Divo Augustino, & ex Concilio Toletano. Sed consensus Patrum Græcorum Nazianzeni, & Nysseni, & Patrum Latinorũ Augustini, ac Toletanorum ostendit satis veritatem nostræ propositionis maioris. Qui autem nolunt, ut Patres dicant, quod dicunt, eos corrumpunt, aut extorquent.

Bellarminus contra Zamorum.

Falsa opinio est, quę defenditur falsificando libros & authores.

51. Quod autem subdit, hanc

hanc differentiam causæ, & causati non esse solam, quia aliam statim affert Nyssenus: iam respondit Bessarion, & paulò aliter Bellarminus, quas responsiones legit, sed dissimulavit Zamorus. Post Bessarionem, & Bellarminum adiungo duas animaduersiones.

Prima animaduersio propria. Primam, quòd Nyssenus ponit primam differentiam cum verbo *perspicimus*, & *credimus*. Secundam cum verbo *consideramus*: ut ostendat differentiam primò assignatã esse de fide creditam, & per hoc secundum fidem, *solùm* personas distingui, quoniam una est causa, altera causatũ, & hæc sola differentia est credita. Quòd autem ex nostra consideratione possint oriri aliæ differentiæ super prima fundatæ, Nyssenus nõ negat, imò in secunda parte authoritatis citatæ, affirmat.

Secũda animaduersio propria. Secundam, quia revera prima, & secunda differentia per Nyssenum allata eadem est, sed alio, & alio modo considerata. Prima est per causam, & causatum. Secunda per subdivisionem causæ, & causati. Nam causa est mediata, vel immediata, & causatum est vel mediatè, vel immediatè causatum. Filius est causatus à Patre immediatè, id est, non mediãte aliquo prius producto: & in prima differentia dictum est, quòd Filius est *ex causa*. Spiritus sanctus est causatus à Patre mediante Filio producto, sed à Filio immediatè, scilicet non median te aliquo alio per Filium producto: & in prima differentia hoc idem dictum est, quòd Spiritus sanctus est *ex eo, quod est ex causa*. Quare secundum rem ambæ differentiæ sunt una, & eadem, sed prima tractat de causa, & causato: secũda de modo mediatè, vel immediatè causantis, & causati; & si attendas ad sensum realem, unica tantùm est differẽtia assignata: si ad modum considerandi, sunt duę.

52. Ad aliam probationẽ Zamori ex libro primo contra Eunomium, ubi Nyssenus considerat unientia personas, & distinguentia, eadem est allata differentia inter personas. Vniens personas est ratio increati, in quo vocabulo omnia essentialia indicantur. Distinguens verò Patrem à Filio est ratio causę, & causati. Distinguens Spiritum à Patre, vel negativè potest afferri, vel positivè. *Ad secũdam probationem Zamori.*

Nys-

Nyſſenus diſtinguit Spiritũ à Patre diſtinctione negativa per relationẽ originis, nẽpe paternitatẽ, quia Spiritus nõ eſt Pater. Diſtinguit à Filio his verbis. *Diſtinctũ ab eo ſua proprietate, quæ eſt, quòd nec ut Vnigenitus à Patre productus eſt, & quòd per ipſum Filium ſit manifeſtatus.* Quo loci diſtinguit negativè per proprietatem Filii, ſcilicet eſſe Vnigeniti, quæ proprietas non eſt in Spiritu ſancto. Sed poſitivè diſtinguit à Filio, *quia eſt maſeſt atus per Filium,* id eſt, productus eſt ex Filio, prout Beſſarion exponit capite ſexto relato diffusè. Eadem verò ſunt principia entitatis, & cognoſcibilitatis. Filius eſt principium dans entitatem, & cognoſcibilitatem, qua manifeſtatur Spiritus ſanctus. Ergo per hanc differentiam poſitivam declaratur relatio cauſati in Spiritu, & cauſæ in Filio. Ita quoque reſpectu Patris præter differentiam negativã aſſignatam, quia Spiritus non habet proprietatem Patris, adducit poſitivam, quòd Spiritus eſt ex primo principio ſicut Filius, & hæc relatio eſt relatio cauſati. Quamuis autem Beſſarion apud Græcos loquens, explicaverit diſcrimen inter Filium, & Spiritum ſanctum, quia Filius eſt modo generationis, Spiritus modo proceſſionis, certè explicauit poſitivè pro fundamento negationis; ſed formaliter loquendo, in textu Nyſſeni non habetur, niſi diſtinctio negativa, quòd Spiritus, non habet proprietatem Patris, ideò non eſt Pater: non habet proprietatem Filii, ideò non eſt Filii, & ita formaliter exponendus eſt Nyſſenus. Sed loquendo de differentia poſitiva, aliam non attulit, niſi quòd eſt cauſatus ex Patre, & manifeſtatus, ſeù cauſatus per Filium.

Quæ quidem differentia reipſa eſt eadem cum differentia aſſignata in libro ad Ablabium. Certè & hęc differentia negativa eſt per modum conſiderationis noſtræ, qui affirmamus, & negamus: & iã dixi, à Sancto Gregorio Nyſſeno non auferri alias differentias ex modo noſtræ conſiderationis.

53. S. Leo Papa in epiſtola 91. ad Turibium, refutans hæreſim Priſcillianiſtarum, & Sabellii, ponentium unam perſonam in divinis ſub tribus nominibus: ex ſola origine oppoſita probat perſonas diſtingui.

distingui. *Primo itaque capitulo demonstratur, quàm impiè sentiant de Trinitate divina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus sancti unam atque eandem asserunt esse personam, tanquā idem Deus, nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur; nec alius sit, qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque processit.* Nullam authoritatem, vel rationem ad refellendam hæresim, & docendam fidem catholicam de alterate personarum ponit, nisi quia genuit, genitus est, processit de utroque. Si ratio est vera, & efficax, ergo processio passiva Spiritus sancti, & activa productio eius distinguit Spiritum à Patre, & Filio. Si ratio non est vera, & efficax, ergo per rationem sophisticam refutauit hæresim, & in nobis fidem sophisticam generat pro catholica, quod est absurdum. *Ergo hæc sola ratio distinctiva verè est, alia non habetur,* per quam probentur personæ esse distinctæ. Nam esset fallacia non causæ, ut causæ, si hæc causa allata, non esset causa distinguens.

S. Dionysius Areopagita c. 2. de divinis nominibus de coniuncta, & discreta Theologia tradit plura doctissimè. Et quo ad discretam tria ponit prædicata, quibus discernatur quælibet persona à qualibet, scilicet negationem communitatis, non conversionem fœcunditatis, multiplicationem processionis.

Primum, quia nomina hæc, Pater, Filius, Spiritus Sanctus nunquam communia fiunt in scriptura, sed impermixta nomina, & personæ servantur.

Secundum, quia in ratione fœcunditatis personę ad invicem non convertuntur. *Est autem, inquit, & discretio in supremis divinis eloquiis nō ea, quam dixi solùm (quod secundum ipsam unionem qualibet principantium personarum impermixta, atq; inconfusa firmitate nitatur) sed quia ineffabilis quoq; divinæ fœcunditatis ratione adinvicem nequaquam convertuntur: solusq; fons supersubstātialis Deitatis est Pater, cum non sit Filius Pater, neq; Pater Filius sit, servant autem divinę laudes honestissimè proprietates suas cuiq; divinarum personarum.* Fœcunditas non convertitur. Compara primò Patrem, & Filium, Pater est principium fœcundum Filii, non è converso.

 versò,

verso. Compara secundò Patrem, & Spiritum, Pater est principium fœcundum Spiritus Sancti, non è conversò. Compara tertiò Filium, & Spiritum sanctum, Filius est principium Spiritus sancti, non è conversò. Sanctus Dionysius non expressit secundam, ac tertiam comparationem, sed expressit primã, & secundam attigit. Qui si credidisset tertiam comparationem esse excipiendam, aut defecisset in docendo, aut excepisset. Comparat verò Patrem, ut fontem totius deitatis, scilicet respectu Filii, & Spiritus sancti, quia solus Pater est fons non præcisè; sed cum addito in eodem capite parte prima circa finem dicens: *Primordialis, & fontana sit deitas Pater*: ut Pater sit fons, sed primordialis: *Filius fons de fonte*, scilicet secundarius, quoniam non à se. Qui locus est notandus aduersus Theodoritanos.

Tertium est processus, de quo ait. *Porrò discretiones benignissimos deitatis processus, expressiones diffiniunt*. Et infra. *Si verò divina quoq; discretio est benignissimus ille coniunctionis divinæ processus, excellenti unitate seipsam propagantis, ac multiplicãtis*, &c. Ergo ex Dionysio quælibet persona discernitur à qualibet per fœcunditatem non conversam, per processum coniunctionis propagãtis se. Si inter Filium, & Spiritum sanctum non esset fœcunditas non conversa, si non esset processus propagans, periret ratio duplex discernendi Filium à Spiritu sancto.

Denique post alios Patres, affero Ricardum de Sancto Victore, quẽ Pater Theodorus Bergomensis cart. 432. col. 2. in libro de Trinitatis mysterio refert; ait autem Ricardus, *Nasci distinctionem personarum ex numero producentium, quia una persona producit & non producitur: alia producit & producitur: tertia producitur, & non producit*. Ex his Patribus cõstat maior nostra proposita, quæ etiam ratione probatur.

54. Ad primam rationem formandam, accipio doctrinã Sancti Bonaventuræ in primo dist. 5. quæst. 1. num. 13. docentis, quomodo contradictio sit summa oppositio. Ait enim esse maximam, si affirmatio aliquid ponat, & negatio nihil: nam inter nihil, & aliquid est infinita distantia.

S. Bon.

Maxima, minima oppositio, & media.

Si

Si autem ambo extrema, de quibus dicuntur contradictoria, sint positiva, tunc contradictio potest consurgere ex quantulacunque parva distantia rei, vel rationis. Quocirca contradictio dici potest & maxima, & minima oppositio; minima quoniam etiam inter minimè distantia, vel distincta potest poni, ut inter Patrem, & paternitatem: Pater enim non est cōstitutiuus, nō abstractus: paternitas est constitutiva, & abstracta; Pater autem, & paternitas minima distinctione ex parte rei, aut rationis distant. Maxima item est, quoniam Deus, & creatura distant in infinitum, sed contradictio extenditur ad hanc distantiam; ut creatura est finita, & dependens: Deus nō est finitus, nec dependens. Nunc erigo rationem.

Indifferens prædicatione ad aliqua, non concludit unū illorum.

55. Prima ratio. Quicquid est indifferens ad maximam, & minimam distinctionem ex se, non concludit distinctionem rerum magnam. Sed oppositio contradictoria Filii à non Filio, vel habentis filiationem à non habente, est indifferens ad maximam, & minimam distinctionem; ergo oppositio contradictoria, affirmationis, & negationis scilicet, non concludit inter Filium, & non Filium distinctionem rerum realiter distinctarum, quæ distinctio magna est. Patet maior, quoniam à communi, & indifferenti, ad aliquod unum determinatum sub illo communi, & indifferenti arguere, est fallacia consequentis, nisi fiat distributio superioris. Ita patet, quia si ex ista contradictione velimus arguere omnē distinctionem, dicemus quòd Filius habens filiationem, & Spiritus non habens eam, distinguuntur essentialiter, & se totis obiectivè, quoniam etiam de sic distinctis prædicatur affirmatio, & negatio.

Ab indeterminato ad determinatum est fallacia consequentis

Corollarium hinc educitur, quòd ista oppositio contradictoria affirmationis tributæ uni extremo, negationis tributæ alteri extremo, nō est sufficiens ad constituendam distinctionem realem. Si verò aliud addatur, iam mutatur medium, & non erit processus ex oppositione contradictoria.

Ergo ad distinguendas personas divinas, ut rem à re, requiritur aliquid concludens talem distinctionem, qualis est relatio producen-

tis, & producti: quia ex Divo Augustino in 1. de Trinit. cap. 1. *Nulla res est omnino, quę seipsam gignat*; & ex Aristotele in 2. de Anima tex. 47. *Nihil se generat*.

56. Responderi posset, quòd Filius filiatione, & Spiritus spiratione passiva constituuntur, & distinguuntur positivè, tanquam duæ personæ, per relationes originis non oppositas, sed disparatas.

Contra hoc argumentor ex eodem medio. Quòd est indifferens ad identitatem, & distinctionem realem, illud quantum est ex se, non est sufficiens ratio distinctionis realis rei à re. Sed relatio disparata est indifferens; aliquãdo enim stat cum identitate reali, aliquando cum distinctione reali; ergo relatio disparata ex sui ratione non est sufficiens ratio distinctionis realis rei à re. Probatur minor, quia in divinis generatio activa, & spiratio activa sunt disparatę relationes: sed neque secundum veritatem, neque secundum hypothesim constituunt duas res realiter distinctas. Rursus, per adversarios, generatio passiva, & spiratio passiva sunt disparatę, & cõstituunt duas personas distinctas realiter; ergo relatio disparata quatenus huiusmodi, est indifferens ad identitatem, & distinctionem realem. Idipsum constat in creaturis per Scotum 2. dist. 1. q. 5. ubi relatio dependentiæ essentialis, ut creati ad creatorem, ponitur eadem realiter fundamento: relatio alterius rationis ponitur distincta realiter à fundamẽto, ut æqualitas à linea. Ita inhærentia actualis, sive accidentia per Scotum 4. dist. 12 q. 1. est respectus extrinsecus aduenieus, qui respectus realiter distinguitur ab accidente absoluto, ut à trina dimensione. Sed ab accidente respectivo non distinguitur realiter, ut ab æqualitate, vel similitudine. In quo casu duo respectus disparati, scilicet æqualitas, & inhærentia eius, sunt idem realiter. Itaq; duæ relationes disparatæ stant cum identitate reali, & item cum distinctione reali, ut magisterium, & dominium in Gamaliele, Scot.

57. Si denique recurras non ad relationes disparatas quascunque, sed ad relationes disparatas incompossibiles, de hac re in capite sequen-

ei agemus.

Nunc tantùm interrogo. Vtrum incompossibilitas sit tantùm in omni relatione opposita, an in omni disparata, an in utrisquè indeterminatè, & incertè? Si primum concedatur, habebitur intentum, quòd ad habendam distinctionem rei à re in relativis, necesse est recurrere ad relationes originis oppositas. Secundum est prorsus absurdũ, quòd omnes relationes disparatæ, etiam originis, sint incõpossibiles realiter in eadem hypostasi, ut constat de generatione activa, & spiratione activa. Si tertium detur, non poterimus ex ratione indeterminata relationis, arguere incompossibilitatem, vel compossibilitatem. Sed rursus quærenda est ratio determinata, qua posita, necessariò ponatur incompossibilitas relationum in eadem hypostasi.

Patres verò istam rationẽ repererunt solummodò in relatione originis, loquendo ad intra, uti Nazianzenus, & Nyssenus apud Græcos, Augustinus, & Ricardus apud Latinos, quos Patres imitantur sancti Patres scholastici Thomas, & Bonaventura.

58. Secundam rationem accipio ex Bessarione ad finem capitis sexti in sua oratione citata. Talis debet poni in divinis ratio distinguendi personas, quæ contineat & unitatem essentiæ summã, & cum unitate distinctionem realem personarum; quoniam in divinis unitas essentiæ, & Trinitas personarũ distinctarum est conservanda. Sed sola relatio principii, & eius, quod à principio habet hoc, ut contineat unionem essentiæ, & distinctionẽ personarum, ergo ista sola ratio est ponenda distinguere personas. Probatur minor, quia principium, & quod ex principio, si perfecta sunt ambo, sunt consubstantialia: & item sunt reipsa distincta. Id quod confirmatur ex Divo Basilio in epistola ad Canonicam. *Cùm enim*, inquit, *Pater lumen sine principio est, Filius quoque lumen, sed natum, lumen tamen uterque: meritò consubstantialem eum dicent, ut naturæ identitatem significent. Non enim quæ germana sunt, consubstantialia dicuntur, ut quidam putant: sed cũ causa, & quod à causa subsistentiam habet, eiusdem naturæ sint, tunc consubstatialia dicuntur*. Rursus Basilius in Basil.

sermone contra Sabellium, & Arianos de Patre dicens, & Filio. *Non enim eos* (inquit) *germanos dicimus, sed Patrem profitemur, & Filium: identitas autem essentiæ in eis est, quia Filius ex Patre.*

Cyril. Alex. Sanctus Cyrillus quoque in libro 14. Thesauri, probat Spiritum esse consubstantialem Filio, quia est ex Filio, ut antea retulimus inter testimonia Cyrilli. Tunc infert Bessarion. Si igitur propter cõsubstantialitatem dictus est per Filium Spiritus: causa verò, & causatum, cùm eiusdem naturæ sint, consubstantialia sunt, ut ait Basilius; manifestè patet propter relationem causæ, & causati, sive principii, & eius quod à principio est, per Filium procedere Spiritum dictum fuisse.

59. Huc spectat ad minoris probationem dictum Sancti Athanasii in libro prætitulato, Redargutio hypocrisis Meletii. *Impossibile est in Trinitatis gloria Spiritum sanctum numerari, si non esset ex Deo per Filium: sed per modũ creaturæ à Deo factus esset, ut putant.* Vbi principaliter tractat de unitate essentiæ, sed eam probat in Spiritu sancto ex ratione causati, quia est ex Deo, ut prima causa, per Filium, ut causam mediam. Ergo benè indicat S. Bonaventura in primo dist. 9. quæst. 3 Generationem in divinis esse & assimilativam, & distinctivam: assimilativam in natura, distinctivam in persona. Idipsum dici debet de spiratione.

S. Ath. *S. Bon.* *Generatio assimilativa, & distinctiva.*

Cùm ergo ex ratione originis oppositæ sufficienter habeamus conservatam unitatem essentię, & distinctionem trium personarum: hæc ratio sufficiens est, & supervacaneum est quęrere aliam rationem distinguendi personas.

Hæc pro prima ratione ad conclusionem sint dicta.

CAP. VI.

Secunda ratio proponitur ex compossibilitate spirationis passiva cum Filio, & cum generatione passiva.

60. SEcunda ratio sic breviter formatur. Si Spiritus sanctus non procederet à Filio; ergo spiratio passiva in eadem hypostasi esset compossibilis cum gene-

ratione passiva ; ergo eadem hypostasis esset genita, & spirata, Filius, & Spiritus : & in divinis non essent, nisi duæ hypostases.

Antecedens, in quo tota summa difficultatis est, probare conabimur. Et probatur primò sic. Aristoteles in 2. posteriorum textibus 28. & 29. docet, quòd si uni opposito inest unum oppositum & reliquum reliquo inerit : ut si bono inest indivisibile, malo inest divisibile, atque horum est eadem ratio, & sunt æquè nota. Sed spiratio activa, & spiratio passiva sunt formaliter, & immediatè oppositæ: & spiratio activa secundum veritatem est Filio compossibilis; ergo per regulam Aristotelis, spiratio passiva erit Filio incompossibilis : & hoc quidem verum est. Per hypothesim autem spirationi activæ conceditur incompossibilitas cum Filio, ergo spirationi passivæ concedi debet compossibilitas cum Filio, atque ideò spiratio passiva, & generatio passiva sunt compossibiles in eadem hypostasi Filii.

2. poster

Secundò. Ex 2. Topicorũ loco 18. datur regula de quibuscunque immediatè incompossibilibus, quorum alterum inesse, vel non inesse debet, ut homini ægritudo, vel sanitas. De istis Aristoteles ita scribit. *Ostẽdentes enim quòd inest alterum, quod non inest reliquum ostendentes erimus. Si autẽ quod non inest ostendamus, reliquum inesse ostendentes erimus.* At verò spiratio activa, & spiratio passiva sunt immediatè opposita, quarum alteram in Filio inesse necesse est secundũ rationem quidditativam Filii, scilicet spirationem activã. Ergo si spiratio activa non insit, necessariò spiratio passiva inerit.

Topic.

61. Tertiò ratione. Quando ex duobus immediatè incompossibilibus inter se, & in uno subiecto, alterum ponitur compossibile cum uno tertio ; si ab hoc aufertur ratio compossibilitatis, in altero opposito ponitur ratio compossibilitatis ; quod probo inductione. Vt par, vel impar sunt incompossibilia inter se, & in una specie, vel singulari ipsius numeri. In ternario quidem imparitas est compossibilis. At si à ternario aufertur imparitas, & ponitur incompossibilis cum ternario, necessariò paritas erit compossibilis. Ita quoque in qualitate elementari simplici, calor,

& fri-

& frigus sunt incompossibilia inter se, & in uno subiecto elemento: si circa ignem est calor compossibilis, & ex hypothesi à calore aufertur compossibilitas ad ignem, statim frigus erit compossibile cum igne. Ita in relativis: causatum, & incausatum sunt incompossibilia. Si cum Angelo ponitur revera compossibilis ratio causati entis, & ex hypothesi auferatur à ratione causati compossibilitas cum Angelo, tunc ponitur in ratione incausati compossibilitas cum Angelo. Sic facta est inductio in quantitate, qualitate, relatione, & substantia subiecta.

Iam addo minorem. Spiratio activa, & spiratio passiva sunt immediatè incompossibiles inter se, & incompossibiles in una hypostasi; & ex rei veritate, spiratio activa est cōpossibilis cum Filio. Ergo si ex hypothesi removetur compossibilitas à spiratione activa, ponitur cōpossibilitas ad Filium in spiratione passiva.

62. Ratio autem istius maioris in argumento hæc esse videtur; quia cùm aliquod tertium habet compossibilitatem cum aliqua specie, vel quasi specie, necessariò etiam habet compossibilitatem cum genere, vel quasi genere illius. Quia verò commune est prius natura proprio, per sextū Topic. loco 18. & constat ex capite de Priori post prædicamenta; prior quodāmodo est habitudo compossibilitatis in illo tertio ad genus, quàm ad speciem; & per consequens si removetur posterior compossibilitas ad speciem, non removetur compossibilitas prior ad genus. Nam ex 5. Metaphys. 16. secundum Platonem, & Aristotelem, prius potest esse, quantum est ex se, sine posteriore, & non è contra. Quamobrem, si ab illo tertio removetur compossibilitas ad speciem, & relinquatur prior compossibilitas ad genus, ne illa potentia ad genus sit frustra, debet poni cōpossibilitas ad aliam speciē immediatam, cùm genus nequeat esse extra species immediatas. Ita est in proposito. Filius est illud tertium, in quo est compossibilitas ad spirationem activam, quæ est species, quare etiam est compossibilitas ad spirationem in cōmuni, quæ dividitur per activam, & passivam immediatè, ut per species, vel quasi species. Si ergo per hypothesim au-

6. Top.

Cōmune prius ordine natura proprio.

Platon Arist.

aufertur compossibilitas Filii ad activam spirationem: relinquitur compossibilitas ad spirationem in communi, & ad passivam.

Scio aduersarios dicturos, quòd Græci negabunt, spirationem activam esse compossibilem cum Filio. Sed nunc non disputo cum Theodorita nis; disputo autem cum catholicis, ut videatur quid ex rei veritate, quid ex hypothesi deducatur ex rationibus extremorum per locum demonstrativum, vel dialecticum.

63. Quartò. Ad probandum antecedens principale, noto ex Divo Bonaventura in primo dist. 26. quæst. 3. quòd à parte rei in relationibus originis divinæ, idem sũt relatio, & origo: tamen à parte nostri modi intelligendi, distinguuntur paternitas, & generare, filiatio, & generari, spirari, & relatio spirationis. Et Scotus quidem in primo dist. 26. quæst. 1. quòd etiam annotavit Faventinus in primo disput. 23. cap. 4. cart. 157. contra doctorem Seraphicum tenet, quòd personæ diviniæ prius intelligantur cõstitui per relationem, deinde consequenter habere ipsam originem; ut per paternitaté constituatur Pater, non per generationem activam. Quia verò correlationes mutuæ sunt simul natura, & simul naturali intelligentia, ita ut implicet contradictionem intelligere relationem ad alterũ, & non cointelligere alterum; inde sequitur, quòd in eodem signo vel rei, vel rationis, quo intelligitur paternitas in Patre, cointelligatur filiatio in Filio. Quo circa in Filio prius ratione intelligetur filiatio, quam generatio passiva. Ita quoque prius intelligetur in Spiritu sancto relatio spirationis, quàm spiratio passiva secundum Scotum.

D. Bon.

Relatio, & origo idem re ratione aliud.

Scot.

Fauit.

Secundò noto. Ex quolibeto doctoris subtilis 2. *Non est contradictio in priori propter contradictionem in posteriori: quare si duo posteriora uniri includit contradictionem, nõ includit uniri duo priora. Exemplum.* Scot. Quol. 2

Si in duabus superficiebus sint, albedo in una, nigredo in altera: licet includat contradictionem coniungere in unũ albedinem, & nigredinem; non tamen contradictionem includit coniungere in uno singulari duas superficies: atque hoc patet per quandam regulam Scoti frequentem,

Quol. 1. sed nominatim in quolibeto primo; *Qualem per se ordinē haberent aliqua inter se, si essent realiter distincta: talem habent quomodocunque distincta in esse intelligibili.*

His presuppositis argumētor. Relatio filiationis, & relatio spirationis constituentis Spiritum sanctum, sunt priores originibus, videlicet generatione passiva, & spiratione passiva. Ergo licet istæ duæ origines passivæ sint secundū Scotum primo dist. 11. quæst. 2. incompossibiles, & propter hoc Filius, & Spiritus nō possint esse una persona: tamen non est contradictio, quòd relationes priores Filii, & Spiritus sancti sint simul in eadem hypostasi propter contradictionem in posteriori. Quamobrem sublata ratione originis passivę duplicis, & retenta ratione priori duplicis relationis, duæ illæ relationes sine contradictione poterunt esse in eodem: nisi tamen ex rationibus ipsis prioribus includatur contradictio. Sed contradictionem non includi in duabus dictis relationibus, probo.

Scot. quol. 19. 64. Scotus quol. 19. C. arguit. Si terminare dependentiam humanitatis repugnat Verbo, hoc est, vel quia persona, vel quia persona divina, vel quia hæc persona. Similiter argumentor. Si filiationi, aut Filio repugnat relatio spirati, aut hoc est quia est relatio, aut quia relatio divina, aut quia hæc relatio. Non primum, quia sic omni relationi omnis relatio, ut relatio, esset repugnans. Non secundum, quia sic omnis relatio divina esset repugnans omni relationi divinæ. Quare & generare, & spirare haberent repugnantiam inter se. Non tertium, quia cùm dicitur hæc relatio filiationis, & illa relatio spirationis, vel per ista pronomina, *hæc*, & *illa* demonstratur ipsa ratio relationis, vel ratio relationis, quæ est filiatio, & spiratio. Si primo modo dicatur, arguo. Hæcceitas non variat rationem formalem illius, quod determinat, neque ponit incompossibilitatem inter unum singulare, & aliud determinatum: etenim hic homo, & ille homo propter hęc ceitates, vel singularitates nō habent humanitatem diversæ rationis, sed eiusdem. Sic etiam hoc lumen, & illud lumen sunt formæ cōpossibiles in eodem subiecto, neque ipsæ singularitates repugnan-

Hecceitas non variat rationē sui determinabilis.

Ad hominem.

pugnan-

pugnantiam faciunt, quin plura accidentia absoluta, aut relativa solo numero differentia, sint in eodem composibilia, prout Scotus latè probat in 3. dist. 8. quæst. unica. Ergo propter singularitatem additam relationi, & relationi, istæ duę relationes non repugnant.

Plura solo numero distincta in eodem per totum.

Si autem per pronomina demonstrativa velis demonstrari rationes formales duarum relationum filiationis, & spirationis passivæ: non propter hoc ponitur repugnãtia. Sicut enim per demonstrationem positam in generatione activa, & spiratione activa, dicendo, hæc generatio, & illa spiratio, non ponitur repugnantia. Sic neque propter demonstrationem eandem erit repugnantia in generatione activa, & spiratione passiva acceptis non pro origine, sed pro relatione.

65. Et confirmo per regulam Scoti quol. 19. *Quodlibet est ponendum possibile, cuius nõ apparet ratio impossibilitatis: & quodlibet compossibile, ubi nõ apparet ratio incõpossibilitatis.* Sed in duabus relationibus geniti, & spirati, ut sunt priores originibus, non apparet ratio incompossibilitatis ulla, sed potius ratio compossibilitatis; ergo ponendæ sunt compossibiles. Probatur minor sic. In uno causato possunt esse simul plures relationes causati ad plures causas diversæ rationis: ut unus homo habet relationem causati ad suã materiam, & habet simul relationem causati ad suam formam; sed una materia signata non potest simul habere relationem causantis ad duos homines causatos: nec una numero forma habet relationem causantis ad duos homines numero. Ergo in creaturis relationes causati magis sunt simul compossibiles ad duas causas, quam sint compossibiles duæ relationes causantis in una causa.

Sco. quol. 19.

Relationes plures causati in eodem, non sic causantis.

Idem patet in relationibus producti, nam unus filius est productus productione diversæ rationis à duabus causis, ut à patre, & à matre, per Scotum 3. d. 4. Nam mater ut causa minus principalis concurrit, pater ut principalis, & sunt diversæ rationis, quia virtus activa matris quantumvis aucta, non potest supplere vim patris, nec è contra. Non potest autem idem pater habere duas productiones activas diversæ rationis ad filios

Scot. in 3. d. 4.

nec ad eos potest habere duas relationes diuersæ rationis. Similiter idẽ homo habet relationẽ creati ad Deũ, geniti ad hominẽ: nec tamen potest Deus habere relationem generãtis hominem, neque homo generans habere relationem creantis. Igitur maior apparet incompossibilitas in relationibus causantis secundum distinctas rationes, quàm in relationibus causati, vel producti secundum relationes diversæ rationis.

Quibus ita prę suppositis, argumentor sic.

2. topic. loco 35. Si quod magis videtur inesse, non inest: nec quod minus videtur, inerit. Sed nobis ascendentibus à relationibus creatis ad increatas, magis apparet esse repugnantia in relationibus diuersæ rationis ex parte causantis respectu causati: & minus apparet esse repugnantia ex parte causati in relationibus diuersæ rationis ad causam; igitur in diuinis relationibus magis apparet esse repugnantia in relationibus diuersæ rationis quæ se tenent ex parte producentis, scilicet inter relationẽ generantis, & spirantis ad productum, & minus apparet esse repugnantia in relationibus diversæ rationis ex parte producti, siue causati ad causam. Nunc autem relationes diversę rationis, quæ sunt relatio generantis, & spirantis, in eodem producente non habent repugnantiam, ut constat: ergo multò minus relatio geniti, & spirati in eodem producto habebunt repugnantiam.

Aliter idipsum probo.

Si duæ dictæ relationes cõtradictionem inuoluãt in eodem, aut hoc habent, vt relationes oppositæ, aut ut relationes disparatæ; quæ diuisio apud Scotistas est sufficiens. Non primo modo, quoniam filiatio relatiuè opponitur paternitati, non spirationi.

Non secundo modo, quia tunc omnes relationes disparatæ essent in eodem incompossibiles, atque ita pater, & spirator non essent vna persona, quod est absurdum etiam in hypothesi. Cùm itaq; duæ illæ relationes non includant contradictionem ad esse in eodem hypostasi, iam erunt in eadem hypostasi.

Dices, verum hoc esset, si ex hypothesi auferretur ratio originis duplicis passiuæ; at non aufertur.

An duæ origines sint incõpossi-

Data vna hypothesi alia dari potest.

possibiles, apparebit respondendo ad argumenta. Nunc dico non esse absurdum, si data vna hypothesi, alia non repugnans ponatur, ut ipse Scotus quoque primo distin. 11. quæst. 2. præter hypothesim principalem dubitationis, in argumentis ponit alias hypotheses circumscribendo omne aliud per possibile, & impossibile.

68. Quintò persuadetur antecedens principale sic.

Quando in aliqua hypostasi sunt duæ rationes incompossibilitatis ad alteram hypostasim, quarum rationum incompossibilitatis, altera est certissima, & patens, altera latens: tunc si auferatur illa ratio notissima, & certissima incompossibilitatis, videtur etiã auferri ratio latens, nam ratio formalis determinans sibi rationem notam incompossibilitatis, si hanc relinquat, videtur deponere omnino rationem incompossibilitatis. Nunc autem filius habet duas rationes incompossibilitatis ad Spiritum sanctum; prima est ipsa spiratio actiua, quæ ex ratione Deitatis communis cum Patre, inest Filio: notissimum autem, & certissimum est, quòd producens, & productam sint incompossibilia. Ergo spiratio actiua est notissima ratio incompossibilitatis in Filio ad Spiritum sanctum. Sed ratio latẽs est ratio disparata (ut prætenditur) quæ incompossibilitas à communi sententia Doctorum non agnoscitur inter relationem filiationis, & spirationis. Ergo si per hypothesim, filiatio ex ratione sua formali non determinet sibi compossibilitatem cum spiratione actiua, atq; ideo deponit incompossibilitatẽ notam cum Spiritu sancto: multò minus videtur sibi determinare rationem incompossibilitatis disparatæ ignotam, & apud plures doctores falsam.

69. Sexta ratio, & est persuasio.

Remota ratione adæquata repugnantiæ vnius ad vnum, remouetur etiam repugnãtia illorum ad inuicem, quia da oppositum, illa non erat adæquata ratio repugnantiæ. Sed spiratio actiua est adæquata ratio repugnantiæ spirationis passiuæ ad filium: ergo reiecta à filio spiratione actiua, reiecta est ratio adæquata repugnantiæ spirationis actiuæ ad filium; quare spiratio passiua non amplius repugnat filio.

Spiratio actiua ratio repugnantia adæquata spirationi passiuæ.

Pro-

Probatur minor. Relationes originis sibi directè oppositæ, sunt adæquatæ in essendo secundum suas rationes formales, maximè verò in diuinis adæquatur origo actiua origini passiuæ oppositæ in rationibus suis formalibus; ergo & in per se consequentibus rationes formales. Igitur adæquata ratio repugnantiæ ad spirationem passiuam, est spiratio actiua, & è contra.

Relationes directè oppositę in diuinis adæquatæ sunt.

70. Septima ratio. Omnis ratio repugnãtiæ, vel nõ repugnantię, composibilitatis, vel incomposibilitatis, est primò ex rationibus formalibus extremorum comparatorum, præciso omni alio respectu affirmatiuo, aut negatiuo ad quodcunque aliud. Per Scotum 1. dist. 43. q. 1 & sæpè alibi. Si igitur accipiantur rationes formales generationis passiuæ, & spirationis passiuæ, & ex eis non appareat incomposibilitas, ponendum est, quòd sint composibiles. Nam omne illud ponendum est possibile, cuius non apparet ratio impossibilitatis: & composibile ponendum est, cuius non apparet ratio incõposibilitatis, prout Scotus asserit in quolibeto 19. Iam verò proponantur rationes formales generationis & spirationis.

Generatio quid, spiratio quid?

Generatio est productio viuentis à viuente similis in natura, per modum naturæ. Spiratio est productio viuentis à viuente similis in natura, per modum libertatis.

In his definitionibus nihil videtur repugnans alteri, imò sunt eiusdem rationis, exceptis duabus ultimis conditionibus, qui sunt, modus naturæ, & modus libertatis. Sed hi duo modi ex parte principiorum originalium, non repugnant ita, ut nõ possint esse in eadẽ hypostasi realiter; quia principia ista vel sunt idẽ formaliter, distincta virtualiter: vel sunt idem realiter, & distincta formaliter ex natura rei, secundum varias opiniones: unde in Patre est utrunque principium, & naturale scilicet, & liberum.

Modus agendi naturaliter, & liberè non repugnãt ex principio agente, et actiuo.

Neque repugnant hi duo modi ex parte termini formalis, imò stant simul, quoniam eadem essentia realiter, & formaliter, terminat vtranque productionem, naturalem, & liberam, & ipsa omnino indistincta, est communicatiua, & communicabilis vtroque modo. Si etiam tanquam speciales rationes formales termi-

ex termino formali

mandi, afferantur notitia absoluta, & amor absolutus, ista sunt realiter eadem. Ergo terminus formalis generationis, & terminus formalis spirationis, sunt idem realiter, & reperiuntur in vna persona realiter, quia in Patre est & notitia, & amor.

Ex productione actiua. Neque apparet repugnantia ex parte productionum actiuarum, quæ ex hypothesi ponuntur compossibiles in Patre, sunt tamen actus eliciti, vel elicitiones ex principiis originalibus; nec tamen sunt subsistenter distincti.

Ex productione passiua. Neque apparet ratio repugnantię ex parte productionũ passiuarum, in quantum sunt per modum naturæ, & libertatis; quoniam licet ratio naturalitatis, & ratio libertatis videatur habere aliquam formalem repugnantiam ad esse in eodem principio quo: tamen actus secundi, qui sunt productiones actiuæ, aut passiuæ, sunt merè naturales, id est, nullam formalem libertatem in se habent, quemadmodum doctor subtilis in 1. dist. 7. quæst. 1. subtilissimè animaduertit. *Scot. 1. d. 7.*

Praeoccupatio responsionis. 71. Si respondetur, repugnant duæ productiones passiuæ ex ratione productionis primæ, sufficientis, totalis, & adæquatæ, & perfectę, quarum altera subtracta, nihilominus idem productum esset.

Productum productione eiusdẽ, vel diuersæ rationis duplici. Contra est. Si aliquid sit bis productum adęquatè productione eiusdem rationis, tunc utique una productio esset superflua: & altera detracta, res nihilominus esset. Si autem aliquid est productum secundum productiones diuersæ rationis, quarum vna sit prima, & cõstitutiua in esse primo, altera constitutiua in esse secundo, atque adeò secunda; profectò subtracta prima, aufertur totum; at subtracta secunda, non aufertur, nisi quod inerat per secundã. Exemplum. Pater constituitur in esse incommunicabili, sed per productionem naturalem actiuam constituitur in esse primo: per productionem liberam, ex hypothesi constituitur in esse secundo incommunicabili. *Producens in esse 1. & 2. constitutum.* Sic non erit absurdum in producto, ut per unam productionem passiuam naturalem constituatur in esse primo personæ: per secundã productionem passiuam liberam, constituatur in esse secundo. *Productum constitutum in esse p. & 2.* Nam productio passiua variatur secundum modum aliũ habendi naturam. Et subtra-

cta prima productione passiua, auferretur totum: subtracta secunda, minimè, sed auferretur tantum esse spirati.

Productiones diuinæ non dicunt perfectionem vel imperfectionem formaliter. Doct. Seraph. & subt.

Illud addo, quòd dicuntur productiones passiuæ esse perfectæ; sed minus verum est. Propterea quòd productiones passiuæ, aut actiuæ non dicunt perfectionem, neque imperfectionem secundum Doctores Seraphicum, & Subtilem.

Item illud, quo dicuntur productiones esse totales, est cautè intelligendum, quoniã persona constituitur ex absoluto essentiali, & ex productione, puta generatione passiua, constituitur filius. Quam ob rem productio passiua potius habet rationem partialis vel quasi partialis constitutiui, quàm totalis.

Genitũ in creaturis, et in creatore distinguitur.

Qua in re discriminantur genitum in creaturis, & in Deo. Nam Salomon dicitur esse genitus, nec tamen generatio passiua intelligitur esse pars rei genitæ, sed accidens consequens esse Salomonis: at in Deo, generatio passiua non est consequens filium, quasi posterior filio: sed est constituẽs filium, quasi prior. nam constitutiuum est prius quodammodo ipso cõstituto.

An autem etiam in creaturis possit considerari hoc totum per accidens constitutum ex natura, & persona Salomonis, nec non ex generatione passiua ipsius, dicam. Potest vtique considerari hoc totum per accidens, sed tamen generatio passiua non constituit personam Salomonis, sed eã præsupponit. In diuinis non præsupponit personam filii, sed constituit, & ideò non est par ratio. Idem dicatur secundum proportionem de spiratione passiua, & generatione passiua.

Generatio diuina est prior genito, humana est posterior.

73. Postremo circa rationem istam argumentor è Scoto in quolib. 16 E. vbi Scotus docuit, nos non posse nolle Deum, & arguit contra se; quia, *Si vnum incompossibilium repugnat, alterum necessariò inest. Si ergo voluntati nostræ repugnat nolle Deum, ergo velle necessariò inest.*

Scot. quol. 16.

Respondet Scotus ad argumentum, sed nihil dicit contra maiorem, aut eius probationem: imò præsupposita maiore, ad minorem respondet. Propter hoc & Scotistę illam maiorem, tanquam veram, recipiunt. Sic Tataretus, & Gadius in quolibeto 16. illam ponunt tanquam regulam in philo-

Tatar. Gadius

philosophia, ut si ab igne remouetur frigus, hoc est quia in eo est necessariò calor. Lychetus in quolib. 16. car. 134 col. 2. eam probat, *Quia si negatio necessariò repugnat, affirmatio opposita necessariò inest. Si enim repugnat necessariò homini, Non animal, necessariò, Animal, inest homini. Et ideo benè dicit, quòd si unum necessariò repugnat, alterum necessariò inest.* Antonius de Fantis Scotista famigeratus in Mari magno tabula sexta ad S. hanc propositionem recipit inter propositiones Scoti notabiles. Itaque ex hac propositione à Scotistis recepta, sic arguo.

Lychet.

Fantis.

Si unum incompossibilium repugnat, alterum necessariò inest.

Sed spiratio activa, & spiratio passiva sunt incompossibiles in eodem, & unum istorum incompossibilium ex hypothesi, necessariò repugnat ipsi Filio, scilicet spiratio activa. Ergo alterum incompossibilium, quod est spiratio passiva, necessariò inest Filio. Quapropter stante hypothesi, Filius esset eadem persona & genita, & spirata.

CAP. VII.

Aliæ quędam rationes afferuntur ad conclusionem principalem.

74. SVppetunt etiam nonnullæ rationes breuiores pro conclusione, quas afferam in gratiam disputantium.

1. Si spiratio passiva est incompossibilis Filio in hypothesi, hoc est, aut quia spiratio, aut quia passiva est. Non quia passiva, nam quæ secundum aliquam rationem conveniunt, secundum illam non repugnant. Sed generatio passiva, & spiratio passiva conveniunt in ratione passivi; ergo ex ratione passivi nō repugnant, neque sunt incompossibiles. Non primum, quia in Patre sunt generatio activa, & spiratio activa: ergo spiratio ut sic, & generatio ut sic non repugnant.

Qua ratione aliqua cōveniūt, ea non repugnant.

2. Sicut oppositum in opposito, ita propositum in proposito, per quartum Topicor. loco 46. Sed generatio activa *4. Top.*

& generatio pasſiva ſunt oppoſitæ: ſimiliter ſpiratio activa, & ſpiratio pasſiva ſunt oppoſitæ. Et ex hypotheſi ſpiratio actiua incommunicabilis, eſt compoſsibilis cum generatione activa incommunicabili in eadem hypoſtaſi; ergo & ſpiratio paſsiva incommunicabilis cum generatione paſsiva incommunicabili, erit compoſsibilis in eadem hypoſtaſi. Sed poſſe, & eſſe ad intra in Deo ſunt idem. Ergo data hypotheſi, ſpiratio paſſiva, & generatio paſsiva erũt in eadem hypoſtaſi Filij.

Reſpondetur. Sicut hoc argumentum non valet: ſpiratio activa eſt compoſsibilis cum paternitate, ergo ſpiratio paſsiva eſt compoſsibilis cum filiatione, loquendo ſecundũ veritatem, & de facto. Ita propoſitum argumentum non valet, etiam data hypotheſi.

Contra. Stante rei veritate non valet argumentum, quoniam regula Topica non eſt vera, quando duo membra unius oppoſitionis ſtant cum uno membro alterius oppoſitionis. De qua re legantur Doctores Seraphicus, & Subtilis in 3, diſt. 30.

Doct. Seraph. et Subt.

Sic in rei veritate paternitas, & filiatio ſtant cum ſpiratione activa in ratione compoſsibilis, quoniam ſpiratio activa ponitur communicabilis, & eſt de facto communis Patri, & Filio. Sed ex hypotheſi, ſpiratio activa redditur incommunicabilis, & compoſſibilis cum ſola generatione activa. Quando autem extrema unius oppoſitionis ſunt formaliter diuerſa ab extremis alterius, ita ut duo non contineantur ſub uno, tunc regula topica eſt vera: ut ſi odium eſt vitium, amor eſt virtus; & ſi deſperatio vitium, ſpes eſt virtus. Ita, ſi generatio activa eſt cum ſpiratione activa, erit etiam generatio paſsiva cum ſpiratione paſsiva.

Regula topica limitatur.

75. 3. Si Filius ex hypotheſi non ſpirat Spiritum ſanctum, ergo à Filio aufertur inſpirabilitas: ergo in Filio ponitur ſpirabilitas, quare & ſpiratur. Ad notitiam antecedentis noto, quod per hypotheſim, à Filio auferuntur tres rationes incompoſsibilitatis cum ſpiratione paſsiva.

Cur incompoſſibilis ſpiratio paſſiva Filio.

Prima ratio eſt, quia vis ſpirativa cum primitate ad ſpirandum, non ponitur in Filio. Etenim ſuppoſito habenti talem virtutem cum tali primitate ad ſpirandum, repugnat ſpi-

ſpirari. Atque hæc conditio eſt oppoſita virtualiter ſpirationi paſsivæ. Secunda ratio eſt ſpiratio activa, formaliter, & directè oppoſita ſpirationi paſsivæ, & incompoſsibilis cum paſsiva. Sed hæc ſpiratio activa aufertur à Filio. Tertia ratio eſt inſpirabilitas, & ſicut per Scotum 1. diſt. 27. q. 2. ingenerabilitas fundatur ſuper paternitate, ſeu generatione activa: ita quoque inſpirabilitas, ut ponitur ſexta notio apud Scotũ, fundari debet ſuper ſpiratione activa. Et hęc inſpirabilitas repugnat ſpirationi paſſivę. Tunc probo primam conſequentiam. Per hypotheſim à Filio aufertur fundamentum proximum inſpirabilitatis, quod eſt ex dictis, ſpiratio activa: ergo aufertur etiam inſpirabilitas fundata. Conſequentia ſecunda patet, quoniam à quo auferrur negatio, in eo ponitur affirmatio, cùm contradictoria ſint immediata circa quodlibet, ex 4. metaphyſ. 27. Sed inſpirabilitas, & ſpirabilitas ſunt cõtradictoria, vel quaſi privativè oppoſita circa determinatum genus, ſcilicet circa Filiũ, atque adeò æquivalent contradictoriis. Ergo à quo removetur inſpirabilitas, in eo ponitur ſpirabilitas.

Scot.

4. Met.

76. 4. Sicut ſe habet generatio activa ad generationem paſsivam; ſic ſpiratio activa ad ſpirationem paſsivã, ut patet ex eorum directa oppoſitione relativa. Ergo permutatim, ſicut generatio activa ad ſpirationem activam: ita generatio paſsiva ad ſpirationem paſsivam. Sed ex hypotheſi, generatio activa, & ſpiratio activa ſunt æquè incommunicabiles, & tamen compoſsibiles in eadem hypoſtaſi: ergo etiam generatio paſsiva, & ſpiratio paſsiva erunt æquè incommunicabiles, atque etiam compoſsibiles in eadem hypoſtaſi.

5. Si in divinis ſpiratio activa poneretur prior productio, quàm generatio activa: tunc per Scotum 1. diſt. 26. quæſt. 1. generatio activa mutaret ſuam rationem formalẽ, & de incommunicabili fieret communicabilis, atque ſpiratio activa ſimiliter fieret de communicabili incommunicabilis: ergo cùm, ſtante hypotheſi noſtra, ratio ſpirationis paſsivæ, atque etiam ſpirationis activæ mutetur formaliter propter varietatem principii ſpirativi, & cõditio-

Scot.

nis eius; quæ duo fiunt incommunicabilia Filio; ergo ſpiratio paſsiva fieret ex incommunicabili communicabilis; ſicut ſpiratio activa fit ex communicabili incommunicabilis. De qua varietate rationum formalium plura diximus antea capite quarto.

Mutatio ex opposito et in oppositum Confirmatur hoc, quoniam mutatio, & varietas eſt ex oppoſito in oppoſitum; ſed variaretur per hypotheſim, mutareturquè ratio formalis ſpirationis paſsivæ: ergo fieret ſpiratio paſsiva ex ratione incommunicabili communicabilis Filio, & fortè etiam alicui alii ſuppoſito, ſi aliud eſſet. Vel fortè Patri communicaretur, & Filio ex hypotheſi, ſicut ſecundum veritatem, ſpiratio activa Patri, & Filio cõmunicatur. Nam uno inconvenienti dato, plura ſequuntur.

Prima distinctio constitutorũ est ꝑ primã distinctionẽ constituentiũ 77. 6. Prima diſtinctio realis relativorum, conſtitui debet per primam diſtinctionem realem in relationibus conſtituentibus; in divinis enim prima diſtinctio realis eſt relativorum, & per diſtinctionem relationum. Sed cùm duplex poſsit conſiderari diſtinctio in relationibus, diſtinctio relationis diſparatæ à diſparata, ut magiſterij, & dominij: & item diſtinctio correlativè oppoſita, ut diſtinctio dominii, & ſervitutis; diſtinctio relativè oppoſita eſt prima diſtinctio relationum, non autem diſtinctio diſparata. Igitur in divinis ponenda eſt diſtinctio per relationes directè oppoſitas. Probatur minor; quoniam ſi ponantur duæ ſolæ correlationes, ut paternitas, & filiatio, habetur diſtinctio relativè oppoſita. Sed ad habendum diſtinctionem diſparatam, neceſſe eſt ponere quatuor relationes, duas priores ad invicem oppoſitas, & duas poſteriores ad invicem item oppoſitas; tunc enim duæ priores dicuntur diſparatæ a duabus poſterioribus, & è contra. Quare diſtinctio relationum per oppoſitionem relativam eſt prior, quàm diſtinctio per diſparationem. Certè oppoſitio relativa eſt ipſamet eſſentia, & quidditas relationis, ſed diſpar ratio eſt quid aduenien relationi. Vnde Spiritus ſanctus prius intelligitur habere eſſe correlativi oppoſiti ad ſpiratorem, quam ſit comparatio ipſius Spiritus ut diſparati, ad genitum ut diſparatum; & ipſa comparatio ſpirati ad genitum *Omnis comparatio aduenienes præsupponit cõparatã.*

genitum præsupponit & spiratum esse ad spiratorem, & genitum esse ad genitorem. Quam ob rem prius secundum rationem intelligendi, vel secundũ ordinem naturæ, Spiritus sanctus est, & distinguitur à correlativo, quàm intelligatur distingui à disparato. Si ergo quo prius habet esse persona divina, eò prius distinguitur; & Spiritus sanctus prius habet esse ut relatiuum ad correlatiuum oppositum, quàm habeat comparationem ad disparatum; Spiritus sanctus primò distinguitur, & constituitur per rationem oppositionis relativæ, quàm per rationem relationis disparatæ. Idem dicatur de Filio, & Patre. Præter quam quòd si poneretur sola oppositio duarum relationum, ibi haberetur esse, & esse distinctum in ratione relativi per oppositionem relativam; tunc autem non esset illa relatio distinctionis ad disparatũ; ergo ista comparatio, vel distinctio ad disparatũ, accidit ipsi relationi, & relatio esset, etiam si disparatum non esset.

Omne relatiuũ prius est ad correlatiuum quàm comparetur ad disparatum.

78. 7. Argumentum protritum est, non imbecillum tamen: quod etsi commune sit, prætermittere illud non est visum. Sic autem habet. In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio, uti S. Anselmus latè ostendit in libro de processione Spiritus sancti. Si autem Spiritus non sit à Filio, nec è contra, non obviat inter eos relationis oppositio; ergo Filius, & Spiritus sanctus sunt una res, una persona.

Respondetur, quòd duplex est oppositio relativa: una directa, qualis est inter patrem, & filium; altera disparata, qualis inter patrem, & dominum. In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat oppositio relativa, vel directa, vel disparata. Sic inter Patrem, & Filium est oppositio directa, quæ distinguit personas ut duas res. Inter Filium, & Spiritum sanctum est oppositio disparata, quę distinguit personas Filii, & Spiritus sancti; atque distingueret, etiam si Spiritus a Filio non procederet.

Aduersus hanc responsionem, obseruo, inter divinas relationes esse quatuor oppositiones disparatas.

Quatuor disparatæ comparationes in relationibus originis.

Prima est inter generare, & spirare.

Secunda inter generari, & spirare.

Tertia

Tertia inter generare, & spirari.
Quarta inter generari, & spirari.

Si duæ relationes disparatæ sunt principia formalia formaliter, & sufficienter distinctiva duarum personarum: tunc secundum veritatem loquendo, genitor, & spirator erunt duæ personæ ex prima oppositione relativa disparata: quòd idem dicendum erit in hypothesi, si Spiritus non procedit à Filio. Præterea, genitus, & spirator erunt aliæ duæ personæ secundum veritatem, ex secunda oppositione disparata; quod est per quam falsum. Igitur oppositio relationis disparata, quatenus talis, non est principiũ formale sufficiens ad distinguendas personas, & res.

In tertia, & quarta oppositione disparatis, aduersarijs placet, ut ipsa oppositio sit sufficienter distinctiva. In duabus prioribus oppositionibus, non placet. Sed contra est, quia oportet disparatam relationem aut quatenus huiusmodi esse distinctivam, aut non. Si quatenus huiusmodi, arguo. Quod convenit alicui in quantum tale, universaliter illi convenit, verbi gratia; si homini, in quantũ homini convenit esse risibile, omni homini convenit esse risibile. Et si non convenit omni in quantum tali, nulli convenit in quãtum tali. Si ergo oppositio disparata relationum quatenus huiusmodi, est principiũ formale sufficienter distinctivum personarum; ergo omnis oppositio relativa disparata distinguet. Quare generare, & spirare, & generari, ac spirare constituent tres personas. Si autem non distinguit in quantum relatio opposita disparata, ergo falsò affertur hæc glossa ad propositionem maiorem allatam. Oppositio autem directa relationum, sẽper est distinctiva realiter suorum constitutorum inter se: ut genitor, & genitus re distinguuntur; spirator, & spiratus itidem re distinguuntur.

Reduplicativa infert universalit.

79. Præterea. Aristoteles post prædicamenta cap. 1. & in 10. Metaphys. tex. 14. distinguit oppositiones in quatuor tantùm, relativam, contrariam, priuativam, contradictoriam. Relativa verò nõ est, nisi inter duo correlativè opposita, nam relativè opposita dicuntur, quæ hoc ipsum quod sunt, oppositorum sunt. Cum authoritate, ratio suffi-

Arist. Oppositiones quatuor tantùm

cien-

cientiæ affertur, quoniam vel ambo opposita sunt positiva, vel alterum est positiuum, alterum negatiuum. Si positiva, vel unum depēdet ab altero, ut relativè opposita, vel nō dependet, ut contrariè opposita. Sic Sco. super prædicamēta in caput de oppositis. Si alterum extremum sit negatiuum, vel negatio est in determinato subiecto, & est oppositio privativa; vel non requiritur determinatum subiectum, & est oppositio contradictoria. Nunc autem excogitata est alia oppositio disparata contra authoritatem, & contra rationem sufficientiæ; quæ quinta oppositio inventa est ad ponendam æquivocationem in vocabulo *oppositio*, ut per fictam vocem, detur ficta responsio, & eludatur verax Divi Anselmi authoritas. Quare non est admittenda hæc oppositio disparata, nec eam Sanctus Anselmus intellexisse credendus est.

80. Tertiò. Dispar ratio, seu diversitas inter disparata, est communis inter absolutū, & absolutum, absolutum, & relationem, relationem, & relationem: atque breviter omne ens ad omne aut est idem, aut diversum. Quæ autem diversa sunt, sunt disparis rationis, atque ideo sunt disparata. Igitur per hanc rationem, omnes rationes diversæ, seu disparatæ constituent res diversas diversitate reali, quæ est inter rem, & rem. In divinis autem ratio absoluti est, ut essentia, & ratio relativi, ut paternitas, quę sunt rationes reales disparis rationis, hoc est, disparatæ, ergo Deus constitutus per essentiam, & Pater constitutus per paternitatem erunt duæ res realiter distinctæ, quod est absurdum. In creaturis quoque ratio animæ, & ratio potentiarum: itē, ratio subiecti, & ratio proprietatis sunt disparatæ, & diversæ, ergo anima, & potentiæ differunt realiter; subiectum, & proprietas differunt realiter, quod multis non placet. Ergo oppositio disparata non sufficit ad distinguendum rem à re.

Quartò. Si Pater cōparatus ad Filium distinguitur re per propriā rationē oppositionis relativæ, & cōparatus ad Spiritū sanctum, distinguitur re per rationē cōmunem disparationis; ergo Pater, ut Pater distinguitur a Filio: non ut Pater, sed ut ens distinguitur à Spiritu sancto. Ergo in Patre est

duplex

duplex ratio realis distinguẽdi, una communis ex ratione entis, ut aduersarij arguunt, *Quo est ens, eo est distinctum*. Reliqua propria, qua est Pater, & ea distinguitur à Filio tantùm. Prima consequentia patet, quia qualis est ipsamet passio, talis est ratio adæquata passionis; sed dispar ratio est proprietas consequens ens in communi ad absolutum, & relatiuum; ergo & ratio talis oppositionis est communis. Ratio autem paternitatis ut sic est propria, quia est relativa tantùm. Secunda consequentia probatur, quia ratio formalis distinguens rem à re debet esse ratio realis, & realitas quædam, ergo ratio oppositionis disparatę distinguens ab omnibus, & ratio oppositionis relativæ directæ, distinguens præcisè a correlativo, debent esse rationes reales, & realitates. Si autem concedatur hoc, cõceditur falsum, & refutatum à Doctore Subtili in primo dist. 8. quæst. 3. ubi negat in divinis ordinem duarum realitatum in eadem formalitate constitutiua, ne detur compositio ex communi distinguibili, & proprio distinguente. Scot.

81. Quintò. Omnis relatio realis requirit terminum realem, & secundum quod realis, per Scotum in 3. d. 2. q. 1. E. ubi docet, quòd unio ad Verbum non potest terminari sub ratione hypostasis, & non personæ, quia hæ duæ rationes non distinguuntur formaliter ex natura rei in Verbo. Sed distinctio Spiritus sancti à Patre, vel Filio est relatio realis, ergo in Patre, & in Filio requirit rationem terminãdi realẽ, & ut realẽ. Quæro iam, an ratio oppositi dispáratè, & oppositi directè in paternitate sint duæ rationes formales formaliter ex natura rei distinctę, aut non (sic dicatur de Filio) si sic, ergo in Patre sunt duæ realitates, una communis, alia propria, contra Scotum in 3. d. 1. q. 1. E. Si autem non, ergo ratio oppositionis disparatæ non sufficit ad terminandam distinctionem realem Spiritus à Patre. Scot.

Sextò. Vnus homo signatus, ut Seth, genitus ab Adamo, habet in se creationem passivam respectu Dei, & generationem passivam respectu Adæ. Si duæ relationes oppositæ disparatæ sunt satis ad distinctionem personarum: & creatio passiva, atque generatio

Terminus formalis, ut totalis productio - nis di... narũ.

ratio passiva in Seth sunt duæ relationes disparatæ, ergo Seth erit duæ personæ, vel arguendo à posteriori, vel constituendo à priori.

Denique. Dicere, quòd aliquæ relationes secundum oppositionem disparatam cōstituant personas, alique non: est loqui ad placitum, est sine certo fundamento reijcere Sāсti Anselmi authoritatem, requirentis oppositionem relativam ad distinguendum res, & personas in divinis.

CAP. VIII.

Afferuntur quædam ad intelligentiam quæsiti, & ad solutionem aduersantium oportuna.

82 IN divinis duplex est productio, vna per intellectum, reliqua per voluntatem. Per intellectum producitur notitia genita, quæ est Verbum mentis: per voluntatem amor spiratus, qui est Spiritus sanctus. Et quoniam in omni productione attenditur terminus formalis specificans eam, & terminus totalis habens esse per ipsam; in hac productione per intellectum, terminus formalis est notitia absoluta: per voluntatem, terminus formalis est amor absolutus. Terminus totalis est aliquid constitutū ex termino formali specificāte, ac proprio, & ex productione passiva. Verbi gratia, ex notitia absoluta, & conceptione passiva mentali constitutū est Verbum: ex amore absoluto, & spiratione passiva est constitutus Spiritus sanctus. Quorum constituentium, absolutum est essentiale, & commune tribus: relatio originis est notionale, & non commune tribus. Vnde notitia, & notitia genita non sunt duę notitiæ, sed una notitia, semel absolutè accepta, semel cum relatione conceptionis passivæ. Idem dicatur de amore, & amore spirato. Amor est in se indifferens, sed distinctio est in modo accipiendi amorem, semel absolutè, semel cum spiratione passiva.

Terminus formalis, ac totalis productionum divinarū.

Notitia & notitia genita non sunt duæ notitiæ, sed una bifariā sumpta.

83. Secundò observo, quòd duplex est attendenda denominatio, una est subiecti à forma, ut corpus denominatur animatum ab anima informante, & paries albus ab albedine inhærente. Altera consti-

constituti à forma constituente, ut homo denominatur animatus ab anima, quæ non informat hominem, sed constituit internè, ut per se pars eius. In divinis relatio non denominat fundamētum absolutum priore denominatione, prout Scotus notat quol. 3. O. Nam essentia nec generat, nec generatur, nec spirat, nec spiratur: essentia verò ponitur tanquam fundamentū, & quasi subiectum istarum originum. Sed posterior denominatio seruatur in divinis, ut Pater per ipsum generare constituitur, sed & denominatur, *Pater est generans, Pater generat*. Sic Filius per generari constituitur, nec non & denominatur, *Filius est genitus, Filius generatur*. Similiter Spiritus spiratione passiva constituitur, atque denominatur, *Spiritus spiratur, vel spiratus est*. Quando igitur dicimus *notitiam genitam*, dicimus hoc totum constans ex absoluto, & respectivo esse genitum. Non tamen ipsam notitiam absolutè sumptam dicemus esse propriè genitam. Etenim est notitia absoluta etiam in Patre, in quo nihil est productum. Et igitur improducta quātū est ex se, denominatur autem producta à productione passiva, quæ fundatur in ipsa, tanquam in fundamēto formali proprio, & specifico: quæ quidem denominatio est subiecti à forma, & propterea est impropria; licet etiam quodammodo sustineri possit, cum notitia non sit ultimatè abstractum, sed medio modo; quemadmodum adnotavit D. Bonaventura in primo dist. 5. quæst. 1. num. 11. Idem dicatur proportionaliter de *amore spirato*.

Denominatio duplex à forma.

Scot.

Notitia denominatur genita, non proparte sed pro toto.

S. Bon.

84. Tertiò. Nunc videndum est, an productiones divinæ sint productiones simpliciter, vel secundum quid. Aristoteles in primo de Generatione contextu 20. trifariam distinguit generationem simpliciter à generatione secundum quid. Primò quia substantiæ est, aut non: secundò quia est magis perfecti, aut minus: tertiò quia rei magis sensibilis, vel minus. Secundus, ac tertius modus loquendi nō sunt nostræ disquisitionis. Primus, si transferatur ad divina, concludit, quòd divinæ productiones sunt productiones secundum quid, non simpliciter. Quoniam specificatio generationis simpliciter fit vel à termino formali, vel à ter-

Aristotelis generatio simpliciter, secundū quid.

Productiones divinæ non sūt simpliciter productiones in significato Arist.

termino formali, vel à termino totali, quorum uterque debet esse formaliter substantia. Distinguit Doctor Seraphicus in primo dist. 25. q. 1. num. 10. substantiæ nomen post Ricardum de Sancto Victore, quoniam substantia vel indicat naturam communem, ut homo, vel indicat suppositum certum, ut quidam homo. Primo modo substantia dicit quid, secundo dicit hoc aliquid. Et in creaturis generatio simpliciter terminatur ad naturam communem secundum intentionem: terminatur ad suppositum secundum productionem, ex eodem Doctore 1. dist. 5. q. 3. num. 23. & 24. quorum terminorũ uterque est formaliter substã. tia. Non loquor autem de termino formali partiali, quãquam, & ille sit formaliter substantia, quæ est forma. Sed in divinis productionibus nõ sunt hæ duæ partes, materia, & forma, ex primo dist. 19. quæst. 7. In divinis autem terminus formalis proprius, & specificus productionum, est identicè, & concomitanter substantia; sed formaliter nõ est substantia, præsertim secũdum tenentes distinctionem formalem actualem ex natura

S. Bon. Ricar. d. S. Vict.

Substantia pro quiditate, pro supposito.

Doct. Seraph.

Terminus formalis productionũ formaliter aut idẽtice.

rei inter absoluta divina, ut inter essentiam, intellectum, voluntatem, notitiam, amorẽ. Vnde consequenter ad Aristotelicam significationem loquendo, generatio, & spiratio divinæ, quæ non habent pro termino formaliter substantiam, sed notitiam, aut amorẽ, non sunt productiones simpliciter.

Idipsum patet ex ratione suppositi certi, ut producti totalis. Nam substantia prima in creaturis est ex substantia communi, & ex differentia substantiali propria, non continendo in sua ratione hypostatica productionem passivã, sed ordine naturæ præcedendo talem relationem originis. In divinis, autem ipsum suppositum constat ex communi notitia, vel amore communi, & ex relatione producti passivè. Quam ob rem suppositũ creatum constituitur proprietate eiusdem generis substantialis: suppositum increatum proprietate alterius generis, scilicet relativa, prout Scotus docet quolibeto primo, ad primum. Quare generatio suppositi creati erit simpliciter: suppositi increati non erit simpliciter. Generatio suppositi creati est formaliter poste-

Scot.

rioris generis, & posterior natura, quàm ipsum suppositum generatum. Generatio passiva suppositi increati est prior natura ipso supposito, sicut cõstitutiuum est prius constituto. Hinc manifestum est, quòd si Aristotelicè loquamur, & formaliter, neutra divina productio sit productio simpliciter, sed secundũ quid.

85. Eapropter theologicè dicemus, productionẽ simpliciter esse, qua constituitur aliquid per se subsistens: productionem secundum quid, qua non constituitur per se subsistens. Ita generatio activa, generatio passiva, spiratio passiva sunt productiones simpliciter: spiratio activa est secundum quid; ut etiam propter hoc possit dici, eam à Deo in scripturis non fuisse nominatam, aut reuelatam.

Productio divina Theologicè simpliciter productio.

Spiratio activa, & spirator, cur non nominantur in scriptura.

Hic oriuntur tres dubitationes, singillatim enodandæ.

86. Prima est. Si terminus formalis productionis per intellectum est notitia adæquata: productionis per voluntatem est amor adæquatus; igitur Verbum erit quidditativè, & intrinsecè notitia, & conceptio passiva, non autẽ primò, & quidditativè Deus: Spiritus sanctus erit quidditativè, & internè amor spiratus, non verò Deus; quoniam ex termino formali productionis activæ proprio, & specifico (qui terminus est etiam fũdamentum formale productionis passivæ) & ex ipsa productione passiva constat Verbum, & Spiritus. Igitur cùm Deitas formaliter sit prior, & non inclusa in his duabus personis, hæ personæ, vel non sũt Deus, vel non sunt per se primo modo Deus.

Respondetur. Duplex terminus communicatus per productionem considerari debet, alter proprius, formalis, & specificus, correspondens principio productivo formali: tales sunt notitia, & amor. Alter concomitans, quia cum ipso termino proprio formali communicatur supposito producto, tanquam termino totali. Vt notitiæ genitæ communicatur Deitas, intellectus, voluntas, notitia, amor: nihil enim absolutum habet Filius, quod non sit ei communicatũ à Patre: nihil absolutum habet Spiritus sanctus, quod nõ sit communicatum ei à Patre, & Filio. Porrò formalitates istæ absolutæ habent ordinẽ quendam inter se, ut essentia secundum quandam præsuppositi-

Terminus formalis communicatus, aut specificans aut concomitans.

Absoluta diuinis ordinẽ habent.

positionē naturalē in divinis, est simpliciter prima, ut prima radix, & fundamentū omniū divinorum: & ex essentia, ut ex prima radice quodammodo consurgunt ordinatè prę-cata absoluta, & relativa divina, velut intellectus, voluntas, concipere, seu dicere mentaliter, spirare. Nunc loquimur de absolutis. *Qualem autem per se ordinem habent quędam prædicata inter se, talem habent in supposito, cui communicantur*: ut quia substantia est prior corporeo, & corpore: corpus prius animato, vel vivente: vivens prius sensitivo, & animali: animal prius rationali, & homine; idcirco in Petro prior communicatur ratio substantiæ, quàm corporei; corporis, quā animati: vivētis, quā sēsitivi, animalis, quā rationalis: hominis, quā proprietatis individuātis, aut hypostaticę. Ita in divinis, prior cōmunicatur essentia, mox ītellectus, tertiò volūtas, quartò notitia, 5º. amor, & sic de singulis. Vnde duplex primitas considerari potest in termino formali communicato, altera secundum ordinem generationis, altera adæquationis. Secundum ordinem generationis, vel naturalis

Primitas ordine generationis, adæquationis.

præsuppositionis, primus terminus formaliter communicatus est essentia, & consequenter secundum per se ordinem essentialium, cætera essentialia. Secundum adęquationē, primus terminus formalis, proprius, & adęquatus virtuti productivæ ipsius intellectus, est notitia: virtuti productivæ ipsius voluntatis, est amor. Vnde inter terminos concomitantes, primus terminus formalis est essentia: inter adæquatos, primus, & solus productionis per intellectum, est notitia: productionis per voluntatem, est amor. Quare duobus modis videtur communicata notitia, primo modo ut prædicatum posterius ad essentiam secundum rationem concomitantem: secundo ut primus terminus formalis, & specificus, ad quem essentia, & cætera concomitantur. Idē dico de amore. Quia verò essentia est primus terminus formalis concomitans ipsam notitiam, ideo concedi potest, quòd essentia est terminus formalis: & item quia essentia primò ordinę naturalis pręsuppositionis communicatur Verbo; ideo Verbum erit Deus internè includēs Deitatem per se primo modo. Sic

Notitia Filio duobus modis communicatur.

etiam Spiritus sanctus. Vnde Scotus quolibeto secundo declarans terminum utrunq; divinæ productionis, dicebat essentiam, & notitiam: essentiam, & amorem esse terminũ formalem, quasi totalem. Et in 1. dist. 13. q. 1. notitiam, & amorem dixit esse terminos formales appropriatos divinarum productionum, secundũ quos ipsæ productiones distinguuntur ratione formali. Hæc dicta sīt ad primā dubitationē.

Sco.

87. Secunda dubitatio est. Si essentia divina, ut terminus concomitans, sed primus secũdum naturalem præsuppositionem, communicatur Verbo, & communicatur Spiritui: sitque secundum hypothesim consequens, ut Verbũ, & Spiritus sint una persona: quomodo potest una persona habere naturam eandem duobus modis?

Respondetur. Cùm duplex sit terminus formalis, alter proprius, & specificans, alter communis, & concomitans: absurdum esse, si idem terminus formalis specificans habeatur duobus modis specificātibus: quia specificans adæquatum unum vnius rationis sufficit. Si autem idem terminus concomitans, & communis bis accipiatur, & habeatur, vel idem terminus recipiatur uno modo ut specificans, alio modo ut concomitans, non est absurdum. Consideremus in homine. Homo ratione corporis habet entitatem, & substantialitatem; item habet easdem ratione animæ: ergo entitatem, & substantialitatem bis habet, vel duobus modis habet, scilicet tanquam terminum concomitantem ad utramque rationē propriam, & corporis humani, & animæ rationalis.

Ita quando producitur homo in esse docti, in esse probi, in esse albi, in esse calidi: esse qualitatis, vel qualis quatuor modis accipitur: & homo, qui erat productus in esse qualis secundum doctrinam, producitur in esse qualis secundum virtutem: erat in esse qualis secundum albedinem, producitur in esse qualis secundum calorem. Et si calor esset aliquo modo principium ut prima qualitas, respectu albedinis ut secundæ qualitatis; cũ communicaretur homini albedo, ut specificans dealbationem, communicaretur ei prius origine calor, & esse qualis in calore: posterius albedo, & esse qualis secundũ albedinē,

in

in quo casu ipsa albedo esset primus terminus secundum adæquationem,& specificatio nem, esset posterior terminus secundũ ordinem prædicatorum primæ,& secundæ qualitatis. Ita esset in casu nostro. Filio communicarentur notitia, & amor, ut termini primi secundum adæquationem, & specificationem: communicaretur essentia communis duobus modis, altero cum notitia per productionem simpliciter, quæ est generatio passiva: altero cum amore per productionem secundum quid, qualis in hypothesi esset spiratio passiva, quæ non constitueret suppositum diversum à Filio.

88. Tertia dubitatio. Si ex hypothesi sequeretur, quòd idem essent Filius, & Spiritus: quomodo idem suppositum potest duabus productionibus produci?

Respondetur. Stante hypothesi, neque spiratio activa, neque spiratio passiva sunt productiones simpliciter, sed secundum quid; quoniam essent constituentes aliquid in esse incommunicabili, sed tamen non in esse primo, quare sunt productiones aduentitiæ. Sic spiratio actiua constitueret spiratorem in esse incommunicabili: sed genitor, & spirator non essent duo per se subsistentes, ut placet aduersariis, imò essent unum subsistens constitutum in esse primo per generationem activã, in esse secundo, & secundum quid per spirationem activã; & hoc secundum constitutũ, quod est spirator, identificaretur ipsi constituto in esse primo, & simpliciter. Similiter dicatur de spiratione passiva; nam permutatio est ex opposito in oppositum: at spiratio activa de facto constituit Filium in esse spiratoris, sed non distinguitur spirator à Filio. In opposita hypothesi, spirator fit distinctus realiter à Filio: quare & spiratio passiva, quę de facto distinguitur realiter à Filio, ex consequentia hypothesis, debet identificari realiter cum Filio. Vnde Filius per generationem passivã esset constitutus in esse primo suppositi per se subsistentis, sive in esse simpliciter; et per spirationem passivam sibi advenientem, ac identificatam realiter, esset constitutus in esse secundo, & secundum quid, hoc est, in esse spirati. Sicut ergo non est inconveniens, ut primum suppositum divinum constituatur in esse incommunica-

Idē suppositum constituitur in esse simpliciter, et secundū quid.

nicabili, et simpliciter per generationem activam, & secundum quid per spirationem activam: ita non est inconveniens, ut secundum suppositū divinum constituatur in esse simpliciter, & secundum quid per generationem passivam, & spirationem passivam. Quarum altera esset productio simpliciter, altera secundū quid.

Cæterùm in eodem supposito videntur posse stare duæ productiones simpliciter, accipiendo productionem simpliciter Aristotelicè, cùm terminus productionis est substantia, ut in homine eodem est creatio animæ à solo Deo, & generatio corporis à Deo, & homine. In Christo item est vna persona, generationes duæ, una secundum divinitatem, altera secundum humanitatē.

Idē suppositum produci potest duplici productione simpliciter.

Tunc ad dubitationem respondeo. Idem produci duplici productione eiusdem rationis, sit absurdum. Sed produci idem duplici productione diuersæ rationis, nō est absurdum, vt si una est prima, altera consequens: si vna est simpliciter, altera secūdum quid: si una sit naturalis, altera supernaturalis. Sic idem homo producetur eodem momento in esse hominis, & in esse grati per creationem, & infusionem gratiæ sanctificantis, cuius beneficio dicetur homo esse nova creatura. Hic una productio in esse hominis est substātialis, naturalis, simpliciter: altera accidentalis, supernaturalis, secundum quid in esse grati.

S. Bon. 3. d. 8. nu. 29.

CAP. IX.

Argumenta nobis aduersantia proponuntur, & soluuntur.

Scotus 1 dist. 11. quæst. 2. B.

89. PRimum argumentum aduersum nostra formatur. *Quocunque formaliter aliquid constituitur in esse, eodem distinguitur; quia eodem est aliquid ens, & vnum vnitate conueniente tali entitati: & si vnum, igitur in se est indistinctum, & ab aliis distinctum. Sed filius constituitur in esse personali filiatione, ergo & ea formaliter distinguitur ab omni alia persona. Igitur, per impossibile, vel incompossibile, circumscripto quocunque alio, & maximè posteriori filiatione, remanebit filius filiatione distinctus personaliter à quacunque persona.*

Respondetur. Huic argumento

mento debet adiungi alia minor, videlicet ista. Sed stante hypothesi, quòd Spiritus non procedat à Filio, Spiritus esset alia persona à Filio: ergo Filius filiatione erit distinctus personaliter à Spiritu sancto. Et sine ista propositione non concluditur distinctio Filii à Spiritu sancto in hypothesi. At ponere talem propositionem noluit arguens, quoniam in ea detegeretur petitio principii. Etenim in controversia est, an stante hypothesi, Spiritus esset alia persona à Filio, aut eadem cum Filio; accipere in præmissis tanquam suppositum id, quod est in controversia, & concludendum in conclusione, est petere. Nemo enim est tam ineptus, qui si supponat Spiritum esse aliam personam, teneat esse eandem personam cum Filio. Ideo negatur minor hæc, si adiungatur. Si non adiungatur, negatur consequentia, concesso toto argumento aduersarii usque ad illã partem. Ratio autem superius dicta est, quia variantur rationes formales filiationis, & spirationis passivæ ex hypothesi, & per consequens istæ duæ origines, quæ erant incompossibiles, fiunt compossibiles in eadẽ persona. Sublata est etiam ratio oppositionis mutuæ inter Filium, & Spiritum sanctum, quæ erat ratio distinctionis realis rei à re inter personas diuinas.

[margin: ... Bon, ... d.8. ...n.29.]

[margin: Alē non est suppositum & quæsitum respectu eiusdē.]

Contra dices. Variatur aliqua ratio per locum extrinsecum, scilicet quia spiratio actiua & est extra rationem Filii tanquam aduentitia, & est posterior ratione Filii.

Ad hanc obiectionem duo dicam. 1. Locus dialecticus distinctus fuit in locos, intrinsecum, extrinsecum, medium à Themistio inter Græcos, à Boetio inter Latinos: vt patet in libro tertio Boetii de differentiis topicis: quos authores sequutus est Petrus Hispanus, & communiter dialectici. Si igitur arguens, locum intrinsecum, & extrinsecum accipiat in significatione dicta iuxta vsum Græcorum & Latinorũ negatur assumptum, quia Filius internè cõstat ex Deitate, ut entitate quidditatiua, & filiatione, ut entitate hypostatica. Sed ad quidditatem Deitatis sequitur in habente ipsã voluntas cum prioritate, vel posterioritate ad actum spirandi, & in primo signo naturæ, quo Pater, & Filius sunt, voluntas est cum primitate, quare & in Filio.

[margin: Them. Boet.]

[margin: Petr. Hisp.]

Locus à causa est intrinsecus.

Hoc argumentum est per locum à causa ad effectum, à quidditate ad proprietatem, & est locus intrinsecus, & per locum intrinsecum in Filio est vis spiratiua cum primitate ad spirandum. Quia verò absolutum ex ordine formalitatũ est prius relatiuo in hypostasi, prius intelligitur in Filio volũtas vt productiua, cum primitate, quàm intelligatur filiatio. At ex hoc sequitur in Filio spiratio actiua per eundem locum intrinsecum, & terminatio relationis passiuæ. Imo ipsa filiatio ex ratione sua formali præsupponit voluntatem cum primitate in filio, & determinat sibi ex ratione formali compossibilitatem ad spirare, & incompossibilitatem ad spirari. Quòd ex ratione formali infertur, est per locũ intrinsecum, quia per locum à definitione. Item, est à toto vniuersali, seu toto per prædicationem, quia hic Deus singularis prędicatur in quid de Patre, & de Filio, & per consequens vis spiratiua, & spirator consequuntur ut communia Patri, & Filio, & locus à toto universali est intrinsecus. Sed variatis istis, variatur ratio formalis spirationis passivæ, & filiationis, ergo falsò dicitur in obiectione, quòd varietas est per locum extrinsecum. Si autem arguens in alia significatione accipiat locum intrinsecum, dicam cum Scoto in 9. Metaphys. quæst. 6. *Contra hanc opinionem non oportet disputare de nominibus &c. loquitur, ut vult.* Et infra. *Itaque hac opinione, tanquam abutente terminos, prætermissa, &c.* Sic nos prætermittemus obiectionem.

Voluntas in Filio prior quàm filiatio.

Locus à toto, et locus à definitione intrinseci

Sco. 3. d. 1. q. 1. M. abusum terminorum taxat.

91. Secundò dico (ne videar fugere controversiam) locum intrinsecum, & extrinsecum declarari à Rada aliter in prima parte, controuer. 15. art. 2. car. 316. sic. Necessarium est intelligere, *Duplicem esse consequentiam, aliam essentialem, & intrinsecam, aliã verò accidentalem, & extrinsecam. Consequentia essentialis illa est, in qua consequens est de essentia, & de ratione intrinseca antecedentis: ut in his consequentijs, Homo est, ergo animal est, ergo corpus est, ergo substantia est; in quibus consequens est de essentia antecedentis. Consequentia verò accidentalis est, in qua consequens non est de ratione intrinseca antecedentis, ut in his: Homo est, ergo risibile est, ergo admiratiuum est.*

Inventor nouarum vocum apparẽter, non verè est inuẽtor nouarũ veritatum. Rada dicta.

2. Obseruat, quod *positiones*

nes sunt in duplici differentia: alię sunt, ex quibus nulla sequitur contradictio, ut si ponamus coruum album, & æthiopem nitentem candore. Aliæ verò sunt, ex quibus contradictio necessariò sequitur: quæ adhuc subdistinguuntur. Nam aliæ sunt, quæ statim ex primo suo intellectu contradictoria includunt, cuiusmodi est hec: Risibile non habet potentiam ad ridendum. Ex qua ex ratione intrinseca terminorum sequitur per consequentiam essentialem contradictorium eius: quia risibile ex sua ratione intrinseca, est quod habet potentiam ad ridendum, cuius contradictorium supponitur. Aliæ sunt ex quibus quidē sequitur contradictio, sed per locum extrinsecum, & consequentiam accidentalem. Talis est hec suppositio: Homo non est risibilis, ex qua per locum extrinsecum sequitur hominem esse risibilem (quod suppositioni contradicit) a positione subiecti ad positionem propriæ passionis. Positiones primi generis non sunt admittendę &c.

Positiones secundi generis, quæ ex suo intellectu solum includunt unum contradictorium, aliud verò per consequentiam accidentalem, & locum extrinsecum ex ipsis deducitur, admitti quidem possunt; ipsis nanque admissis, optimè disputantium leges seruantur; quia potest cõcedi id quod ex tali positione per consequentiam essentialem sequitur, negari verò quod ei intrinsecè repugnet. Si autem aliquid repugnans per locum extrinsecum, & consequentiam accidentalem inferatur, negandum est illud sequi. Exempli causa. Admisso casu, quòd homo non sit risibilis, secundum leges disputantium respondens tenetur concedere, quicquid ex illa positione per locum intrinsecum sequitur, ut quòd homo non habet potentiam ad risum. Cæterùm si concludans, hominem esse risibilem in hunc modum: Homo est, ergo risibile est à positione scilicet subiecti, ad positionem propriæ passionis, neganda est illa consequentia: quia per locum intrinsecum non sequitur &c. Sed per extrinsecum. Positio verò nostra spectat ad hoc secundum genus positionum, in quibus contradictio non concluditur per locum intrinsecum.

Accipiamus ergo ex hac doctrina, quòd si proponatur argumentum à subiecto ad passionem suam in hypothesi nostra, talis consequentia est neganda, quoniam est per locum extrinsecum, & accidentalem.

Nunc autem argumentum hoc primum aduersariorum procedit ab entitate ad vnitatem, & distinctionem: hoc est, ab ente, quod est subiectum, ad unitatem, & distinctionem, quæ est passio entis. Sic ab esse personali ad distinctionem personalem. Ergo iuxta hanc regulam, in hypothesi nostra debet negari maior principalis, & totum argumentum in ea fundatum.

92. Respondetur secundò ad argumentum principale. Aliud est constituere in esse Filii, vel personæ, aliud est in esse rei distinctæ realiter à re. Nam tres personæ sunt tres res, ex Augustino de Doctrina Christiana lib. 1. cap. 5. Dato quòd filiatio, etiam stante hypothesi, constituat Filiũ in esse Filii, vel in esse personę, id est, in esse incommunicabili: filiatio tamen non constituit in esse rei realiter distinctæ, nisi propter originem oppositam sibi adiunctam. Quæ, quia respectu Patris, manet in hypothesi, Pater, & Filius essent duæ res: nõ manet respectu Sp. sãcti in Filio, ideò Filius, & Sp. sanctus essent una res. Sublata enim ratione cõstitutiva in esse rei, sublata est etiã ratio distictiva ĩ tali esse.

Inchoatè distinguitur, filiatione, consũmatè spiratione à reliquis

93. Respondetur tertiò. Quo aliquid constituitur, eodem distinguitur, non tamen quacunque distinctione: distinctione negativa distinguitur à quocunque non habente idem constitutiuum. Distinctione positiva, ut essentiali, vel personali, reali, vel formali, non distinguitur, nisi respectu determinati termini distinctionis, & cum adiuncta determinata causa, vel ratione distinguendi uno, vel altero modo. Sit pro regula hæc propositio. *Ad quodcunq; comparetur aliquid, semper ipsum est ipsum*, Sed tamen pro diversitate rerum, ad quas cõparatur, varias relationes, atque adeò distinctiones varias etiam assumit. Vt albedo cõparata ad Deum, ad angelũ, ad parietem subiectum, ad albedinem aliam, ad nigredinẽ, est eadem albedo comparata. Sed ad Deum dicitur causata essentialiter: ad angelum incompossibilis: ad parietem inhærens: ad aliam albedinem, similis: ad nigredinẽ contraria. Ita in divinis Pater est vera res, essentia est vera res, sic spirator, sic Filius, sic Sp. sanctus. Sed tamẽ Pater cõparatus ad essentiam, non est Pater essentiæ, non est distinctus

Constitutiuũ distinguit à quocunque, non tamen quacũq. distinctiones.

Distinctio negativa, positiva

ctus

ctus ab ea realiter, nec essentialiter, sed ex natura rei tantùm. Comparatus ad spiratorem est vera res ad veram rem; at ad spiratorem, vel spiratum, non est Pater, sed distinguitur formaliter tantùm à spiratore, realiter à spirato. Comparatus ad Filium, dicitur Pater, & est distinctus realiter ut res à re, & distinctus personaliter ut persona à persona. Comparatus ad Michaelẽ distinguitur essentialiter ratione essentiæ, personaliter ratione paternitatis, & Michaeleitatis, quæ est proprietas personalis Michaelis. Comparatus ad albedinem, vel materiam primam, non distinguitur personaliter, nisi negativè sicut persona à non persona. Quare ad hoc, ut Pater, qui est vera res comparatus ad veram rem, sit distinctus realiter, requirit determinatam rationẽ distinguendi inter istas duas res; ut inter Patrem, & Filium est origo opposita, vel oppositio originalis, quæ cùm non sit inter Patrem, & essentiam, aut spiratorem, etsi hæc tria sint veræ res, non tamen distinguuntur realiter. Vnde apparet, quod una, & eadem res per idem formale constituum ad unum comparata; non distinguitur realiter, ad alterum comparata distinguitur realiter, ut sint duæ res. *Nota.* Quæ autem sit ista ratio distinguens realiter rem à re, ex prima ratione nostra in divinis est manifestatum, quòd est oppositio originantis, & originati. Vnde ad hanc habendam non sufficit proprietas constituens in esse personæ, ut patet inter Patrem, & spiratorẽ, sed requiritur determinata ratio originalis oppositionis, quæ ratio, per hypothesim, inter Filium, & Spiritum sanctum aufertur. Vnde Filius, & Spiritus sanctus non erunt duæ personæ realiter distinctæ: nec enim filiatio sola distinguit realiter, puta ab essentia, vel à spiratore secundum veritatem, sed requiritur alia ratio specialis adiuncta respectu Spiritus sancti. Tunc ad propositiones.

Concessa maiore prima argumenti cum glossa, distinguitur dictinctione *in communi*, non in speciali, nisi adiungatur & *terminus specialis* ipsius *distinctionis*, *& ratio specialis distinguens*. *Distinctio in communi, in speciali.* Ad minorem cõcluditur ex parte Filii distinctio in generali à quocunque alio ente, quod non sit Filius,

vel

vel idem cum persona Filii; sed non concluditur per filiationem distinctio specialis, & in hoc sensu negatur minor loquendo de distinctione reali rei à re, ac etiam de personali personæ à persona, stante hypothesi, nam extra hypothesim adest vera causa distinguens in Filio, vel cum filiatione, quæ causa est spiratio activa.

Cùm infert: ergo circumscripto quocunque alio, præsertim posteriori ad filiationẽ, Filius distinguitur filiatione à quacunque persona. Distinguo, si circumscribitur terminus distinctionis, vel ratio distinguens tali distinctione rei à re, nego: si non circumscribitur, concedo consequentiã, Nunc autem dum spiratio activa removetur, removetur ratio distinguens; & per consequens distinctio. Removetur etiam terminus distinctionis, scilicet persona alia, quia spiratus ut sic non esset persona, sicut neq; spirator, licet per identitatem sit in persona, vel persona.

Rursus distinguo, si circũscribatur illud, cuius circumscriptio non includit contradictionem, nec variat rationem formalem eorum, quæ sunt præsuppposita, concedo: si variat rationẽ formalem, nego.

Ad propositum autem ex hypothesi variari rationem formalem filiationis, & Filii, principij spirativi, primitatis ad spirandum, potentiæ proximæ in eodem principio spirationis activæ, & passivæ, superius, prout melius potui, comprobavi capite quarto.

94. Secundum argumentum. Quodlibet habens aliquod esse, distinguitur distinctione conueniente illi esse à quocunque alio per aliquid, quod est de ratione eius, in quantum habet tale esse. Filius igitur personaliter distinguitur per aliquid, quod est de ratione eius, in quantum est persona. Spiratio actiua non est de ratione eius in quãtum persona; sed Filio iam posito, est quasi proprietas aduentitia. Ergo Filius non distinguitur personaliter per spirationem actiuam, sed præcisè per filiationem, nam in Filio non sunt nisi duę proprietates positiuæ, spiratio actio, & generatio passio. Probatur maior principalis per exemplum, quia si homo distinguitur à lapide, vel primò per animal, vel per rationale, utroque modo distinguitur per aliquid, quod

quod eſt de ratione hominis.

Reſpondetur, negando maiorem, exemplum nanque ſive inductio eſt inſufficiens. Etenim homo habet eſſe riſibile, & diſtinguitur à Leone habente eſſe rugibile, & à lapide non habente eſſe riſibile; neq; tamen riſibilitas, ſecundum quam eſt diſtinctio, eſt de per ſe ratione hominis.

Item, homo albus diſtinguitur à nigro, doctus ab indocto: cùm nec albedo, nec doctrina ſint de ratione hominis. Sed neque albedo eſt de ratione huius totius per accidens, *Homo albus*: quia de to-
Sco. 3. d. 7. q. 1. & d. 22 q. 1 & 1. d. 2. q. 2. to per accidens nihil per ſe poteſt prædicari. Et ſecundum Scotum logicè loquendo, perſona divina eſt unum per accidens, in primo diſt. 26. quæſt. 1. Inſuper paries viſus diſtinguitur ab omni non viſo: non per viſionem exiſtentem in pariete, neque per relationem viſionis ad parietem, aut è contra: nam ex quinto Metaphyſicæ capite de Ad aliquid,
5. Met. ſenſibile non refertur ad ſenſum, ſed aliud refertur ad ipſum. Ergo paries diſtinguitur in eſſe viſi à quocunque alio non viſo, per aliquid, quod non eſt de ratione parietis, neq; de ratione viſi. Et eadem ratione Creator, & Salvator ſunt rationes, quibus diſtinguitur Deus ab omni alio; ſed nihil ponunt de ratione Dei ut ſic, ſed in creatura eſt tùm eſſe creati, tùm relatio ad creatorem: Deus autem ſub ratione merè abſoluta, terminat relationem hanc, ex primo diſtinctione trigeſima.

Tunc ad minorem dicam, quòd ſi Filius diſtinguitur à Spiritu ſancto, diſtinguitur per aliquid, quod non eſt de ratione eius, in quantum Filius: ſed reduplicando ſicut dicere poſſumus, quòd aliquid in pariete ſit de ratione viſi, non in quantum paries, ſed in quantum viſus. Ita quoque dicemus, quòd in Filio eſt aliquid, per quod diſtinguitur realiter perſonaliter in eſſe perſonę à Spiritu ſancto, non in quantum Filius, ſed in quā-tum diſtinctus re à Spiritu ſancto, & hoc eſt ſpiratio activa, ſecundum quam diſtinguitur, & ſecundum quam conſtituitur in eſſe diſtinctive.

95. Tertium argumentū.

Per formale conſtitutiuum diſtinguitur conſtitutum ab omni alio: etiam ſi per impoſſibile quodcunque aliud ab illo circumſcribatur; quia per illud diſtinguitur primo, id

eſt,

est, adæquatè ab omni non tali. Sed quodcunque non habens illam formam constitutivam est non tale; Igitur per illam distinguitur ab omni alio non habente illam.

1. Respondetur. Oporteret adiungere propositionem applicando ad quæsitum propositum, & est ista. Sed stante hypothesi, Spiritus sanctus non haberet filiationem, qua constituitur Filius in esse personali; ergo stante hypothesi distingueretur personaliter a Filio. Sed si minor adiungatur, dicemus eam esse falsam, quia Spiritus in hypothesi haberet filiationem, non formaliter quidem, sed identicè idẽtitate reali; nam si aduersarius supponit hanc minorem, nos supponimus contradictoriam.

Respondetur secundò. Duplex est distinctio: negativa, ut qua Filius distinguitur à non Filio: positiva, ut qua Filius distinguitur à Patre. De prima loquendo, cõcedo minorem, & consequenter conclusionem, quòd Filius distingueretur a spirato, scilicet formaliter, non realiter; nã & maior est de constitutiuo formali, nõ de constitutivo in esse reali, & realiter distincto. Sicut ergo in hypothesi genitor distinguitur à spiratore, qui ut sic non est genitor formaliter: sic genitus distingueretur à spirato, qui ut sic nõ est Filius, nec genitus. Cùm autem in argumento concluditur, quòd distingueretur Filius personaliter à Spiritu sancto, est conclusio non concedenda, quia hic sermo est de distinctione positiva personæ à persona, & maior de distinctione negativa erat concessa, atque probata: de tali scilicet, quod distinguitur ab omni nõ tali; atq; in hoc sẽsu concedo, quòd Filius distingueretur à Spiritu, sicut persona à non persona, quemadmodum concedo, quòd distinguatur sicut Filius à non Filio. Si autem ex probata distinctione negativa, inferas affirmativam, nego consequentiam.

Deinde, loquendo de distinctione positiva, quòd constitutum distinguatur ab omni alio per suum constitutiuum, concedo de distinctione in *generali*, nego de *speciali*, nisi adsint conditiones, de quibus dictum est ad primum argumentum: & nisi fiat reduplicatio, in quantum sic distinguitur, id est, realiter ad rem nostrã.

96. Insuper nego, quòd per constitutiuum aliquid di-

stinguatur primò, id est, adæquatè à quocunque alio non habente illud formale constitutiuum. Quoniam *negatio potest ostendi de aliquo demonstratione propter quid per tot media, quot sunt rationes repugnantiæ in illo ad affirmationem oppositam*; ut homo est non relatio, sed hæc negatio, *Non relatio*, potest ostendi propter quid de homine per rationem absoluti, substantiæ, corporis, animati, sensitivi, rationalis. Si autem rationale, quod est formale cõstitutiuum hominis, esset ratio adæquata repugnantiæ ad illã negationem, quæ est *non relatio*; tunc ablata ex rerum natura ipsa rationalitate, nulla remaneret ratio repugnantiæ ad illam negationem, quod est absurdum. Quare ex formali cõstitutivo concluditur distinctio negativa respectu cuiuscunq; non habentis formaliter tale esse, sed non adæquatè: concluditur distinctio positiva, sed in ratione generali distinctionis, non in speciali, prout quærimus in proposito. Nam Filius habet in se duas entitates positivas, generationem passivam, per quam distinguitur realiter a Patre: spirationem activam, per quam distinguitur realiter à Spiritu sancto. Sed

Scot. quol. 7. Nn.

sublata spiratione activa, non distinguitur realiter personaliter à Spiritu, neque Spiritus esset persona, aut res distincta à Filio distinctione reali; quanquam non rectè in argumento præsupponatur, quòd esset persona, & persona alia, & quòd non haberet filiationem per identitatem realem, quæ tria sunt probanda, non præsupponenda.

Hoc autem de specialitate distinctionis potest bifariam confirmari. Primò quidem, quoniam quod de se est tale, ad quodcunque comparetur semper est tale. Si ergo formale constitutiuum in esse personæ, ut paternitas, esset distinctiuum personę de se in esse rei à re, ergo paternitas distingueret realiter Patrem à Deo, Patrem à spiratore, quod est falsum: ergo non ex ratione formali constitutivi sufficit paternitas, sed requiritur determinata ratio ad rem determinatã realiter distinguens. Cùm autem in paternitate sint multi conceptus, vel rationes distinctæ quomodocunque, paternitas ut est relatio disparata, ab absoluto non distinguit realiter, nempe a Deo: ut est relatio disparata ad spiratorem, non distinguit realiter, sed secundũ

rationem specialem, quam habet ad Filium distinguit realiter. Sed hæc ratio specialis non est nisi origo opposita, quã exercet ad Filium, & hanc rationem non habet respectu Spiritus sancti. Igitur distinguit realiter Patrem a Filio, ut rem à re, non Patrem à Spiritu sancto, ut rem à re. Quamuis ergo Pater, & paternitas de facto sint distincti realiter à Spiritu, tamen neque Pater, neq; paternitas est distinguens, sed requiritur aliquid aliud distinguens realiter à Spiritu sancto, quod est spiratio activa, quæ sine dubio distinguit spiratorem, id est, Patrem à spirato propter oppositam originẽ.

Secundo verò confirmari potest, quia relatio in divinis est compossibilis cum relatione, cui nõn opponitur: ut quia spiratio activa non opponitur paternitati, vel filiationi, est cõpossibilis cum ambabus, & identificata realiter Patri, atq; Filio. Similiter, si in Patre, & Filio non esset spiratio activa: tunc spiratio passiva non esset opposita paternitati, neque filiationi, & per consequens esset communis Patri, & Filio. Non est autem communis, quia duæ relationes originis oppositæ, non possunt simul esse in una hypostasi. Sed spiratio activa est in Patre, & in Filio, ergo spiratio passiva nõ est communicabilis Patri, & Filio, sed remanet per se primò incommunicabilis, & constituit personam per se non primò incommunicabilem. Ex his apparet, quòd constitutiuum formale distinguit formaliter ab omnibus: non distinguit realiter, nisi habeat determinatã rationem realiter distinctiuã.

97. Quartum argumentũ. Si Pater per impossibile non spiraret, sed Filius: adhuc tamen Pater distingueretur paternitate à Filio, & Spiritu sancto: sicut paternitate constituitur in esse personali. Vt similiter dicamus de Filio, qui si etiam nõ spiraret, adhuc filiatione distingueretur à Patre, & Spiritu sancto.

Respondetur. Si Spiritus procederet à solo Filio, non à Patre, tunc spiratio passiva esset in Patre: & Pater in esse simpliciter per generationem activam constitueretur: in esse secundum quid, seu aduentitio constitueretur per spirationẽ passivam, atque ita Pater, & Spiritus essent una persona realiter. Sicut ex opposito Filius produceretur in esse simpliciter a Patre, & produceret Pa-

trem

trem in esse secundum quid, scilicet in esse spirati. Exemplum in hominibus. Iacob genuit Iosephum in esse simpliciter, hoc est in esse hominis: sed Ioseph produxit Iacobum in esse prosperitatis, & fælicitatis temporariæ. Video hinc sequi absurda multa, sed uno inconvenienti dato, multa sequuntur, neque hoc difficile est, inquit Aristoteles in primo Physicorum. Quare in ipso Patre, stante hac hypothesi, erit ratio ingeniti, tanquam proprietas personalis inchoativa, ex primo dist. 28. num. 3: & 27. num. 11: sed non erit ratio simpliciter improducti. Fore autem Patrem, & Spiritũ unam personam, si Spiritus nõ esset de Patre, est assertio S. Anselmi de processione Spiritus sancti cap. 5. ut infra videbimus.

Arist.

S. Bon. 1. d. 28.

S. Ans.

Respondetur secundò. Posse concedi oppositum, scilicet quòd Pater distingueretur à Spiritu. Etenim Diva Virgo non solùm erat filia Ioachimi proximi parentis, sed etiã Davidis, & Abrahæ remotiorum parentum: cuius Virginis ratione Christus Dominus dictus est filius Abrahæ, filius David. Et quamvis Diva Virgo non haberet relationem filiationis realem ad remotos parentes, cùm non existerent: tamen in resurrectione eorum habebit relationem realem ad patrem, ad auum, & ita usque ad ultimum parentem, à quibus mediatè genita fuit. Ita quoque si Spiritus sanctus esset à solo Filio, haberet duas relationes oppositas originaliter, unam immediatam ad Filium, alteram mediatam ad Patrem, atque ideò per relationẽ oppositam, distingueretur realiter à Patre. Sic videmus, quando Deus, & homo generant hominem, in homine genito duas relationes, unam ad causam proximam, scilicet ad hominem, alteram ad causam remotam, nempe ad Deum. Ita superstite avo, in uno genito est relatio filii ad patrem immediatam, & nepotis ad auũ, ut genitorem mediatum.

In resurrectione genitus habebit relationes reales ad omnes progenitores.

98. Quintum argumentũ. Generatio distinguitur à spiratione, & hoc per impossibile circumscripto omni alio à ratione generationis, & spirationis: aut saltem circumscripto hoc, quòd spiratio activa esset à Filio: dum tamen staret distinctio principiorum generandi, & spirandi; ergo & quolibet tali circumscripto, staret distinctio Filii, & Spiritus sancti.

Probatio consequentiæ. Quia impossibile est, unam personã duabus productionibus totalibus accipere esse: nulla enim productione aliquid accipit esse, qua per impossibile circumscripta, non minus acciperet esse. Sed si productione hac, & illa acciperet aliquid esse, & utraquè completè, quia utraque esset perfecta; igitur utraque circumscripta, haberet esse per alteram completè: & ita neutra, & utraque acciperet esse.

Respondetur primò, divinas productiones passivas non esse totales, sed partiales, qui generatio passiva, & essentia sunt duæ rationes quasi partiales, ex quibus resultat totalis terminus generationis, qui est Filius, & persona. Sic spiratio passiva, & essentia sunt rationes partiales, ex quibus constituitur Spiritus sanctus.

Secundò. Productiones nõ sunt perfectæ, formaliter loquendo, quia non sunt entia quanta, sed sunt perfectæ identicè: de qua re non est nunc excutiendum.

Tertiò. Principia originalia manent, sed variatur ratio formalis secundi principii, hoc est, spirativi, quod ponitur incommunicabile Filio. Primitas, & potentia proxima talis principii ad spirandum variatur, & consequenter variatur ratio formalis spirationis activæ, quæ fit incommunicabilis, & fit incompossibilis Filio: variatur & ratio formalis spirationis passivæ, quæ fit compossibilis Filio, ut probatum est.

2. Respondetur. Quando in aliquo sunt plures rationes essendi, non est inconveniens, ut illud per unam productionẽ producatur ad unum esse simpliciter, per aliam productionem ad aliud esse vel simpliciter, vel secundum quid, sed præsertim in esse secundum quid. Vt Scotus 2. dist. 1. quęst. 1. S. ait. *Iste secundus ordo originis non est originatio simpliciter, qua scilicet personæ divinæ producuntur in esse naturæ divinæ simpliciter; sed est quasi originatio secundum quid, sive consequens personas iam productas.* Loquitur Scotus de productione, qua Filius accipit à Patre non essentiam, vel intellectionem essentię divinæ, sed intellectionem lapidis: nam Pater intelligit lapidem à se, Filius à Patre: Vnde Filius bis originatur, semel simpliciter, semel secundũ quid in recipienda notitia lapidis. Eodem modo dico in hypothesi, quòd Filius produceretur primò per generationẽ pas-

Scot.

passivā simpliciter in esse hypostasis genitæ, 2. produceretur in esse spirati, quæ est productio secundum quid, sive consequens personam iam productam, non tamen constitueretur in esse personæ. Sicut etiā Pater primò constituitur generatione activa in esse simpliciter, secundò spiratione activa in esse secundum quid. Et si hoc non est inconveniens in Patre, nec est inconveniens in Filio. Ad formam. Idem secundum eundem modum produci duabus productionibus adæquatis, & ad idem esse, sit absurdum; idem produci secundum alium, & alium modum producendi ad aliud, & aliud esse subordinatum, sequeretur ex hypothesi, & stante hypothesi non est absurdum.

99. Respondetur tertiò & quasi in idem recidit. Ad argumentum, concesso antecedēte, quòd maneant principia originalia, actu, vel virtute distincta, & consequenter quòd in divinis sint duæ productiones activæ, & duæ productiones passivæ: stante hypothesi, quòd spiratio activa non sit in Filio, nego consequentiam.

Ad probationem, cùm ait: Impossibile est unam personā duabus productionibus totalibus accipere esse, concedo si ambæ productiones sint eiusdem rationis: concedo etiam si sint diversæ rationis, dummodò ambę sint productiones in esse simpliciter, & non subordinatæ. Si autem una productio constituat in esse primo, altera in esse secundo: una sit constitutiva, altera aduentitia: una det esse simpliciter, altera secūdum quid, aut ambæ sint secundum quid, nego. Nam idem suppositum Christi accipit esse per duas generationes, ęternā, & temporalem. Sic idem homo accipit esse naturale, & supernaturale duplici productione, quarum utraque est totalis respectu sui termini formalis, atque etiam respectu sui termini totalis, puta hominis, & hominis grati Deo. Quæ totalitas non potest esse in divinis productionibus. Limito etiam illam propositionem, si idem esse primò accipiatur, & accipio primitatem adæquatā, & specificam termini formalis. Sed in divinis per primam productionem, Verbum tanquam terminum formalem, accipit notitiam, Spiritus per secundam productionem, tanquam terminum formalem propriū, & specificum, accipit amorem. Quare formaliter loquendo, aliud,

Vide sup. n. 58.

Vt sup. n. 98. & 84.

aliud, & aliud esse habetur per has productiones, non autem idem esse, nisi concomitanter, vel identicè. Argumentum probat, quòd si idem esse accipiatur duplici productione sufficienti, altera esset superuacanea, quod concedo, si primò secundum adæquationem accipiatur idem esse formaliter. Si autem accipiatur idem esse cōmune concomitanter, nego alteram fore superfluam.

Demus opinionem probabilem apud Philosophos de pluralitate formarum, ut generetur homo prius in esse plantæ per animam vegetalem, posterius tempore in esse animalis per animam sensualem, & rursus posterius tempore in esse hominis per animam rationalem. Hæ sunt tres generationes, quarum unaquæque est sufficiens ad dandum esse sibi correspondens, & tamen in eodem supposito, tres productiones sunt compossibiles. Quæ tres productiones si eodē momento temporis fierent, nihilominus idem suppositum acciperet triplex esse tribus productionibus sufficientibus, & simpliciter: quia sunt æquè substantiales, sed subordinatæ. Ita, stante hypothesi, Filius acciperet ordinatè & esse notitiæ, & esse amoris. Et sicut ibi accipitur idem esse cōmune substantiale tribus productionibus subordinatis: ita stante hypothesi, in Filio acciperetur idem esse Dei communis per duas productiones subordinatas.

Apud Carthus. 1. d. 11. q. 2 Henric. quol. 5. idem argumētum habetur, ut quia unus per naturam & artem in se existentes, producit hominem, & imaginem hominis productos: ergo in producente satis sunt diversæ rationes, sed res productæ sunt diversæ.

Doctor Subtilis studiosus Doctoris Seraphici.

Respondetur. Et in producente sunt duæ res, natura, & ars. Et in producto possunt esse non duæ res, si homo est etiam imago, ut Genes. 5. Item, si Pater genuit, & docuit: duplici productione produxit in eadem hypostasi, Filium, & discipulum.

D. Bon. Prima solutio.

100. Sed ad hoc argumentum magis urget Divi Bonaventuræ authoritas, qui in primo dist. 7. dubio 4. dicit. *Cùm ergo Spiritus sanctus non posset generari, & spirari simul, quia quamuis una persona possit duobus modis producere, tamen una persona non potest nisi uno modo produci.* Et infra.

S. Bonaventura contradictio apparens

Nec est illud simile, Pater potest

Processio secundum unum modum, vel multos.

test generare, & spirare sine sui mutatione: ergo Spiritus sanctus generari, & spirari; quia nō est inconveniens unum principiū pluribus modis producere; sed unum principiatum pluribus modis produci, est impossibile & incompossibile. Idipsum docet S. Bonadentura in 1. dist. 14. nu. 16. ut Subtilis Doctor, qui fuit haud mediocriter Divi Bonaventuræ studiosus, ex hac doctrina Seraphica fortasse sumpserit documentum, quòd idē non potest duabus productionibus sufficientibus produci.

Doctor Subtilis studiosus Doctoris Seraphici.

Respondetur, accepto fundamento ex Divo Bonaventura in eodem primo dist. 14 nu. 16. vbi sic ait. *Multiplicata processione, multiplicari procedens, si accipiatur dictum de multiplicatione secundum unum modum dicendi. Vnde si esset gemina processio, secundum quod processio dicitur exitus ab aliquo, utique duo essent procedentes. Nunc autem non sic, sed gemina, quia uno modo est ab aliquo in aliquem, ut in obiectum, alio modo ab aliquo in aliquem, ut in habitaculū.* Ex hac doctrina, quantum ad rem attinet, accipio, quòd si processio, vel productio utraq; sit secundum unum modum, hoc est, termini incommunicabilis, & incompossibilis; utiq; essent duo procedentes. Si autem sit secundum diversos modos, scilicet una termini incommunicabilis, & incompossibilis altera termini communicabilis & compossibilis, vel etiam termini incommunicabilis, sed compossibilis, tunc nego esse duos procedentes. Stante verò hypothesi, non essent productiones secundum unum modum, ut dictum est. Quare non essent duo procedentes, sed unus realiter secundum alium, & alium modum.

D. Bon.

Prima solutio.

Processio secundum unū modū, vel multos.

Præter quam quòd S. Bonaventura loquitur de productionibus divinis, uti *de facto* sunt: de facto autem cum generatione passiva coniungitur spiratio activa, quæ est distinguens in esse rei à re. Nunc loquimur *ex hypothesi*, secundum quam S. Bonaventura loquutus est in primo dist. 11. ubi disputat aduersus Theodoritanos, contendentes Spiritum non esse à Filio.

Secūda solutio.

101. Sextum argumentum. Sanctus Anselmus in libro de processione Spiritus sancti capite primo, in fine dicit. *Sicut Filius est, (ut interim aliam causam dicam quoniam non constat, quòd Spiritus sanctus sic de illo procedat) ideò non est Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus est*

S. Ans.

est Filius: quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus sanctus verò non nascendo, sed procedendo. Ergo stante hypothesi, Filius, & Spiritus distinguũtur per productiones passivas generationis, & spirationis.

Scot. Respõdet Scotus 1. dist. 11. q. 2. *Authoritas adducitur Anselmi libro suo de processione Spiritus sancti; sed quia ipsum adducit uterque pro se, & fit altercatio magna de intentione eius, quæ fuerit, ideò hic nolo multum circa intentionem eius immorari.* Reuera S. Anselmus obscurè loquitur, & hoc dictum citatum est ex concessione Græcorum, & fiduciaria reprobatione datum. Nam postea S. Anselmus contendit, quòd si Filius, & Spiritus sanctus sunt distincti, necesse est vel Spiritũ esse de Filio, vel Filium esse de ipso Spiritu, ut propter hoc secundum veritatem, Anselmus teneat distingui per opoositionem originis, quamuis pro Græcis in principio aliter dixerit. Vnde & limitat se (*ut interim aliam causam dicam*) nam absolute eam dicere non vult.

CAP. X.

Sancti Anselmi mens exquiritur, & caput quintum ipsius de processione Spiritus sancti perpenditur.

S. Ans. in concil. Barensi. 102. Quia verò Sanctus Anselmus fuit præclarus concertator pro fide catholica in concilio Barensi contra Theodoritanos, & Photianos: visum est opportunum ex capite quinto libri de processione Spiritus sancti, mentem ipsius Sancti accuratè explorare, & ex ipsius textu oportuna recipere. Sic autem habet.

Textus primus. *Forsitan negabunt Græci, Spiritum sanctum esse Deum de Deo, sicut est Filius Deus de Deo: quoniam probamus per hoc, illum esse, & procedere de Filio. Neque est positum in illo symbolo, in quo reprehendimur ab illis, addidisse processionem eius de Filio. Sed qui hoc putat, negat aut Patrem esse Deum, de quo est Spiritus sanctus, aut Spiritum sanctum esse Deum, qui est de Patre: aut hoc ipsum quod est Spiritus sanctus, esse de Patre. Ac Patrem non esse Deum, aut Spiritum sanctum, nullus suscipit Christianus.*

Observatio. Sanctus Anselmus in argumento suo aduersus Græcos Theodoriti sequaces (non enim aduersus omnes

Græ-

Græcos) probat ſpiritum eſſe de Filio, quia Spiritus eſt Deus de Deo: & cùm Deus Pater, & Deus Filius ſint vnus, & idem Deus, ſequitur, quòd Spiritus ſit de Filio, vel ſaltem è contra, vt latè patet in capite quarto. Quia verò videbat aduerſarios pertinaces, præuidit, ne fortè negent antecedens illud, Spiritus eſt Deus de Deo. Ratio, quare dubitat Anſelmus, eſt, quia in ſymbolo Conſtantinopolitano non eſt dictum, Spiritus procedit ex Filio, neque etiam eſt dictum, quòd Spiritus ſit Deus ex Deo; Vnde ſi nos reprehendunt in primo dicto ſub hoc prætextu, quia non eſt in ſymbolo: reprehendent etiam in ſecundo dicto, nempe Deum de Deo, quia non eſt in ſymbolo. Idcirco S. Anſelmus præuenit negationem, & probat Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo.

Probat autem faciens tria membra, quia ſi negatur, quòd Spiritus ſit Deus de Deo, vnum de tribus eſt dandum, primum, quòd Pater non ſit Deus, de quo eſt Spiritus ſanctus: ſi enim Pater eſt Deus, & de Patre eſt Spiritus ſanctus, ergo Spiritus eſt de Deo, qui eſt Pater. Secundũ, ſcilicet Spiritum ſanctum non eſſe Deum, qui eſt de Patre; etenim ſi Spiritus ſanctus eſt de Patre, & Spiritus ſanctus eſt Deus, ergo Deus eſt de Patre, atque ita per duas iſtas rationes Spiritus ſanctus eſt Deus de Deo. Tertium autem eſt, quòd hoc ipſum, quod eſt Spiritus ſanctus, non eſt de Patre. Quia verò nullus Chriſtianus negat Patrem eſſe Deum, aut Spiritum ſanctum eſſe Deũ ideò Sanctus Anſelmus in hoc tertio membro reprobando inſiſtit, ſubdens.

Text. 2. *Videamus igitur utrum hoc ipſum, quod eſt eſſentialiter Spiritus ſanctus, ſit de Patre, quod quendam Epiſcopum, Græcis forſitan fauentem, in Barenſi ciuitate ſenſi nolle ſentire. Nam ſi non eſt ipſum de Patre quod eſt: cùm ſit unus, idemque Pater, inueniri nequit, unde ſit alius à Patre. Non enim alius eſt quia Pater habet Filium, & Spiritus ſanctus non habet Filium. Per hoc enim probari poteſt, quia alii ſunt ab inuicem: non tamen hæc eſt cauſa, ut diverſæ ſint perſonæ.* *Bari cõciliũ.*

Obſeruatio. S. Anſelmus tacet nomen errantis Epiſcopi, ſed errorem non tacet. Atque oſtendit, quod Spiritus ſanctus hoc ipſum, quod eſt eſſentialiter, eſt de Patre. Argumentum Anſelmi eſt tale. *Tacetur errans, nõ error.*

Pater, & Spiritus Sanctus sunt vnus, idemque Deus. Si per aduersarium, Spiritus hoc ipsũ quod est, non est de Patre productus; ergo Spiritus non est alius personaliter à Patre. Ex quo argumento cognoscitur, quòd si Spiritus sanctus nõ procedit à Patre, non est persona diversa ab ipso Patre.

Si Spiritus non procedit à Patre, non est distincta persona à Patre.

Respondebit aliquis, Spiritum sanctum esse diversum per hoc, quia Pater habet Filium, & Spiritus non habet Filium: quæ distinctio est per habere paternitatem, & non habere.

Praeoccupatio.

Contra insurgit S. Anselmus, hanc distinctionem per contradictoria, habere Filium, non habere Filium, probare, quòd Pater, & Filius sunt alii ab invicem, non tamen, quòd hæc sit causa, ut personæ sint diversę. Vnde aliud est indicare distinctionem inter aliqua qualemcunque, aliud est causare distinctionem personalem realem, de qua quærimus. Quare ex intentione Sancti Anselmi, hæc distinctio per contradictoria est à posteriori, & extrinseca, cõsequutiua personarum distinctarum, sed non causatiua distinctionis personarum. Probat hoc S. Anselmus,

Distinctio per contradictoria ostẽdit distinctionem, nõ facit.

103. Tex. 3. *Quippe si duo sint homines, quorum alter habeat Filium, alter non: quamuis per hoc ostendi possint esse diversi, non tamen ob hoc alii sunt ab inuicem: quia quoquomodo se habent in habendo, vel non habendo* Filium, *diversitatem tamen non admittunt. Ita in Patre, & Spiritu sancto, non quia alius Filiũ habet, alius non habet, idcirco sunt diversi: sed quoniam diversi sunt, idcirco nihil prohibet eos in habendo, & non habendo Filium esse dissimiles.*

Observatio. Sint duo homines, de quibus verificentur duo contradictoria, de vno, *habere Filium*, de altero, *non habere Filium*. Hæc diversitas contradictionis est ostensiva, quòd homines sunt diversi, sed non est causa activa diversitatis personalis inter eos; cõtradictio stat cum ipso *quòd* sint diversæ personæ, non demonstrat *propter quid* sint diversæ personæ. Ratio est, quia remota causa, remouetur effectus: si ergo ponamus, quòd ambo illi homines habeant Filium, vel etiam quod ambo non habeant, removebitur distinctio per contradictoria, nec nomen propter hoc removebitur diversitas personarum. Igitur illa contradictio non erat causa

con-

constitutiva diversarum personarum. Ita quoque in divinis, inquit S. Anselmus, quia Pater, & Spiritus sunt diversi, possunt recipere verificationẽ contradictoriorum, vt Pater habeat Filium, Spiritus non habeat. Sed habere Filium, & non habere, nõ est causa, quòd Pater, & Spiritus sint diversi. Causa verò est, quia Pater est Deus, de quo est Spiritus, & Spiritus est Deus, qui est de Patre, hoc est, causa distinctiva personarum est, quia una est *originans*, alia *originata*. Quæ relatio originis est opposita; Nam neque per affirmationem & negationem, quæ est habere Filium, & non habere, neque per relationes disparatas, in quibus fundatur talis contradictio, personæ sunt aliæ, sed per origines oppositas.

104. Tex. 4. *Similiter respondere potest. Si ideò alius dicitur, quia non ab illo procedit Spiritus sanctus, sicut ipse procedit à Patre. Quippe (ut secundum illos loquar, qui negant Spiritum sanctum de Filio procedere, sicut non est hæc causa: quia Spiritum sanctum Filius de se procedentem non habet, sicut Pater, ut alius sit à Patre) sequeretur enim, ut si Spiritus sanctus procederet à Filio, Filius non esset alius à Patre; ita per hoc nõ est Spiritus sãctus à Patre alius, quia non habet Filium, aut Spiritum de se procedentem, sicut Pater.*

Observatio. Prima ratio distinguens Patrem à Spiritu per contradictoria, erat per habere Filium, & non habere, quæ quidem iam reiecta est. Nunc affert S. Anselmus aliã rationem distinguendi, quia posset dici, quòd Spiritus sanctus distinguitur à Patre, per alia duo contradictoria, ista *de Patre Spiritus procedit, de Spiritu non procedit Spiritus*, Igitur per procedere Spiritũ ex ipso, & non procedere distinguitur personaliter Pater, & Spiritus sanctus.

Ad hanc rationem distinguendi reprobandam, Doctor Sanctus recurrit ad opinionẽ Theodoriti, quòd Spiritus non procedit de Filio; secundum quem tamen, & sequaces causa distinguens Filium à Patre, non est ista contradictio, quòd de *Patre procedit Spiritus*, de *Filio non procedit*; Sed causa est, quia Pater *est originans*, Filius est *originatus*: quia Pater est *ex quo* Filius, & Filius *est de Patre*. Quare neque secundum Græcos Theodoritanos, contradictio verificata, est suffi-

ciens ratio distinguendi perso nas. Vnde si detur vera sententia catholicorum, quòd Spiritus procedat de Filio, statim esset identitas inter Patrem, & Filium, quia non esset amplius differentia per esse, *de quo procedit*, & *non esse de quo procedit Spiritus*. Quocirca hęc distinctio per contradictoria, neque secundum aduersarios, neque secundum catholicos, est causa distinctiva personarum. Ea propter Pater, & Spiritus sanctus per neutram contradictionem distinguuntur personaliter: neque scilicet per primã, quæ est *habere*, & *non habere Filium*: neque per secundam, que est *habere Spiritum de se procedentem*, & *non habere*, sed quemadmodum textu 2. dictũ est, Pater, & Spiritus erunt una, & eadem persona, nisi Pater sit producens, de quo est Spiritus, & Spiritus sit productus de Patre. Itaque neque per contradictoria, neque per disparata fundamenta contradictoriorum, habetur causa distinguens personas Patris, & Filii, aut Patris, & Spiritus sancti, atque eodem pacto, non erit causa distinguẽs personas Filii, & Spiritus Sancti, nisi præcedat ratio prior distinguens, vt Filius sit producens

Distinctio per contradictoria non est personarũ distinctiva, etsi possit stare cũ personis distinctis

Causa distinguens Filiũ à Spiritu

Spiritum, & Spiritus sit procedens de Filio.

105. Text. 5. *Et quemadmodũ Filius, non ideò est alius à Patre, quia Patrem habet, & Pater non habet Patrem. (Si enim Pater haberet Patrem, alius tamen esset à Patre) Ita Spiritus sanctus, quia de aliquo procedit, & Pater à nullo, non propter hoc est alius à Patre: quia si Pater ab aliquo procederet, non minus tamen esset alius à Patre, de quo procedit. Palàm igitur est, quia nõ ideò est Spiritus sanctus alius à Patre, quia non habet Filium, aut Spiritum sanctum de se procedentem, sicut Pater: nec quia de aliquo procedit, & Pater de nullo.*

Observatio. Quærit causam distinctivam personarum S. Anselmus, & rursus tertiò, atque quartò reprobat rationem distinguendi per contradictoria. Primò comparat Patrem, & Filium, & quærit causam alietatis personalis, & ostendit contradictionem repertam non esse causam. Pater quippe non habet Patrem, Filius habet Patrem. Hæc ratio ostendit Patrem, & Filium esse diversos. Sed causa diversitatis personalis non est ista, quia si per impossibile ponamus, quòd Pater habeat alium Patrem, iam contradictio inter Patrem,

qui

qui nunc eſt, & Filium eius ſublata eſſet. Pater nanque haberet Patrem, & Filius haberet Patrem, vnde non diſtinguerentur amplius per iſta contradictoria, ſed tamen eſſent diſtincti perſonaliter propter cauſam priorem, ſcilicet quia Pater originat, & Filius originatur. Vnde propter origines directè oppoſitas, cauſatur diſtinctio perſonalis Patris, & Filii; ergo ſimiliter diſtinctio inter Patrem, & Spiritum ſanctum, non eſt per contradictoria quęcunque inuenta, ſed per origines directè oppoſitas.

Comparat ſecundò Patrem & Spiritum ſanctum ſecundũ contradictionem, quia Pater à nullo eſt, Spiritus ab aliquo eſt.

Reprobat iſtam cauſam diſtinguendi Spiritum à Patre, quoniam ſi per impoſſibile, Pater ab aliquo procederet, ſicut Spiritus ſanctus etiam procedit, non minus ſervaretur diſtinctio perſonalis inter Patrem, & Spiritum ſanctum. Ergo per iſtam contradictionem, *eſſe à nullo: eſſe ab aliquo* Pater, & Spiritus non diſtinguuntur perſonaliter.

Deinde colligit, quòd Spiritus ſanctus non eſt alius perſonaliter à Patre per habere, vel non habere Filium de ſe procedentem; per habere, vel non habere Spiritũ de ſe procedentem: per procedere de aliquo, vel de nullo. Igitur illud argumentum, quod dicit (Per conſtitutivum formale conſtitutũ diſtinguitur à quocunque non habente tale cõſtitutivum: ut per hoc nos cõcludamus, Patrem paternitate, & Filium filiatione diſtingui à Spiritu ſancto, non habente paternitatem, & filiationem) fit contra mentem Diui Anſelmi.

Item, patet à nobis meritò eſſe factam diſtinctionẽ, quòd aliud eſt diſtinguere in eſſe Filij, alud eſt diſtinguere in eſſe perſonæ realiter diſtinctæ. Nam ſecundum Anſelmum, ſi Spiritus non eſt de Patre, ut Deus de Deo, eſſet alius à Patre, ſed non eſſet alia perſona; & hoc idem rurſus apparebit infra.

Diſtinguere in eſſe Filij et eſſe perſonæ realiter diverſæ, aliud.

106. Text. 6. *Sed neq; per hoc intelligi poteſt, eſſe à Patre alius, quia eſt Spiritus Patris, ſi de illo non habebit eſſe. Poteſt enim intelligi aliquis alius ab aliquo, prius quàm ſit illius: quamvis alicuius nequeat eſſe, niſi ſit alius; ut cùm dicitur, homo dominus alicuius, aut homo alte*

rius hominis: prius enim intelligitur alius ab illo, cuius esse dicitur, quàm sit eius Dominus, vel homo. Sic itaque, si Spiritus sanctus non est de Patre, nihil prohibet eum intelligi prius alium ab illo, quàm sit illius. Quare non facit illum alium esse à Patre hoc, quòd Spiritus eius est, si per hoc non habet, ut sit alius ab illo, per quod est Spiritus illius. Sicut Filius per hoc est alius à Patre, per quod est Filius eius, quod non est aliud, nisi quod de ipso existit nascendo. Videtur itaq; quòd Spiritus sanctus non sit per aliud à Patre alius, nisi quia ab illo habet esse, quod est: quamuis alio suo modo, quàm Filius.

Obseruatio. Reprobat responsionem quandam falsam, quæ dari posset per rationem relatiui, & correlatiui: quia relativum est aliud à suo correlatiuo: sed Spiritus sanctus est correlativum Patris, nam dicitur esse Spiritus Patris; ergo sufficit ratio relatiui ad causandam distinctionem personalem inter Spiritum, & Patrem, neque necesse est, vt Spiritus habeat suum esse de Patre.

Aduersus hanc responsionem insurgit S. Anselmus per istam maximam; *Quod est posterius alietate existente inter duas personas, non est causa distinguens illas personas, aut alietatem faciens inter eas.* Sed potest esse, ut aliquis prius sit alius ab altero personaliter, quàm sit relatiuum ad illud, ut prius unus homo est alius ab alio, quàm sit dominus illius alterius: ergo ipsa relatio dominij, & seruitutis, non causat alietatem personalem. Sic licet Spiritus sanctus ut Spiritus sit correlatiuum Patris, potest prius habere alietatem personalem à Patre, quã habere istam relationem, nisi per eandem relationem originetur à Patre.

Si autem per hoc, quod est Spiritus, de Patre existit, per idem causatur esse Spiritus sãcti, & causatur distinctio Spiritus à Patre, qui de Patre existit procedendo. Similiter in hoc dicendum est de Spiritu, & de Filio, quia Filius per hoc est alius personaliter à Patre, per quod est Filius Patris. Si quæris, per quid est Filius? Respõdet: Nõ est per aliud, nisi quia de ipso existit nascendo. Quare per generationem passivam, qua Filius existit de Patre, Filius est alius à Patre, & Filius Patris. Sic etiam per spirationem passivam, qua Spiritus existit de Patre, Spiritus

est alius à Patre, & Spiritus Patris.

Convertatur hoc argumentum cõtra dicentes, quòd Spiritus sanctus est Spiritus Filii, & non est existens de Filio, sequetur eodem modo, quòd Spiritus prius erit in suo esse, quàm sit Spiritus, vel correlatiuum Filij. Vnde non distinguetur personaliter à Filio, sicut neque à Patre, nisi sit de Filio, sicut de Patre. Ille verò alius modus productionis, quia Filius est nascendo, Spiritus procedendo, non est absolutè concessus ab Anselmo, sed ex consensu quodam aduersariorum.

107. Text. 7. *Inuestigemus tamẽ hoc diligentiùs, utique aut postquam fuit Spiritus sanctus, hoc quod est, contigit illi alium esse à Patre, aut in existendo habet, vnde alius est. Contigit enim aliquem esse, quod est, prius quàm sit alius: & contigit aliquem alium in existendo fieri: prius autem quenquam esse alium, quàm sit hoc, quòd est, non est possibile. Nanque primus homo, priusquã de illo esset homo aliquis, erat ipse homo sed non alius erat: cùm verò extitit de illo aliquis, & ille de quo extitit, post quàm hic fuit, factus est alius: & qui de illo extitit, simul habuit esse, & alius factus est. Aut ergo Spiritus sanctus, sicut dixi, post quàm fuit, factus est à Patre alius, aut habet in existendo, propter quod alius dicitur. Sed si postquam fuit contigit illi alium esse à Patre: cùm non sit alia persona, nisi quoniam alius est ab illo, non fuerunt illæ semper tres personæ: quia ista non semper fuit, si non semper fuit Spiritus à Patre. Quomodo itaque falsa sunt hæc, patet, quoniam in existendo habet unde alius est.*

Observatio. Aliquid eo ipso, quo est, est alius ab aliquo: aliquid autem prius est, & posterius est alius ab aliquo. Adam prius fuit homo, quàm esset alius à Caino, quia dum Cain non erat, non potuit esse relatio alietatis inter Adamum, & Cainum: alietas enim est relatio entis ad ens, 10. Metaphys. 11. Cain autem in ipso existere suo statim fuit alius ab Adamo generante. Nemo tamen põtest prius esse alius ab aliquo, quàm sit. Triplex ergo est membrum diuisionis, unum ut aliquid prius sit alius, & postea sit: atque hoc membrum est impossibile. Secundũ vt aliquid prius sit in suo esse, & postea fiat alius ab aliquo; hoc membrũ est possibile, ut patuit in Adamo 10 Metaph. 11

mo

mo. Tertium ut aliquid simul sit in suo esse, & etiam sit alius imo per idem, quo habet esse, habeat etiam alietatem. Spiritus sanctus non habet primũ membrum, cùm illud sit impossibile. Nec habet secundum, quia si prius esset duratione, & postea eset alius à Patre personaliter, tunc tres personæ non esent ęternæ. Ergo Spiritus sanctus in existendo est alius à Patre, atque simul æternitate, & est alius personaliter à Patre. Quæro iam causam alietatis personalis Spiritus à Patre, de qua subdit Anselmus.

108. Text. 8. *Esse autem nequit, nisi aut ex aliquo, sicut Filius: aut ex nullo, sicut Pater. quòd si ex nullo quemadmodum Pater existit, aut ita existit unusquisque per se, ut neuter ab altero quicquam habeat, sed sunt duo Dii Pater, & Spiritus sanctus: Aut quoniam unus Deus est, si uterque de nullo est, penitus nihil inueniri valet in fide Christiana, unde sint ab inuicē alii: sed unus, idemque Pater, & Spiritus sanctus, & una persona, quæ vera fides abhorret. Non est ergo verum, Spiritum sanctum à nullo esse Si autem est ab aliquo, non est nisi à Deo, qui est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: sed à seipso nequit esse, quoniam nulla persona à se ipsa potest existere, nisi sola Patris. quare si quis eum negat esse à Filio, negare nequit illum à Patre esse.*

Obseruatio. Probare intendit, quòd si Spiritus sanctus nō est de Patre, non erit persona distincta à Patre. Deducit consequentiam hoc pacto. Si Spiritus sanctus est, aut est de nullo, aut de aliquo. Si Spiritus est de nullo, & Pater de nullo est, sed uterque per se se extat, ut nihil ab altero habeat, aut sũt duo Dij, Pater, & Spiritus sanctus, quod est absurdum. Aut si non sunt duo Dij, nihil inveniri potest in fide Christiana, unde Pater, & Spiritus sanctus sint diversi personaliter: sed unus, atquè idem est Pater & Spiritus sanctus, atque sunt una persona; quæ vera fides abhorret. Alterum membrum, quòd Spiritus sit ab alio, paulò post considerabitur.

Sed in hac prima parte est apertissima Sācti Anselmi intentio, quòd si Pater constituatur sua paternitate à se, non ab alio: & Spiritus sua spiratione constituatur à se, non ab alio, scilicet constituãtur per relationes disparatas; tunc

stante

ſtante unitate eſſentiæ, in fide Chriſtiana non poteſt inveniri, quòd Pater, & Spiritus ſint diverſę perſonæ, ſed ſunt una perſona. Ergo non eſt ſecundum mentem Anſelmi, quòd Pater, & Spiritus ſanctus per relationes diſparatas paternitatis, & proceſſionis, perſonaliter poſſint diſtingui. An argumẽtum Anſelmi ſit efficax, non diſputo: ſed authoritatem, & intentionem eius propono. Nam poſitis formalibus conſtitutivis ſecundum aduerſarios, ſive duo conſtitutiva ſint à ſe, ſive ab alio, poneretur diſtinctio perſonarum; id quod Anſelmus apertè negat, imò requirit relationem originantis, & originati.

Si detur alterum membrũ, quòd Spiritus ſanctus non eſt à ſe, ſed ab alio: tunc Spiritus ſanctus erit à Deo, vel Patre, vel Filio, vel Spiritu ſancto. Non à ſe ipſo, quia ſolius Patris eſt eſſe à ſe, ideſt non ab alio; ergo id non poteſt attribui Spiritui ſancto. Aut ergo à Patre ſolo, aut à Filio ſolo, aut ab utroque. Si non eſt à Filio, certè dici debet, quòd ſit de Patre, & per hoc ſit alius à Patre in ſua exiſtentia, & cõſtitutione.

09. Text. 9. *Si quis autem dicit, quia licet non habeat eſſe de Patre: tamen per proceſſionem alius poteſt intelligi. Ad hęc quoque reſpondendum arbitror &c.*

Obſervatio. Reſponſionẽ dat, quòd licet Spiritus non procedat de Patre, tamen per proceſsionem poteſt diſtingui à Patre. Hanc reſponſionem refutat toto capite ſequenti, ut concludat, quòd Spiritus diſtinguitur perſonaliter à Patre, per hoc ſolùm, quod Spiritus eſt de Patre. Quæ exponere non eſt opus. Satis liquet, quòd ſecundum Divum Anſelmum, Spiritus non eſt perſona diuerſa à Patre per affirmationem, & negationem inventas, neque per relationes diſparatas paternitatis, & proceſsionis: ſed per hoc, quòd Spiritus procedit à Patre, & eſt de Patre. Eſt alia quædam ratio inter Filiũ, & Spiritum Sanctum, quoniã ſecundum Græcos, diſtinguũtur perſonaliter per diverſos modos productionum, videlicet per generationem, & proceſsionem. Sed in diſputatione noſtra, adverſarii faciunt vim in relatione diſparata, nõ in diverſo modo procedendi. Cæterùm S. Anſelmus capite decimo ſeptimo utranque cauſam diſtinctionis Filii à

Spiritu sancto memorat, sed in toto capire secũdam prælegit, qua Spiritus est de Filio: & in fine colligens proprietates, per quas personæ differunt, ait, quòd Pater habet relationem originis ad Filium, & Spiritum sanctum: Filius ad Patrem, & Spiritum sanctũ Spiritus sanctus ad Patrem, & Filium. Atque distinguit personas ad inuicem in divinis per collectionẽ proprietatũ, sicut per collectionem proprietatum distinguuntur personæ in creatura. Ex quo patet, non esse absurdum ex intẽtione Anselmi, dicere quòd Filius per duas proprietates personaliter realiter distingui tur à Patre, & Spiritu sancto, nimirum per filiationem à Patre, per spirationem activam à Spiritu. Sic S. Basil. Epist. 43. car. 676. per concursum proprietatum distinguit hypostases divinas, quamvis adversarii vellent, quòd per unam tantùm distingueretur ab utroque, & non per collectionem ambarum proprietatum.

Durãd 1. d. 11 q. 2 per collectionem distinguit

CAP. XI.

Argumenta Gulielmi OKam, & Ioannis Bacconi soluuntur.

110. GVlielmus Okam in primo dist. 11. quęst. 2. contra opinionẽ nostram arguit sic.

OKam Omne realiter distinctum ab aliquo per aliquid sibi proprium, retento proprio illo, omni etiam communi sibi, & alij amoto: distinguitur realiter.

Sed de facto Filius distinguitur per filiationem à Spiritu sancto.

Ergo retenta filiatione, & amota spiratione activa, distinguitur Filius à Spiritu sancto realiter.

Maior est manifesta, quia omne habens aliquid reale, realiter distinctum ab alio: distinguitur realiter ab eodẽ reali; quia unumquodque cõparatum alteri, vel distinguitur realiter ab eo, vel est idem realiter, si utrumque sit reale. Sed habens aliquid reale realiter distinctum ab alio, nõ potest esse idem realiter cum illo: ergo distinguitur realiter ab eodem.

Similiter, sicut à quocunq; distinguitur pars realiter, cuius illa pars non est pars: ab eodem totum distinguitur realiter

liter totaliter, vel partialiter; Sic eodem modo, à quocunq; aliquod constitutum distinguitur realiter, ita quod non realiter constituit illud, ab eodẽ constitutum distinguitur realiter. Ergo universaliter ista maior est vera, quòd unumquodque quod distinguitur realiter ab aliquo per aliquid sibi proprium, isto retento, remanebit distinctio realis ab eodem, quocunque alio communi amoto.

Minor probatur, quia quæro, aut filiatio, & spiratio sunt una relatio realiter, aut non si non habetur propositum, quia unumquodque differens realiter ab alio, distinguit habens ipsum ab isto.

Si sic, ergo sicut verè contingit dicere, quòd Spiritus sãctus spiratur, ita verè contingit dicere, quòd Spiritus sanctus generatur, vel est Filius.

Deinde, circa principale intentum quæstionis, quærit, An supposita trinitate personarũ cum unitate Deitatis, sequatur evidenter, quòd Spiritus sanctus procedat à Filio: & per consequens etiam ex negatione consequentis, si Spiritus non procedit à Filio, sequatur oppositum antecedentis, videlicet, quòd non sit Deus trinus, sed Filius, & Spiritus sanctus sunt vna persona.

Et ad hoc respondet per duas propositiones. Prima est, quòd illæ consequentiæ non sunt evidentes. Secunda, quòd sunt necessariæ, & formales. Sed probatio istius secundi apud ipsum legatur. Probatio primi non est admodum difficilis, quoniam in rebus fidei non possumus habere evidentiam: quanquam D. Cyrillus, & D. Anselmus putaverint se evidenter ex vnitate essentiæ in Patre, & Filio, colligere, quòd Spiritus sanctus est ex Patre, & ex Fili. Similiter & Patres Latini in cõcilio Florentino arbitrati sũt, se concludere evidẽter, quòd si Spiritus procedat à Patre, & non à Filio: unitas essentiæ dividatur, & essentia à persona separetur realiter.

111. Porrò ad soluendum argumentum Okami, accipio fundamentum ex Divo Bonaventura in primo dist. 13. q. 3 nempe aliquid distingui *activè* tantùm, aliquid *passivè* tantùm: addo tertium, aliquid *utroque modo* distingui. D. Bon.

Filius distinguitur passivè tantùm à spiratione passiva; filiatio *passivè distinguitur* à

ſpiratione paſſiva, & *activè diſtinguit* Filium à Spiritu ſancto: Spiratio activa diſtinguit *activè tantùm* filiationē, & Filium à ſpiratione paſſiva. Qoocirca ſi ſpiratio activa ſit coniuncta cum filiatione, tunc filiatio per ſpirationem activā diſtinguitur paſſivè à ſpiratione paſſiva, & per conſequens filiatio ipſa diſtinguit activè Filium à ſpiratione paſſiva, & ſpirato, atq; hoc eſt de facto.

Si autem ſpiratio activa nō ſit coniuncta cum filiatione, tunc ſpiratio activa, quæ eſt *activè* diſtinguens, non diſtinguit activè filiationem à Spiritu, & ſpiratione paſſiva: & per conſequens ipſa filiatio cùm non diſtinguatur *paſſivè*, neq; diſtinguit *activè* Filium; quoniam remota prima cauſa diſtinguente Filium à Spiritu, removentur quæ conſequenter diſtinguunt, vel diſtinguūtur. At prima ratio diſtinguens activè filiationem, & Filium à Spiritu in eſſe diſtinctionis realis perſonalis, eſt ſpiratio activa. Qua, per hypotheſim, remota à filiatione, & Filio, remouetur diſtinctio inter Filium, & Spiritum.

112. Secūdò aduerto ab Okamo ſupponi, quòd ratio filiationis, & ſpirationis remaneāt eædem, & de facto, & ex hypotheſi impoſſibili. Nos autem capite 4 oſtendimus, non manere eaſdem rationes formales.

Tunc ad argumentum reſpondeo ad maiorem. Si maneat eadem prima ratio diſtinguens, & de facto, & ſtante hypotheſi, concedo maiorem: Si non remaneat, nego maiorem.

Ad minorem. Concedo Filium diſtingui paſſivè à Spiritu ſancto filiatione, ut ſecunda ratione diſtinguente; ſed nego filiationem eſſe primam rationem diſtinguentem à Spiritu ſancto; eſt enim talis prima ratio diſtinguens *activè* ſpiràtio activa. Filiatio autem prius diſtinguitur paſſivè beneficio ſpirationis activæ diſtinguentis primò, deinde diſtinguit activè Filium à Spiritu: poſita verò hypotheſi, removetur prima cauſa diſtinguens, & per conſequens nec filiatio, nec Filius diſtinguuntur à Spiritu ſancto. Et concedo, quod infertur in probatione minoris data hypotheſi, quòd Filius, & generatur, & ſpiratur: quod ſecundum veritatem non evenit, quia Filius ſpirat, et non eſt poſſibile, ut origo paſſiva, et origo activa

ctiva sint in eodem. Vnde & propter hoc distinguitur Spiritus à Filio.

Arist. contra Democritũ.

113. Veruntamen maior Okami non est universaliter vera, quia monet Aristoteles in quinto de generatione animal. cap. 8. contra Democritum, inductionem debere fieri non in uno, sed in omnibus ad hoc, ut universim aliquid tractetur. Okam id non fecit, nam hic Deus singularis habet realiter paternitatem, quæ est aliquid reale realiter distinctum à Filio, nec tamen hic Deus distinguitur realiter a Filio: quę inductio est contra primã probationem maioris. Similiter spirator habet aliquid reale realiter distinctum a Patre, scilicet habet filiationem: nec tamen spirator realiter distinguitur a Patre. Ergo falsa est illa propositio, omne habens aliquid reale realiter distinctũ ab alio, distinguitur ab alio eodem reali, cùm & hic Deus, & ipse spirator sit idem realiter & cum Patre, & cum Filio.

Similiter & secunda probatio claudicat. Vbi ponuntur duo tota, & pars unius realiter distincta ab altero toto, vel parte illius totius. Nam in divinis, Pater est unum quasi totum constitutum ex essentia, & generatione activa: spirator unum totum ex essentia, & spiratione activa, ita ut generatio activa, & spiratio activa sint quasi partes constituentes hęc duo tota. Sed ex Divo Bonaventura in primo dist. 26. qu. prima, generare, & spirare sunt duæ proprietates realiter differentes: similiter generatio activa, & spiratio activa ex pr. dist. 33. q. 3. (quamvis OKã oppositum putet) ergo generatio activa, quæ est pars patris, distinguitur realiter a spiratione activa, quę est pars spiratoris; neque tamen Pater, & spirator differunt realiter. Sic in proposito, si Filius est unum totum ex essentia, & filiatione: Spiritus est unum totum ex essentia, & spiratione passiva; atque concedatur (ut concedit Doctor Seraphicus, & Subtilis, & Durandus, & Bassolius, & alii multi, quod quatuor notiones positivæ in divinis sint quatuor res reales, realiter distinctæ; hoc est, non quatuor res essentiales, neque quatuor personales, sed quatuor res notionales) quòd filiatio, & spiratio passiva sint duæ res realiter distinctę, ut duę quasi partes: nõ sequitur, quòd duo tota, genitus, & spiratus sint realiter distincta; si-

D. Bon. Generare, et spirare realiter differũt

Res essentialis, notionalis personalis. Essentialis una notionales quatuor, personales: res.

cut

cut neque sequebatur, quòd genitor,& spirator realiter distinguantur. Hoc idẽ in creaturis potest reperiri, si consideremus unum numero, ex Aristotele in 5. Metaphys. capite de Vno. Sit unum numero Socrates,& sit albus, atq; musicus. Hoc totum, Socrates musicus, constat ex Socrate, & ex musica: hoc totum, Socrates albus, constat ex Socrate, & albedine; albedo, & musica distinguuntur numero; nec tamen illa duo tota distinguuntur numero; imo, secundum Aristotelem, Socrates albus, & Socrates musicus sunt unũ numero, ratione unius materię subiectæ duobus illis accidentibus. Non ergo si pars a parte distinguitur, vel a toto realiter, sequitur quòd distinguantur tota. Maximè autem non sequitur distinctio ipsius personæ in Christo, si Verbum Deus, et Verbum homo considerentur. Nam Deitas, et humanitas realiter distinguuntur, sed Christus non est duæ personæ realiter distinctæ.

5. Met.

Socrates albus, et Socrate musicus unũ numero ratione unius materiæ.

Duæ naturæ realiter distinctæ in una persona realiter

114 Ioan. Bacconus in primo dist. 13. quęst. 1. disputavit, Vtrum si spiritus non procederet a Filio, distingueretur ab eo? sed in primo non disputavit quæstionem catholicam adversus hæreticos, Vtrum spiritus procedat a Patre, et a Filio? Affert interea novem argumenta contra nos.

Io. Bacconus.

Primum, et secundum soluta sunt cap. 9.

Tertium est sub ratione cõmunicationis, quod Scotus ponit sub ratione productionis, et habet hanc vim. Si idem suppositum posset generari, et spirari; tunc idem suppositum haberet naturam divinã duobus modis contrariis. Licet enim communicare naturam modis contrariis, non sit habere naturam modis contrariis; tamen naturam communicari modis contrariis, est habere eam modis contrariis. Cùm ergo generari, et spirari dicãt naturam communicari modis contrariis, idem suppositum haberet naturam modis contrariis.

Respondetur. Si duæ passiones sint contrariæ, etiam actiones eis oppositæ erunt contrariæ, ex capite de Agere et pati in prædicamentis, ut si calefieri, et frigefieri sunt passiones contrarię; etiam calefacere, et frigefacere sunt actiones contrariæ. quare non possent *generare*, et *spirare* esse in eodem, si poneretur contrarietas in ipsis *generari*, et *spirari*.

Prædicamenta contraria agere et pati.

Modi generationis, et spirationis non cõtrarij. ri. Nego igitur modos generationis, & spirationis esse cõtrarios, sive ponantur activè, sive passiuè, tùm quia in relationibus propriè acceptis, non est contrarietas: tùm quia in divinis nullum ponitur contrariũ. Nihil contrariũ in divinis ex Arist. Id quod ex lumine naturali Aristoteles agnovit in 12. Metaphys. cap. ult. quia omne cõtrarium habet materiam; sed prima scientia non habet materiam; sic Deus est simpliciter immaterialis. S. Bon. in Deo negat materiam. Hinc S. Bonaventura 1. dist. 19. quæst. 7. non concedit in Deo materiale principium, nec propriè, nec transumptivè. Itaque data hypothesi, idem suppositum haberet naturam duobus modis, non tamen contrariis.

115. Quartum argumentum.

Quando duæ productiones sunt hypostaticæ, productum per unam, non potest produci in alio, nec ambo producta in tertio. Sed productio Filii, & Spiritus sancti, sunt productiones hypostaticæ, ut supponitur in hypothesi; ergo non posset una persona esse Filius, & Spiritus.

Respondetur negando minorem. Neque id supponitur, sed quæritur, an data hypothesi, duæ illæ productiones essent hypostaticæ, hoc est constitutivæ duarum hypostasum. Si igitur Bacconus velit supponere affirmativam, nos supponemus negativam. At revera hoc est quæsitum, utrum data hypothesi essent duæ hypostases, an vna.

Quintum argumentum.

Distincta secundum rationẽ, nunquam distinguuntur, nisi respectu aliquorum distinctorum secundum rem. Sed, ex hypothesi, in patre essent emanationes distinctæ, & distinctæ potentiæ saltem secundum rationem: ergo cùm in divinis non possint assignari realiter correspondentia, nisi termini illarũ emanationum, sequitur propositum.

Respondetur negando maiorem, quia Sortes subiectum, & prędicatum in eadem propositione distinguitur ratione, sine respectu ad res distinctas.

Secundò. Concedo distinctionem principiorum productivorum, quę distinctio est aliquo modo rationis, non per cõparationem ad res correspondentes in Deo, sed ad rationes apprehensas in creatura; sicut docet in simili S. Bonaventura in primo dist. 8. quęst. 1. nu. 19 Productiones verò non distinguuntur per supposita constituta, quæ sunt posteriora, sed seipsis

Distinctio in Deo ex ratione distinctionis in creatura. S. Bon.

Prædicamenta contraria agere et pati.

Productiones divinæ seipsis formaliter differunt. S. Bon. Scot. sis formaliter, & realiter distinguuntur, si suppositum non cōcernant; de qua re legantur S. Bonaventura, & Scotus 1. dist. 13. In hypothesi autem haberent terminos distinctos non realiter personaliter, sed formaliter ex natura rei, & ex ista correspondentia distinctionis ex parte rei haberetur distinctio rationis principiorum productivorum, & productionum.

116. Sextum argumentū. Quæ dicunt perfectionem in nobis, conceduntur in Deo etiā secundum modum, si modus ille dicat perfectionem. Sed intelligere, & velle dicunt perfectionem in nobis, & modus istarum perfectionum est, quòd uterque actus habet suum proprium terminum, & hoc est perfectionis in eis, quia si termini eorum invicem confunderentur, esset imperfectionis. Ergo si ex hypothesi ponatur, quòd in solo Patre voluntas habet suum perfectum velle, sicut in Patre intellectus habet suum perfectum intelligere, necessariò sequitur, quòd sicut per intelligere habetur suus proprius terminus, quod est Verbum, ita per velle habebitur proprius terminus, & distinctus, qui est Spiritus sanctus.

Respondetur. Intelligere, & velle sunt actus absoluti, & termini formales productionū, unde non est proprium ipsius intelligere, & velle, habere terminum; sed esse terminum. Concipere, & spirare mentaliter, sunt productiones: termini totales, sunt personæ, Filius, & Spiritus sanctus, qui duo termini essent in divinis proprii istarum productionum, etiam stante hypothesi: sed tamen nō essent termini realiter distincti, sed formaliter, quæ distinctio realis personalis colligitur unico verbo in argumento, sed non probatur.

Adde, ipsas productiones nō dicere formaliter perfectionem, neque modum earum, ut scilicet una sit constitutiva, altera non; alioqui in Patre spiratio activa esset imperfectior, quam paternitas, quod est absurdum. Ideò minor argumenti de actibus productivis, & constitutione terminorum distinctorum realiter, est falsa in hypothesi. Nascitur autem hęc varietas distinctionis per hypothesim, quæ variat rationes formales productionum passivarum.

117. Septimum. Posita hypothesi, pater remaneret omnipotens. Sed non esset omnipotens, nisi posset producere di-